32239/C

AA
1581
3 vols

A XXXI Lan

14 pp. & frontispice
8 pp. 1 f.
642 pp.

Lugano
3 vols
April /28

Verdiani

JOSEPHI
LANZONI,
FERRARIENSIS.
OPERA OMNIA,
MEDICO-PHISICA & PHILOLOGICA.
IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.

51258

JOSEPHI
LANZONI,
FERRARIENSIS

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS
IN PATRIA UNIVERSITATE LECTORIS PRIMARII,
S. R. I. Academiæ Cæſareo - Leopoldino - Carolinæ
Naturæ Curioſorum Socii &c.

OPERA OMNIA,
MEDICO-PHYSICA ET PHILOLOGICA

CUM EDITA HACTENUS, TUM INEDITA.
Accedit
VITA AUCTORIS HIERONYMO BARUFFALDO
Ph. D. Ferrarienſi, Scriptore.
CUM INDICIBUS RERUM CUIQUE VOLUMINI NECESSARIIS.

TOMUS PRIMUS.

LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & SOCIOR.

M. DCCXXXVIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

BIBLIOPOLÆ LECTORI.

NUnc tandem prodit Collectio Operum omnium Viri Celeberrimi JOSEPHI LANZONI; hæc ab iis omnibus quibus placent tùm Medicina, tùm Philologia anxiè expectabatur: hanc promiſerant olim vivente Authore Bibliopolæ Genevenſes, & poſt ejus obitum Bibliopola Ferrarienſis; quanto in pretio habita, quantam Authori conciliarint famam nemo eſt in Medicinæ vel Philologiæ ſtudiis tantiſper verſatus, qui ignoret; ſciunt Bibliopolæ ex iteratis quorumdam ejus Operum editionibus. Nihil itaque jucundius atque utilius nos facturos eſſe arbitrati ſumus, quam ſi tanti Viri Scripta, tum olim edita, tum inedita, in unum conjeſta, tibi, B. L., offerremus; ſicque deſiderio Celeberrimi Authoris ſatisfacimus, ut patuit ex ejus Teſtamento. De ejus vita nihil dicturi ne tanti Viri laudes culpa deteramus ingenii, B. L. remit-

timus ad ea quæ eruditè ſcripſit Vir Celeberrimus Authoris amiciſſimus Hieronymus Baruffaldus.

Inter Opera Manuſcripta eminent *Tractatus de Venenis* in quo omnia Venenorum genera ad examen revocat; huic addidimus quædam de Veneno ante paucos annos detecto excerpta ex Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis & Latinè reddita. Nondum etiam editæ fuerant *Conſultationes Medicinales* ferè omnes; *Diſſertationes variæ*, ut & *Adverſariorum Liber V. & VI.*; quæ omnia nobis ſuppeditarunt Viri Docti Ferrarienſes qui Italica Latina fecerunt; inedita etiam dici poteſt *Diſſertatio de Jatrophyſis Ferrarienſibus*, tantùm mutata ab illa eſt quæ anno 1691. lucem vidit.

Præter hæc excerpſimus ex Miſcellaneis Academiæ Naturæ Curioſorum, ex Clar. Mangeti Bibliothecis, ea quæ in vaſtis illis collectionibus ad Authorem noſtrum pertinebant.

In eo etiam toti fuimus ut, quoad chartæ nitorem, typorumve elegantiam nihil poſſet deſiderari, ut & etiam Opera ab erratis, quantum fieri poteſt, immunia prodirent.

Ut volumina æqualia forent, unicuique addidimus Indicem materiarum in eo Volumine contentarum.

In initio primi Voluminis invenies Autoris vitam, & Tractatuum in toto Opere contentorum Argumenta: denique te monitum volumus, B. L. Indicem Capitum poſt unumquemque Tractatum inveniri; ſi Volumen ſecundum excipias, in quo poſt Titulum generalem invenitur.

Vale, Amice Lector, nobiſque ſemper fave.

D E



JOSEPH LANZONUS FERRARIENSIS
Phil. & Med. Doctor,
In Patria Universitate Primarius Lector,
Ac S.R.I. Academiæ
Cæsareo Leopoldino Carolinæ
Naturæ Curiosorum Socius &c.

DE VITA, ET MORIBUS

JOSEPHI LANZONI

M. D. FERRARIENSIS,

Ex Bibliotheca MS. Scriptorum Ferrarienſium

HIERONYMI

BARUFFALDI.

MORUM *probitate atque Scientiarum doctrina dignus omninò fuit* JOSEPHUS LANZONUS, *cujus memoria nullo unquam tempore ſit reticenda. Natus eſt in Civitate* Ferrariæ VII. *Kal. Novembris Anni* MDCLXIII. *honeſtis parentibus* Jacobo Lanzono, *&* Margarita Serena. *Quod in prima ætate non ita frequens eſt, Libros ſemper maluit quàm jocularia : cùmque Grammaticum & Rhetoricum ſtudium in Patria ſub publicis Magiſtris celerrimè abſolviſſet, ad Magiſtros eminentiores, & verè Cathedraticos acceſ-*

ſit, ut Philoſophiæ operam daret. Præceptorem itaque habuit SIGISMUNDUM NIGRISOLIUM, *publicum Philoſophiæ Profeſſorem, non tamen Humaniores Litteras deſerens, ad quas potiſſimùm factus videbatur. Tum ſe Medicinæ dedit, nec interim Anatomicum ſtudium, qua erat ingenii abundantia, prætermiſit, docentibus* JOH. BAPTISTA JUSTINO, *&* HIERONYMO NIGRISOLIO, *clariſſimis Medicæ, & Anatomicæ Facultatis Profeſſoribus. Annos natus ferè viginti publicum Philoſophiæ & Medicinæ examen ſubiit, probatuſque ſuffragiis omnibus, Laurea decoratus fuit in Patria Univerſitate: quo facto ab inchoatis ſtudiis non ceſſavit, imò praxim rei Medicæ ſuperaddidit, ſub* HYPPOLITO à MONETIS, *Phyſico ſuæ ætatis non obſcuro. Præcipuè Anatomicis demonſtrationibus ſeſe dedit, privato quidem ſtudio, ſed ſatis ſibi, & amicis ſuis proficuo. Hinc in Patria clarus factus, ad ægrotos, & per totam Civitatem ad domos, & Noſocomia adſcitus pro conſilio & juvamine, adhiberi cœpit. Matrimonio junctus anno* 1687. *cum honeſtiſſima Virgine* CLARA DE MONARIIS, *quam in toto vitæ ſuæ curriculo enixè dilexit. Decem & ſeptem Liberos ex illa ſuſcepit; unico tamen poſt Patris mortem ſuperſtite* ALOYSIO, *quem tamen ad Scientiarum ſtudia allicere ullo pacto nequivit, nimiùm fortaſſe eum peramando. Ad Bibliothecam ſatis amplam & optimorum Librorum copia inſtructiſſimam ſibi comparandam animum inflexit, totum penè domeſticum patrimonium, & adventitia emolumenta in illâ acquirendâ inſumendo. Philologiæ ſtudia pro deliciis habuit quoſcumque antiquarum rerum Libros parando, & ex illis quæcumque pro rebus Philologicis diſcèptandis, & conſcribendis utilia ſibi viderentur decerpendo, & reponendo ad uſum Diſſertationum ſuarum, quæ in dies prælo committebantur. Litterarum Sectatores quæritabat, amore proſequebatur, adjuvabat, fovebat, illiſque Librorum totam ſupellectilem commodabat, ad hoc ut quandoque inter alios eminerent, & ſic in alumnos ſuos adoptabat.*

Anno 1694. *Philoſophicam Cathedram primò conſcendit in patria Univerſitate, nec ad pompam vel inutiliter illam occupare ſtuduit, ſed quotidie novas doctrinas, novaque rei Philoſophicæ & Medicæ documenta confluentibus auditoribus, enucleabat, placitas ſuas ſæpè ſæpiùs (quod ſui moris erat) Philologicas animadverſiones intermiſcendo. Quæſtiones litterarias ſtudiosè promovere amabat, ut hoc*

pacto

pacto adoleſcentium, Diſcipulorumque ſuorum animos teneret atque promoveret exercitia, & hoc pacto, ab inertia, & otio, omnium vitiorum fonte, declinarent. Nec in tota Italia, & extra etiam quæſtio ulla, ſive rei medicæ, ſive Philoſophicæ, ſive tandem politioris Litteraturæ promovebatur, ad quas LANZONUS, *quaſi Judex & arbiter, ſeu partis verioris fautor, non adſciſceretur.*

Hinc ortum habuit arctiſſima familiaritas & conſuetudo cum quibuſcumque eruditis Viris, tum Patriæ, tum exterarum Regionum per epiſtolas, quos amanter percolebat, illis ſollicitè reſponſum faciens, adeò ut apud quaſcumque nationes, brevi tempore emergere nomen ejus cœperit, notumque pluribus fieri, qui Ferrariâ tranſeuntes, Lanzonum tamquam doctrinæ, & politioris litteraturæ Virum eximium adibant, ac ſæpiùs apud eundem hoſpitabantur, ſplendidiſſimè excepti; licet ipſe tenui victu uteretur.

Erat quidem à natura propenſus ad Poeſim, tum Latinam, tum Italicam, ſed ejus Carmina præcipuè vulgaria, quadam dicendi mediocritate redolebant, ex quo ſui ævi ſtylus tamquam turgidus, & pingue quid reſonans, jam in malam exiſtimationem abierat; ſicuti & ejuſdem numeris ſoluta Oratio, quamvis erudita, & docta, communi tamen ſcribendi conſuetudine ætatis ſuæ redundabat. Neque tamen id illi quidquam de communi exiſtimatione detraxit, qua in hominum opinione vigebat, & illorum præcipuè, quibus ætas illa abundat. Academiæ plures tum Italiæ, tum extra, Socium Lanzonum *adſcribere æmulabantur. Inter cæteras,* Leopoldino - Imperialis Curioſorum *illi ſub nomine* Epicharmi *titulum dedit, pro qua tali amore flagrabat, ut quotannis innumeras obſervationes Medicas tranſmittere non retardaret, quæ omnes ſi in unum congeſtæ forent, pro unius, & quidem longævæ ætatis Viri ſtudio, ſufficerent.* Intrepidorum *politioris Litteraturæ Academia, quæ Ferrariæ florentiſſimè, ab uſque ſæculi prope elapſi exordio ſtat, atque augetur,* Lanzonum *habuit reſtauratorem, & athletam, qui collato ſibi Secretarii honore, nunquam à Conventu publico ſe abſtinuit. Inter* Arcades *Coloniæ Ferrarienſis* Alzindi Epiziani *nomine decoratus, paſtorali fiſtula perſonare non dedignatus, quod illi maximum ornamentum retulit: atque ita factum eſt, ut ferè nullum in Patria clarius nomen de litteris benemeritum reſonaret.*

Spectatæ Vir fuit probitatis, in pauperes clementiſſimus, & præ-

ſertim infirmos , quibus expenſis propriis alimenta præſtabat. Diſcipulos ſuos enixè deperiens , quotquot ad Scientiarum , & vitæ probitatis inſtitutum trahere poterat , amore proſequebatur , illis ſemper affabilis nunquamve ſupercilio gravis. Nec labori finem imponebat niſi poſt completa eorum ſtudia , & Laurea Doctorali jam ab illis adepta : qua humanitate impulſi , catervatim illum honoris cauſa comitabantur quocumque tenderet. Eos qui ab exteris Regionibus procedebant ſibique committebantur , ut ad ſtudia Medica manuduceret , maximâ comitate excipiebat , uſque dum ad ſtadium perveniſſent : illos multo cum honore proſequebatur , ut cum ad patrios lares remeaſſent , de Ferrarienſi Univerſitate honorificè loquerentur.

Hac vivendi ratione ductus , quidquid ſupererat otii , id totum in antiquitatis ſtudium conferebat , res præcipuè Romanas , & Græcas apud optimos Scriptores perſcrutando , & quæ ad rem ſuam faciebant reponendo , cum quibus tot deinde Diſſertationes Philologicas inſtruebat , quæ in dies prodiere. Verumtamen Medica ſtudia non deſerens illud obſervatum eſt in Librorum ſuorum promulgatione , quod publici Juris facta una Diſſertatione ſeu Tractatu in via Medica , identidem Philologicæ Diſſertationi , ſeu Tractatui locum dabat , interſerendo hoc pacto Jatrophyſica cum Philologicis ſtudiis , ne à Medicinâ ſubductus videretur.

Cæterùm , licet de Re Medica optimè ſentiret , in Remediis tamen præſtandis ſatis ſobrius , & naturæ indulgens videbatur , quod & in accedendo ad Infirmos , & in conſiliis per litteras præſtandis maximè effulgebat , prout in Scriptis jam evulgatis , & poſthumis videre eſt. Nec ſui pœnitebat ſi in hac ſententiâ perſiſteret , cum rationi , & optimorum Doctorum authoritati inniteretur. Ex quo illud evenit , quod contradictiones , & maledicta pro nihilo habere ſtuduit , imò illa læto vultu excipiebat , nuſquam quacumque de cauſa iracundiæ ſtimulis invaſus , adeo ut locum in illo iracundiam non habere , invaleret opinio. Quod & maximè illi profuit , nam cùm humana conditio hoc peculiare habeat , ut non æquali animo quiſque hominum proſequatur , ii qui Lanzono invidebant , à detractionibus contra illum potius ſe abſtinere maluerint , quàm incaſſum jacula contorquere.

Ad ordinariam Cathedram tùm Philoſophiæ , & ſucceſſivè Medicinæ evectus anno 1694. cum honorarii ſtipendii augmento , Bibliothecam

thecam ſuam in eruditionis, & Philoſophicarum meditationum officinam convertit: ſua ſorte contentus, nec majora, nec utiliora quæritabat. Hæc duo tantummodo in ſtudiorum ſuorum curſu pro deliciis habebat, quæ animum illi mirificè ſerenabant, nempe abſentium Litteratorum amicitiæ, quas ſtudioſiſſimè colebat: quicumque enim aliquo inſigni Litteraturæ genere præſtaret, illum amicitiæ ſibi vinculo confirmabat, inter quos eminebant Schroeckius, Mangetus, Redius, Patinus, Mandoſius, Ramazzinus, Bonannus, Tozzius, Lanciſius, Muratorius, Zenus, Valliſnerius, Morgagnus, Bacchinus, Malpighius, *aliique plurimi, atque innumeri, quorum nomina, Scripta & Epiſtolas ſumma animi alacritate percurrere lætabatur. Alterum erat quædam animi proclivitas ad Theatralia ſpectacula, ad quæ inviſenda, ſive Tragico, ſive Comico ſtilo agerentur, quolibet anno, nocturno tempore ſe conferebat, tamquam (inquiebat ipſe) pro animi medicamento. Cæterum nec ludis, nec cupediis, nec choreis, neque potationibus, aut commeſſationibus capiebatur: ſobrietatem victûs apprimè dilexit, pane modico, modicis cibis, ſemper tamen dulcedine jucundis, pariſque ſaporis, vino modicè parato contentus.*

Sed & Patria in ſui prudentia confidens, pátriis honoribus illum cumulare non deſiit; pluries enim inter Decemviros municipales enumeratus, Reipublicæ mirâ cum ſuavitate, & ſolertia, negotia pertractavit nulli nocendo, & omnes vel opere, vel conſilio juvando: adeo ut maximi haberi ceperit in hoc munere, ad quod per magnum Centumvirale conſilium ſæpiùs adoptatus, electorum deſiderio, & ſpei rectiſſimè ſatisfecit.

Interim, demortuo Franciſco Maria Nigriſolio *in patria Univerſitate primæ ſedis Philoſopho, anno* 1727. *nuſquam melius publicæ utilitati conſultum fuit, quàm tunc, cùm omnes electores in voto fuere, ut* Lanzonum *in* Nigriſolii *ſedem ſufficerent. Ne tanto munere abuti videretur, Cathedram primò aſcendit, implevitque multa cum ſolemnitate, ab amicis ſibi comparata, die* 4. *Martii anni ſubſequentis. Deinde ut novo ornamento ſibi collato perfectè ſatisfaceret, eo magis quia primæ publicæ ſedi illud applicatum fuerat, ut non ſolùm in publicis Scholis, ſed privatim etiam praxim Medicam Diſcipulos edoceret: quod non exigui momenti, & laboris onus in provectæ ætatis viro haberi debuerat. Nihilominus Vir ſpectatæ probitatis,*

bitatis, & imperterriti animi, hoc ſubire pondus non renuens, publicæ & privatæ lecturæ ſe totum dedit, in quo obeundo munere nondum ſecundo elapſo anno deceſſit; nam aſſiduis laboribus vigorem hebetantibus, & præmaturam ſenectutem inducentibus, infirmæ valetudinis eſſe cœpit uſque de menſe Aprilis ejuſdem anni 1728. *Tunc quadam capitis gravedine affectus, acrem humorem ad pectus diſtillante, aſthmate, licet tenui, laborare cepit, cujus morbi exordio minimè ſe opponens, utpote qui Medicinæ parum fidens erat, factum eſt, ut hyemali ingraveſcente tempore, omnem curationem Medicam prorſus ſpernens, tanquam ſi mortem facilius inducerent, non ſanitatem repararent, à conſuetis laboribus nihil abſtinens, imò novos identidem, novi oneris ratione, antiquis ſuperaddens, irreparabiliter decubuerit.*

Cui decubitui novum impoſuit gravamen amor eximius, & tenaciſſimus quo Amicos ſuos proſequebatur, vel tunc præcipuè cùm in maximas, vel in omnium pejorem calamitatem inciderent, ſcilicet mortem. Acciderat uſque ab initio anni 1726. *Amici, & Compatris ſui inter omnes maximi, nempe M.* Antonii Fregulei *clariſſimi legum interpretis, & cauſarum advocati mors; ex qua maximam animi jacturam paſſus, præ dolore penè defecit, diuque ſtupore plenus, & ſocors fuit. Ad reſipiſcentiam ſuperſtites Amici, & familiares, Amicum verbis & rationibus perduxêre; ſed nova ſuperaddita mœroris occaſione ex annunciato ſibi interitu Clariſſimi* Ant. Valliſnerii *in Patavino Lyceo primarii Lectoris, quem ſummè diligebat, iterum repentè, animo defecit. ſibique eſſe quoque proximum interitum edixit, nec inaniter, nam rem probavit eventus. Obiit* Valliſnerius *menſe Januarii* 1730. *& eodem menſe de* Lanzono *quoque conclamatum eſt. In momento allati nuncii, morbus in pejus ruit: tuſſi correptus, ſputa ſanguine mixta excernere, & noctes inſomnes ducere, anhelitu difficiliori graveſcere, & moleſta febricula cruciari cœpit: cavit tamen, à Laribus domeſticis rumor de hoc ſui periculo erumperet, ne contriſtarentur amici, ac ad eum properantes, animi ſui conſtantiam deflecterent. Hoc pacto Deo ſe commendans, animamque ſuam divinæ bonitati, ac B. Mariæ Virgini, quam ſibi ab ineunte ætate, patronam adoptaverat, committens, diſrupta vomica in pectore, ſanguine ſuffocatus interiit nocte prima menſis Februarii* MDCCXXX. *ſexageſimo ſexto ætatis ſuæ anno jam pleno.*

Quæ

Quæ mortis celeritas omnes, quibus fuit in honore atque æſtimatione, maximo dolore affecit. Ferrariæ ſolemni funere, ſibi per ſupremas tabulas præſcripto, toto comitante Philoſophorum, & Medicorum Collegio ſepultus fuit in Templo S. Mariæ de Roſa Fratrum Congr. Heremit. B. P. de Piſis; ubi Fratres germanos duos, Cucullo Monaſtico profeſſos habuerat, quorum alter ſuperſtes, & vehementi dolore confectus, ob fratris tam eximii jacturam, octavo die à fratris decubitu, illum ſequutus eſt.

Opera LANZONI *typis evulgata hic habebis, atque item multa quæ paraverat publici juris facienda in unum collecta. Ad ejus ſepulchrum hoc per Amicos deſignatum fuit Epitaphium.*

D. O. M.

JOSEPHO LANZONO
FERRARIENSI PHILOSOPHO
ET MEDICO CELEBERRIMO
EARUMDEMQUE FACULTATUM IN PATRIO GYMNASIO INTERPRETI,
ET PROFESSORI PRIMARIO:
VIRO PLANE INGENUO, VITÆ AC MORUM SUAVITATE,
ET CANDORE NULLI SECUNDO:
SUMMIS HONORIBUS IN PATRIA CUMULATO:
QUEM UNIVERSA ITALIA, QUEM GERMANIA IN
LEOPOLDINO-CAROLINO-CÆSAREA ACADEMIA
SOCIUM ERUDITISSIMUM OB EXIMIAS
ANIMI DOTES,
ET HUMANARUM LITTERARUM, OPTIMARUMQUE ARTIUM STUDIA TOT SCRIPTIS
ILLUSTRATA CONQUERUNTUR:
CLARA MONARI UXOR, ET ALOYSIUS FILIUS
HOC AMORIS, ET VERÆ FIDEI TESTIMONIUM
CUM LACHRYMIS PP.
VIXIT ANN. LXVI. M. III. D. V. OBIIT KAL. FEBRUARII
MDCCXXX.

INDEX OPERUM

In primo Volumine contentorum.

DE Venenis Opus hactenus ineditum.
Citrologia ſeu curioſa Citri deſcriptio.
Zoologia ſive Tractatus de Animalibus.
De Clyſteribus.
De Lachrymis.
De Febre Quartana.
De Saliva Humana.
De Medici Officio.
De Allio.
De Dentibus.
De Pericardio.

INDEX OPERUM

Secundi Voluminis.

COnſultationes Medicinales quarum XX. antea editæ, & CLIV. nunc primum prodeunt.
Obſervationes Medicæ ex *Miſcellaneis Nat. Curioſor.* depromptæ.

INDEX OPERUM

Tertium Volumen componentium.

DE Balſamatione Cadaverum.
De Coronis & Unguentis.
De Luctu Mortuali Veterum.
Adverſaria edita & inedita.
De Jatro-Phyſicis Ferrarienſibus.
Proluſio ad Philoſophiam Naturalem.
Diſſertationes Variæ hactenùs ineditæ.
Additio in Diſſertationem *Olai Borrichii* de Lapidum generatione.
Scholia in Obſervationes Medico-Chirurgicas *Henrici à Moinichen.*
Animadverſiones Variæ ad Medicinam, Anatomiam & Chirurgiam facientes.

JOSE-

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDECINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec. non S. R. I. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

TRACTATUS ABSOLUTISSIMUS

DE

VENENIS.

OPUS

HACTENUS INEDITUM.

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

INDEX CAPITUM

TRACTATUS ABSOLUTISSIMUS DE VENENIS.

CAPUT I. *Medicum decet tractare de Venenis.* Pag. 1.
CAPUT II. *De Etymologia, Nomine, & Definitione Veneni.* 4.
CAPUT III. *De natura Veneni in genere.* 10.
CAPUT IV. *De Venenorum differentiis.* 17
CAPUT V. *De ſignis Diagnoſticis Veneni in genere.* 24
CAPUT VI. *De Prognoſi Venenorum in Genere, ac de Præcautione.* 29
CAPUT VII. *De Curatione Venenorum in Genere.* 32
CAPUT VIII. *De variis Claſſibus Venenorum, ac primò de Minerali, & in ſpecie de Calce Viva.* 37
CAPUT IX. *De Vitriolo.* 40
CAPUT X. *De Gypſo.* 41
CAPUT XI. *De Magnete.* 42
CAPUT XII. *De Adamante.* 43
CAPUT XIII. *De Antimonio.* 47
CAPUT XIV. *De Vitro.* 48

CAPUT XV. *De Lapide Lazuli.* Pag. 50
CAPUT XVI. *De Sale Ammoniaco.* 51
CAPUT XVII. *De Borace.* 53
CAPUT XVIII. *De Sulphure.* 54
CAPUT XIX. *De Tutia & Spodio.* 56
CAPUT XX. *De Minio* 57
CAPUT XXI. *De Alumine.* 58
CAPUT XXII. *De Ceruſſa.* 59
CAPUT XXIII. *De Cinnabari.* 60
CAPUT XXIV. *De Lithargyrio.* 61
CAPUT XXV. *De Lapide Armeno.* 63
CAPUT XXVI. *De Cadmia, Aurichalco, ac de Scobina Campanarum.* 64
CAPUT XXVII. *De Arſenico, Auripigmento, Sandaracha, & Realgare.* 65
CAPUT XXVIII. *De Marcaſita.* 69
CAPUT XXIX. *De Argento Vivo, tùm crudo, tùm Sublimato, tùm Præcipitato.* 70
CAPUT XXX. *De Ferro, Scoria Ferri, & Ferrugine.* 75
CAPUT XXXI. *De Ære, ejuſque ſquamma, flore, Ære uſto, & viride Æris.* 77
CAPUT XXXII. *De Plumbo.* 79
CAPUT XXXIII. *De Venenis ab Animalibus in genere* 81
CAPUT XXXIV. *De Serpentibus in Genere.* 83
CAPUT XXXV. *De Aſpide.* 85
CAPUT XXXVI. *De Ceraſte.* 87
CAPUT XXXVII. *De Hæmorrhoo.* 89
CAPUT XXXVIII. *De Sepedone.* 91
CAPUT XXXIX. *De Dipſade.* 93
CAPUT XL. *De Natrice.* 95
CAPUT XLI. *De Amphiſbœna, & Scytale.* 97
CAPUT XLII. *De Cenchri.* 99
CAPUT XLIII. *De Dryino.* 100
CAPUT XLIV. *De Baſiliſco, & Harmene* 103
CAPUT XLV. *De Vipera.* 105

CAPUT XLVI. *De Scorpione.* Pag. 111
CAPUT XLVII. *De Dracone Terreſtri, & Marino.* 115
CAPUT XLVIII. *De Crocodilo.* 119
CAPUT XLIX. *De Lacerta.* 121
CAPUT L. *De Stellione.* 122
CAPUT LI. *De Salamandra.* 124
CAPUT LII. *De Hirudine.* 126
CAPUT LIII. *De Scolopendra.* 129
CAPUT LIV. *De Bufone.* 130
CAPUT LV. *De Mure Araneo.* 136
CAPUT. LVI. *De Araneo.* 138
CAPUT LVII. *De Tarantula.* 140
CAPUT LVIII. *De Cantharidibus.* 146
CAPUT LIX. *De Bupreſte.* 150
CAPUT LX. *De Pini Erucis.* 151
CAPUT LXI. *De Muſcis, Apibus, & Veſpis.* ibid.
CAPUT LXII. *De Veneno Canis Rabidi.* 153
CAPUT LXIII. *De Cerebro, & ſanguine Felis.* 163
CAPUT LXIV. *De Sanguine Menſtruo &c.* 164
CAPUT LXV. *De Torpedine.* 166
CAPUT LXVI. *De Muræna.* 167
CAPUT LXVII. *De Marino Lepore, & Barbo.* 168
CAPUT LXVIII. *De Paſtinaca Marina, Scorpione Marino, Dracone Marino, & Pelle Piſcis Canis.* 171
CAPUT LXIX. *De Venenis Plantarum, & primò de Opio.* 174
CAPUT LXX. *De Fungis.* 179
CAPUT LXXI. *De Napello, Aconito, & Doronico.* 181
CAPUT LXXII. *De Toxico, & Pharico.* 185
CAPUT LXXIII. *De Cicuta.* 188
CAPUT LXXIV. *De Ephemero.* 194
CAPUT LXXV. *De Hyoſciamo.* 196
CAPUT LXXVI. *De Solano furioſo.* 199
CAPUT LXXVII. *De Mandragora.* 200
CAPUT LXXVIII. *De Apio, ſeu herba Sardonia.* 202

CAPUT LXXIX. *De Coriandro.* Pag. 203
CAPUT LXXX. *De Ixia, & Chamæleone.* 206
CAPUT LXXXI. *De Taxo.* 208
CAPUT LXXXII. *De Euphorbio.* 209
CAPUT LXXXIII. *De Nuce Metella.* 211
CAPUT LXXXIV. *De Nerio, ſive Oleandro.* 212
CAPUT LXXXV. *De Juglande Arbore.* 213
CAPUT LXXXVI. *De Eſula.* 214
CAPUT LXXXVII. *De Nuce Vomica.* 215
CAPUT LXXXVIII. *De Helleboro.* 217
CAPUT LXXXIX. *De Grano Nubiæ.* 219
CAPUT XC. *De Erica Baccifera, Herba Hæmatogoga, Datura, & Flore Africano.* ibid.
CAPUT XCI. *De Lolio.* 222
CAPUT. XCII. *De Mangas, Ahovai, Hiucæ Succo, & Melle Venenato.* 224
CAPUT XCIII. *De Cornu Spicæ.* 227
CAPUT XCIV. *De Cynogloſſa.* ibid.
CAPUT XCV. *De Nigella.* 228
CAPUT XCVI. *De Viſco.* 229
CAPUT XCVII. *De Ruta Sylveſtri.* 231
CAPUT XCVIII. *De Scylla, præcipuè Agreſti, & de Cortice Oryzæ.* 232
CAPUT XCIX. *De Mezeræo.* 233
CAPUT C. *De Semine Urtice, & Herba Chimanides, atque Croco.* 234
CAPUT CI. *De Cucumere Aſinino, & Staphiſagria.* 236
CAPUT CII. *De Anacardio.* 238
CAPUT CIII. *De Cyclamine.* 239
CAPUT CIV. *De Murckione.* 240
CAPUT CV. *De Pomo Mortis, Perſea, Braxera, Cohobba, Aſſera.* 241
CAPUT CVI. *De Taxo, & Agarico malo.* 242
CAPUT CVII. *De Colocynthide.* 244
CAPUT CVIII. *De Scammonio.* 245

CAPUT CIX. *De Tithymalis, & Ricino.* Pag. 246
CAPUT CX. *De Cornu Cynosbati.* 248
CAPUT CXI. *De Ficu Pharaonis, & Dragontea.* ibid.
CAPUT CXII. *De Venenoſa Japonenſium Planta.* 250
CAPUT CXIII. *De Venenatis Herbis, ut Fœniculo, Salvia, Cichoreo.* 251
CAPUT CXIV. *De Gummi Gutta, ſeù Gutta de Jemou.* 254
CAPUT CXV. *De Staphiſagria.* 255
CAPUT CXVI. *De Radice Vingaſanæ.* 256
CAPUT CXVII. *De Arboribus quibuſdam Venenatis.* 257
CAPUT CXVIII. *De Venenis mixtis, & arte factis.* 261
CAPUT CXIX *De Amuletis contra Venena.* 277
APPENDIX I. 281
APPENDIX II. 286

JOSEPHI

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

TRACTATUS DE VENENIS.

CAPUT PRIMUM.

Medicum decet tractare de Venenis.

QUÆSTIONEM agant nonnulli, an ſcilicet Medico liceat de Venenis ſcribere? Quocircà in præſenti capite aliquid circà hoc diſſerere, non incongruum putavi, ut nihil intactum, etiam extrinſecum, & accidentale circà Venenorum tractatum relinquam, præſertim in gratiam eorum, qui in libris legendis, ſemper quærunt id, quod non facit ad rem. Fulcimenta igitur illorum, qui Medico negant de Venenis diſſerere, præcipua

ſunt. I. Nullum Medicum debere id, quod proximo nocet, omnibus, & ſingulis indifferenter aperire, ne fortè aliquis ſceleſtus ad malè patrandum eo utatur. II. Scire, docere, & ſcribere diverſa ſunt, multa enim fas eſt ſcire, nefas ſcribere; aliqua docere amicum ſapientem, & probum convenit, quæ ſcribere omninò eſſet nefarium; imò nemo tàm certus de alio eſſe poteſt, quàm de ſe ipſo: multos enim docuiſſe, ac revelaſſe, nullos tacuiſſe pœnituit: ſed hujuſmodi ſunt Venena, ergo non publicanda. III. Medicum non debere cognoſcere Venena exotica, niſi ſolo nomine, & viribus: nam, ſi diſtinctè cognoverit, poterit ex animi perturbatione illa propinare, aut excogitare aliquid ſubtilius in eis ad alicujus interitum, utpotè quia natura humana ſemper ad mala proclivis, & potiùs ad nocendum, quàm ad juvandum parata. Undè *Galenus Lib. de Med. purg.* ſcribit, non licere Medicamina ulla, quæ interficiant, docere, & narrat illum ſontem ductum ad ſupplicium vinctis oculis; imò *lib. de cauſ. procatarct.* ait, quod Noverca accepit à Medico Venenum, & dedit ſervo, qui propinavit privigno: at mortuo eo, & detecto ſcelere, omnes debere pœnas, Noverca nempè, Medicus, & ſervus ipſe, quarè ex *Galeni* autoritate à Medico tractatio Venenorum eſt ableganda. Iſtis autem difficultatibus reſpondent Saniores Medici; Medico licere, imò, Medicum debere, non tantùm Venena cognoſcere, ſed etiam docere, quia, niſi cognoſceret, non poſſet ea devitare, imò ipſis Venenoſis non poſſet uti ad compoſitiones præcipuas, ſalutares, & in re pharmaceutica inſignes, ut ſunt Vipera ad Theriacam, Opium ad Philonium, Scorpius ad noſtrum egregium Oleum contra-peſtem nuncupatum, & alia hujuſmodi; Hinc *Galenus* ipſe ab adverſariis allegatus in *lib. de Antidotis* approbat in Medico Venenorum cognitionem, & in VI. *Epidemiorum* paſſim nominat plura Venena, mentionem faciendo Hydrargyri, Spumæ Argenti, Aconiti, Leporis Marini. &c. Imò *Galenus* ipſe teſtatur, monente *Mercuriali*, ſe librum compoſuiſſe *de Medicamentis à proprietate Operantibus*, ubi edocuit multa Venena. Ulterius, Medicus debet tradere ſcientiam illorum, quæ lædunt, ut homines abſtineant

ab eis quæ nocent; ſed talia ſunt Venena: ergo Medicus ea ſcire debet: at ſi debet ſcire, oportet ut doceatur; igitur Venena docenda ſunt, eorumque doſes, & ſymptomata, una cum antidotis propriis revelanda, quòd ſi non doceantur, nulla erit ratio recta medendi. Ad id verò, quod aſſerunt, non evulganda eſſe venena, ne quis pernicioſus, atque malignus, vitæ proximi inimicus, ad alterius necem illis utatur; Reſpondetur, eadem ratione, occultanda, & prohibenda eſſe omnia Armorum genera, funes, ſaxa, ligna, cæteraque inſtrumenta, quibus homo deperditus ad hominis interitum uti poteſt. Doceantur ergo Venena, ut homines ſanentur, ſi pro Medicinis utantur, ut monet Cl. *Friccius in tract. de Venen. Virt.*; ut præſerventur, ſi edocti, ab eis arceantur; atque ut ſuccurrantur, dum vel caſus, vel malitia eos venenaverit; & ſi aliquis, quod Deus avertat, in humanam perniciem Venenis utatur, dignas à Lege impoſitas luat pœnas: ſic in Perſide teſte *Alexandro ab Alexandro Gen. Dier. lib. 3.* veneficos plecti ait, ut in amplo lapide caput impingerent, rursùſque alio ſuperinducto, illud effringerent; Sic Venenantes, ut proditores habent *Baldus*, *Zacchias*, & *Farinacius*. Hinc *Ranchinus*, & *Caballus*, eos non gaudere immunitate Eccleſiaſtica dixere. Inſuper, propter Veneni ſuſpicionem conceditur Thori ſeparatio inter conjuges, & adeò abhorrent Leges ad hoc delicto, ut in juſtitiæ executione Veneno uti nolint: reus enim ad Venenum aſſumendum condemnari non poteſt; neque, ut *Farinacio* placet, Bannitus poteſt Veneno interimi, licet contrarium teneat *Caballus*: undè *Ranchinus* dixit, neque flagitioſis hominibus, neque hoſtibus, neque ad ultimum ſupplicium damnatis licere Venenum propinare: & ut magis Juriſconſulti oſtendant hujus delicti atrocitatem, in illo puniendo non diſtinguunt Nobilem ab Ignobili, ſed utrumque pœna Furcarum mulctari jubent, quæ ignobilibus ſolis irrogari ſolet. Medico igitur licitum eſt tractare de Venenis, ut ea evitet non tantùm, ſed etiam ut innui ſuprà, ut ille aliqua Medicamenta ex iis componat cum aliis cardiacis permixta ſaluti humanæ valdè proficua; ut probant *Zacutus*, & *Cardanus*; nam Viperæ caro ingreditur Theriacam, Cantharides

A 2 Medica-

Medicamenta peculiaria ad Hydropem, Napellus ad Lepram, & exteriùs ad pleraque utilia ſunt Ærugo, Mercurius, & alia Metallica.

CAPUT II.

De Etymologia, Nomine, & Definitione Veneni.

VENENUM, græcè *Deleterium* vocatur, id eſt perniciosſum, & *Phtharticon*, id eſt corruptivum, & *Phthoropion* id eſt tabificum, & *Cacurgon*, id eſt Maleficum. Dicitur autem Venenum, eo quòd citò per venas eat, infuſa enim ejus peſtilantia per venas, vegetatione aucta diſcurrit, & vitam extinguit, ut *Iſidori* verbis utar; ſic *Lucanus Lib. 9.*

Noxia ſerpentum eſt admixto ſanguine peſtis.

Ab aliis verò, referente *Ponzetto*, reputatur nomen compoſitum *ex vè*, & *neco*, qui ſæpè necat cum *vè*, id eſt dolore prænunciante mortem; vel cum *Str. Doyno* Venenum dicitur, quaſi venas nectens, ob ipſius namque principium formæ hominis corruptivum nectit venas, & arterias, ut non deferant ad membra Spiritus, & Sanguinem congruentes; aut juxtà *Galenum* venena dicuntur, quia vocem inferunt mortis; idcircò ab aliis Venenum Medicina mortifera dicitur, quaſi mortem ferens. Hoc tamen aliqui nomine Pharmaci vocant, ſivè ſalubre, ſivè noxium, nam & Medicamenta etiam, venena eſſe ſcripſit ROB. STEPHANUS *in Theſ. ling. lat.*, cum CALVIN. *Lex. Jurid.*, & WEDEL. *Amœn. mat. Med.*; Sic CAIUS *de Verb. ſignifi.*, "qui Venenum „ dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum; nam & Me„ dicamenta venena ſunt, quia eo nomine omne continetur, „ quod adhibitum, ejus naturam, cui adhibitum eſt, mutat; quin „ id, quod nos Venenum apellamus, Græci *Pharmacon* dicunt, „ & apud illos quoque tàm Medicamenta, quàm quæ nocent, „ hoc nomine continentur; undè adjectione alterius nominis diſ-

tinctio

„ tinctio ſit : hinc *Ulpianus* ait, *mala Medicamenta Venena veniunt* &c. appellant autem Juriſconſulti non Venenum ſimpliciter, ſed Venenum malum, ut ſupra cum *Caio* dixi, in quam ſententiam *Virgilius* cecinit.

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris.

Propriè ergò, & in communi loquendi modo, cùm Venenum nominamus, pro malo accipi volumus cum *Zacchia*, *Alciato*, *Farinacio*, *Caballo*, & aliis, & ſic ſimpliciter prolatum prò malo accipimus; propriè namque Venena dicuntur, quæ ſemper talia ſunt, ut ex Medicis fatentur *Baccius*, & *Zachias*. Quanquam verò *Alciatus*, & *Farinacius* voluerint, Venenum ſimpliciter prolatum pro malo accipi, ut ſuprà innui, tamen apud multos veneni nomen, & pro utili Medicamine, & pro veneficio accipitur; de hac acceptione conſtat apud *Homerum in Odyſſ.* . . . .

Poſtquàm mala venena dedit.

Et paulò poſt.

. . . . . *Commiſcuit autem pani*
Venena nocentia, ut omninò oblivifcerentur patriæ terræ.

Et apud *Virgilium L. VII. Æneid.* his Carminibus.

Picus equûm domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis,
Fecit avem Circe, Sparſitque coloribus alas.

De alia verò acceptione conſtat apud *Plautum in Pſeud. Act. III. Scen. II.*

. . . . *Medea Peliam concoxit ſenem.*
Quem medicamento, & ſuis Venenis dicitur
Feciſſe rursùs ex ſene adoleſcentulum.
Idem te ego faciam

Et *Lucan. Lib. 8. de Bell. Civil.*

. . . . . *& infuſo facies ſolidata Veneno eſt.*

A Veneno porrò, cùm pro malo accipitur, deducitur nomen] Venenarii. Sunt verò Venenarii propriè qui Venenis, maliſque Pharmacis in hominum perniciem utuntur. Venefici autem, qui Incantationibus occidunt, aut Venena venalia habent.

At hodiè plerumque in bonam partem accipitur Pharmaci nomen, & veneni vocabulum ſemper in malam partem ſuſcipitur. Quid verò Venenum ſit, & quibus hoc nomen tribui debeat, non ita planum eſſe ſcribit *Sennertus*, ob varias de hoc Authorum ſententias; nam ſæpè hæc vox Veneni transfertur ad omnia ea, quæ nocere poſſunt, ita *in Sacris*, Aſpidum Venenum in Calumniatorum linguis eſſe dicitur. Animadvertit autem optimè *Sylvius Deleboë*, omnia alimenta a mediocritate recedentia pro Medicamento, aut Veneno habenda eſſe, nam dicit, ipſe, alimentum judicamus quidquid aptum eſt in corpore noſtro ita mutari, ut aliqua ſui parte in ipſius habeat reſtaurationem; uti Medicamentum quidquid aptum eſt corpus noſtrum ità mutare, ut meliùs indè ſe habeat; Venenum verò quidquid ita mutat corpus noſtrum, ut ejuſdem intendat deſtructionem. Atque hâc diſtinctione poſitâ, non difficile erit explicare, quomodò Vinum eſſe queat homini, nunc alimentum, nunc Medicamentum, nunc Venenum. Vinum ſiquidem Venenum vocavit *Iſidorus Orig. lib.* 20. *cap.* 3. & *D. Hieronym. in libro*, quem *de Virginitate conſervanda* exaravit; Adoleſcentulas dixit, ita, Vinum debere fugere, ut Venenum, ne pro ætatis calore ferventi bibant, & pereant. Hinc eſt, quod apud veteres Romanos Fœminæ non utebantur Vino, niſi certis diebus Sacrorum cauſa; tali enim liquore impleto ventriculo, & hinc indè in omnes corporis partes diſperſo ejuſdem acido Spiritu, multos morbos oriri docuit *Frider. Fornerus de Temulent. lib.* 1. *Cap.* 9. ſic optimè cecinit. *Georg. Pictorius.*

Vina nocent Cerebro, faciunt quoque pectora cœca.
Ingenium frangunt nitidum, menteſque viriles,
Inſanos faciunt homines, ſine lege, modoquè.

Quod confirmat *S. Blaſius hom. contr. Ebriet.* his verbis.

Vinum

„ Vinum quaſi Tyrannus quidam arcem petit, & à ſummo „ vertice ingentes tumultus animo præbet, nulli rei, nec Prin- „ cipi quidem parcens, ſed ipſam primùm rationem in ſervitu „ tem adducit. Et *Cornel. à Lapid. Comm. in Salomon. Proverb.* ait. „ Fel Capiti venenoſum Vinum eſſe, ſapit enim in ore, ardet in „ ventre, fumat in capite, contundit ſenſus, vigorem confun- „ dit, imaginationem deſtruit, tollit mentem, viſum obnubi- „lat, nervos laxat, manus mobilitat, pectus inflammat.

Sed talia ſymptomata effectus Veneni ſunt, ideò benè cum *Dionyſ. lib. IV. Proverbior.*, & aliis multis Doctoribus. Vinum tamquàm Venenum eſt ſalutandum. A Poëtis etiam accipitur Veneni nomen pro amore, ſic *Virgilius Æneid. lib.* 1.

Occultum inſpires ignem, fallaſque veneno.

in quem Poëtæ locum, ſic ait *Lambert. Hortenſius*, metaphoricè amorem dicit *Virgilius*, quem & Venenum vocat, quo animus inficitur, perindè ut corpus aconito, & *Aſcenſius* ſuper eodem carmine intelligit pro veneno amoris incendium, quod Venenum per venas ut venenum diffluit, undè eſt in IV. *Æneid.*

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Imò deteriora mala ab amore, quàm à Veneno progigni ait *Joh. Bapt. Sitonus in Miſcellan.*; hoc enim corpus lædit, at ille ex *Ovidio* animam oſtendit auratis, plumbatiſve ſagittis, ejuſque omnes facultates, & operationes pervertit, & prohibet; imò nec corpori quoque parcit amor. Domina enim corporis Anima eſt, & ipſa malè ab amore affecta membrorum omnium, tùm principalium, tùm ſubſervientium, naturales diſpoſitiones agitat, & commutat. Veneni nomen inſuper pro morbo, vel affectu videtur uſurpare *Z. Serenus Sammonicus*, ut advertit in ſuis notis *Keuchenius* ſuper hoc carmine.

Noxia, ſi penitùs cholerum ſævire venena
Perſpicies. . . . .

Hugo

Hugo Cardinal. de S. Caro ſuper Pſalm. 57. & præſertim ſuper illa verba, & *veneficii incantantis ſapienter*; primò idem eſt quod virus, ſecundò idem eſt quod tinctura juxtà illud.

. . . . *Aſſyrio ſaturata veneno.*

Chriſtus ergo, ait ille, dicitur Veneficus, id eſt Tinctor, qui veſtes ſuas tinxit proprio ſanguine; undè Eſaias ait: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* Prædicatores etiam, & Prælati iſto modo dicuntur venefici, quia veſtes Domini, id eſt, Populos tingunt Baptiſmo, undè Baptiſmus interpretatur Tinctura. Alio autem modo dicitur Chriſtus, & Prælati, & Prædicatores venefici à virus, quia malos intoxicant ſecundùm illud II. *Corinth.* Aliis ſumus odor mortis in mortem: item, Dominus facit quandoque de veneno Theriacam, ut de pecatis perpetratis ſit homo cautior, & fortior poſt lapſum, & in amore Dei ferventior. *Eccleſiaſt.* 21. Fili, peccaſti, ne adjicias iterùm. Cæterùm ſumitur aliquandò nomen Veneni metaphoricè, quomodo, unum homini alteri Venenum & peſtem dicimus.

Viſo Veneni nomine, ad ejuſdem definitionem nunc deveniendum, quocircà Doctoribus datas Veneni definitiones varias videamus oportet, ut tandem meliorem ſecernamus. *Avicenna* igitur primò definit Venenum per id, quod corrumpit complexionem Spiritûs, per contrarietatem ſubſtantiæ ſpeciei ſuæ ad ſubſtantiam, & ſpeciem Spiritûs. *Galenus* Venenum dicit id, quod adverſiſſimum eſt Corpori, & à tota ſubſtantia illud corrumpit, ac naturam ſuperat, & vincit. *Mercurialis* ait, eſſe mixtum non naturale cordi inimicum, & naturæ humanæ corruptivum. *Capivaccius* definit Venenum per qualitatem corruptivam confertim cordis hominis. *Cardanus*, & *Zacchias* Venenum vocant Medicinam, quæ corrumpit temperaturam, non ſolâ qualitate, ſed naturæ occultâ proprietate. *Gordonius* materiam ſubtilem, aquoſam horribiliſſimæ qualitatis, à tota ſubſtantia permutantem humanum Corpus. *Ardoinus* vult, venenum eſſe id, quod ſua qualitate ſolùm principaliter per ejus proprietatem, ſeu ſpecifi-

cam formam corrumpit complexionem & ſubſtantiam Corporis. *Ferdinandus Cardinalis Ponzettus* illud dicit eſſe Venenum, quod ſuâ qualitate interimit eum, cui eſt contrarium, ex modo ſuæ mixtionis. Venena definivit *Foreſtus* per ea, quæ prorsùs humanæ naturæ ſunt contraria ex tota ſua ſubſtantia. *Ambroſius Pareus* inquit. Venenum eſſe id, quod vel admotum, impulſum ve, vel aſſumptum in humanum Corpus vim habet ipſum interficiendi; hinc cum *Galeno*, & *Avicenna Zacutus*, *Conciliator*, *Cœſalpinus*, *Joubertus*, *Valeriola*, *Nicolus*, *Baccius*, & *alii* multi, definientes Venenum in genere, aiunt eſſe illud, quod humani Corporis temperamentum deſtruit, vincit, atque permutat. *Paracelſus* omne id, quod naturæ noſtræ quodammodò adverſum eſt, Venenum appellavit. Illud, quod alimenti, & Medicamenti naturas prætergreſſum viventis calorem nativum corrumpit Venenum vocavit *Severinus*. Excrementa naturæ vocat Venena *Petr. Joh. Faber*, *Sennertus* illud eſſe dicit Venenum, quod occulto modo, & per ſe inſigniter, ac vehementer corpus humanum lædit, & hominem in vitæ periculum conjicit. *Mathiolus Dioſcoridis* veſtigia ſequens, id quod intra Corpus noſtrum aſſumptum, omnibus ſuis facultatibus prorsùs oponitur cibo, quo nutrimur, Venenum eſſe ait. *Wedelius* autem exhibet talem Veneni definitionem, eſt id quod ſubſtantiam, & qualitatem Calidi nativi corrumpit, eumque ſubjugat, & deſtruit magis, vel minus, ut compages principiorum vitalium fatiſcat, & machina moveri deſinat. *Caſpar à Reies* aſſerit, Venena eſſe, quæ verè deleteria, & à tota ſubſtantia nobis adverſa ſunt. *Petr. Gaſſendus* Venenum dicit id, quod Corpori humano communicatur transfuſione ſubſtantiæ ob ſubtilitatem, & mobilitatem corpuſculorum, ex quibus conſtat, vigorem ſpirituum hæbetans, & partium diſpoſitionem commutans. *Jacob Lemort* Venena definit Corpora, quæ contrariâ figurâ pororum, & meatuum inſtructa, ſuccum noſtrum fermentativum adeò corrumpunt, ut cæteræ ſanguinis maſſæ, & nervis ſuccus ille occurrens, eos vehementiùs vellicent, & malignè afficiant. *Coſpius* ſubſtantiam vocat cordi inimicam, & corruptivam humani corporis. *Wechlerus*, qualitatem, ſeu vim

quandam cordi, & membris inimicam, ac vitæ corruptivam. *Urſinus* corpus quod violenter deſtruit. *König*, quod ſui generis ſale volatili aëri fermentationem excitat in corpore, & ſubitò noxam inſignem, aut necem infert, cum graviſſimis ſymptomatibus. *Joubertus* Venenum dicit quidquid intrà Corpus aſſumptum ità corporis naturæ repugnat, ut vinci ab ea, & aſſimilari non poſſit, ſed è contrariò corpus immutet. *Capivacius* qualitatem corruptivam cordis hominis. *Locatellus* impurum naturæ excrementum contrarium alimento; ſi enim alimentum conſervat, venenum deſtruit. *Monavius* vim quandam veneficam in aliquo corpore poſitam. *Rinaldinus* rem præternaturam, quæ viventi corpori admota naturam corrumpit. *Georg. à Turre*, rem non naturalem calori cordis inimicam. *Friccius* Venenum eſſe ait, omne id, quod in parva quantitate magnas obtinet nocendi vires, vel quod ſpiritus, humores, & partes ſolidas corporis noſtri inſigniter lædit, corrumpit, & profligat. Tandemque nos cum *Jacob. Pancrat. Brunone.* Venenum definimus per id, quod Corpori noſtro quomodocumque communicatum illius univerſas, aut particulares quaſdam, eaſque principes, ac vitæ ſummè neceſſarias functiones, incomprehenſo modo, atque ferocia indomita adoritur, & lædit ſpiritus, humoreſque, præſertim ſanguinem, & balſamum nervorum corrumpit, coagulat, profligat, pervertit, & deindè partium quoque ſolidarum ſubſtantiæ corruptelam ocyus, tardiùſque inducit, & ita in ſummum vitæ diſcrimen conjicit. Hæc autem circa nomen, & definitiones Veneni dicta ſufficiant.

CAPUT III.

De natura Veneni in genere.

VENENI naturam inveſtigaturi *Platonem in Sophiſt.* & *Ariſtotelem in Rethor.* imitemur, id eſt, reſolvendo, & dividendo,

dendo, genus, & ſpecificam differentiam inveniamus. Cùm ergò Venenum omnes Medici, cum alimento è diametro pugnare aſſerant, & medicamentum & alimentum apud Medicos idem habebunt genus, ni mirùm, ut inter res non naturales ponantur, quemadmodùm eruditè docet *Theodor. Zvvingerus*; res enim non naturales dicuntur, quòd nec ſecundùm naturam, nec præter naturam ſimpliciter exiſtant, ſed tales evadere poſſint, alimenta quidem augendo, medicamenta verò corrigendo, Venena deniquè corrumpendo; ut enim alimentum dicitur, quia alere poteſt, & Medicamentum quia mederi; ita etiam Venenum, quia corrumpere ex ſua natura aptum eſt. Hinc natura Veneni eſt ſubruere principia vitalia, quorum nexu indiſſolubili vita propagatur, violenter verò deſtructo ſufflaminatur. Pollet autem Venenum, Sale, Sulphure, & Mercurio, machinæ humanæ peregrinis, ac deſtructoriis; Sicuti enim particulæ alimentorum ſunt benignæ, familiares, & ſubjugabiles, ſimiles ſaltem à poſteriori: Medicamentorum diverſæ, ut alium ſtatum, alterando, vel purgando, inducere queant. Ità Venenorum adverſæ, & internecionem partium ſpirantes.

Omnia verò Venena ſunt vel corroſiva, vel fermentativa, vel vaporoſa, vel mixta. In his quippe effectibus, vel qualitatibus vis Venenorum in genere conſiſtit. Corroſiva ſi fuerint, ventriculo, aliiſque partibus ulcerationem, & eſcharam inducunt, undè parte ad vitam abſolutè neceſſariâ deſtructa, neceſſum eſt machinam ipſam ſubrui, & principia vitalia deſtrui. Fermentativa quæ ſunt, motum præter naturalem, eumque vel abſolutè lethalem, vel ſummè periculoſum inducunt. Vaporoſa ſpiritus obnubilant, fixant, ſuffocant, deſtruunt; adeòque corroſiva ſolidis, fermentativa humidis, vaporoſa ſpirituoſis, mixta univerſis ſunt hoſtica. Quæ verò lædunt, licet de his non participent, venena, impropria, & per accidens tantùm dicuntur, ut ait *Joh. Chriſtian. Urſinus in Diſſertat. de Venenis*, quæ extat *in Tom. 4. Biblioth. Medicæ Clariſſ. Dom. Mangeti pag. mihi* 775. *lib.* 18. Vis igitur, ſeu nocendi facultas in Veneno conſiſtit in ſpirituoſa, ut ait *Wirdig. lib.* 2. *Cap.* 5. & ignea indole, vivida activitate, & præſentiſſima nocendi promptitu-

dine, ac malignitate : Exaltatur autem natura, & vis veneni ſecundùm *Serapium Cap. 9.* Si particulis Salinis etiam Sulphureæ impuriores admiſceantur; undè non excludendum ſulphur narcoticum, nimirùm, quia ſalia variis figuris donantur, teſte *Willyſio*, & *Boyleo*, aliter, atque aliter ob connubium particularum ſulphurearum efformantur, & à reliquorum principiorum admixtione ſapor nunc dulcis, amarus, acerbus, auſterus, acidus, acris emerget. In primis autem acredo in iis eſt conſpicua, unde aculeata ſunt, ac ſpicula habent, quibus in partes ſenſu præditas exquiſito agunt, eas vellicant, irritant, mordent, erodunt, exulcerant, ſpiritus proſternunt, fugant, diſſipant, humores turbant, incendunt, exagitant; unde vomitus, tormina, alui dejectiones, convulſiones, rabies, extremorum frigus, & alia dira ſymptomata exoriuntur.

Quærit *Zacutus de Medic. Princ. Hiſtor. lib. 5.* cur Deus, qui ſapientiſſimus rerum omnium Parens, Opifexque, poſtremum omnium, quæ ſub aſpectu cadunt, hominem condidit, ut Dominus eſſet eorum, quæ ſuper terram ſunt, & cæteris animalibus dominaretur, creaverit in ejus damnum, et perniciem Venena. Primum probat *Philo de Opif. mundi*, undè *Ovidius.*

Sanctius hic animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet
Natus homo eſt . . . .

Hinc apud *Geneſ. 1. Replete terram, & dominamini Piſcibuſ.* Quid aliud eſt hoc, niſi utimini Plantis, Metallis, Lapidibus, & ſub jugo ſervitutis omnes redigite animantes, & eſtote Domini eorum, quæ in agris vivunt, & quæ per aëra volant, & in mari verſantur. Si ergo ſummus Architectus hominem creavit Dominum, cur captivum, & veluti ſervum illum effecit, & tot Venenorum inſidiis obnoxium? Verum enim verò ego tres eſſe utilitates aſſero ob quas Dominus creavit Venena. Prima eſt, ut eſſent adjumento artibus multis, Tinctoriæ, Pictoriæ, Sutoriæ, Argentariorum, quæ omnes Venenis utuntur. Secunda, quoniam Animalia plura Venenis aluntur,

tur, nam Sturni, & Capræ veſcuntur Cicuta, ſues Hyoſciamo, Hirundines Cantharidibus, Coturnices Helleboro. Tertia, quia miſericors Deus non ſolùm utilia, ſed quæ inutilia videntur, & à natura humana longè diverſa, ea in hominum ſalutem ſapienter procreavit. Helleborus enim currat inſaniam, Acomitum Scorpionis morſus; Mercurius & Arſenicum ſcabiem ferinam, & morbum Gallicum; Imo *Galenus* utitur paſtillis Andronis, & Paſſionis, adversùs ſputum ſanguinis, qui parantur ex Arſenico, & Chalcantho, quibus, & aliis Cauſticis, tùm per os oblatis, tùm per ſedem infuſis ſæpè feliciter utimur; Denique fatentur Medici Venenum Veneno depelli, ut docet *Zacutus*; audiamus PLINIUM *lib. 2. cap. 63. Hiſtor.* „*Nat. Quin & Venena*, inquit, *terram noſtri miſertam inſtituiſſe* „*credi poteſt; ne ita tœdio vitæ diræ famis mors terræ meritis alie-* „*niſſima, lenta nos conſumeret tabe, ne lacerum corpus abrupta diſ-* „*pergerent, ne laquei torqueret pœna præpoſtera, incluſo ſpiritu, cui* „*quæreretur exitus; ne in profundo quæſita morte ſepultura pabulo* „*fieret, ne ferri cruciatus ſcinderet corpus; ita eſt, miſerta genuit* „*id, cujus facillimo hauſtu, illibato corpore, & cum toto ſanguine* „*extinguerεmur, nullo labore, ſitientibus ſimiles: qualiter defunctos,* „*non volueris, non fera attingeret, terræque ſervaretur, qui ſibi ipſi* „*periiſſet.* At PET. JOH. FABER diverſam tenet ſententiam, „*ut enim vita*, ait ipſe, *ortum habet ex Deo, qui omnium Vita eſt, ſic mors, & Venenum ortum habuit ex peccato in Creatorem ipſum commiſſo, quod quidem peccatum maledictionem fecit in natura, & ex hac maledictione orta ſunt excrementa in natura, quæ alioquin pura ſemper manſiſſet, & nulla excrementa feciſſet, & perinde nullis Venenis, & morbis fuiſſet contaminata.* Sic pariter à tempore peccati orta eſſe noxia, & præſertim Venena tradit *Simon. Majolus Canicul.*, quæ non inutiliter fuiſſe creata, imò potiùs utiliter conſtat, quandoquidem multa ab iis bona conſequi poſſumus; unde D. BLASIUS ait, *nihil inutiliter genitum, nam, aut alicui brutorum generi alimentum exhibent, aut etiam nobis ipſis à Medica arte in aliquod malorum ſolatium inventa ſunt*; Nam ex Viperæ Carnibus Theriaca homini ſalutaris fit. Undè *Euſebius de Præpar. Evang.* ait ſerpentes, & Venenata Animalia mul-

tos ad morbos remedia conferre; & ſicut bona, inquit LACTANTIUS *de ira Dei*, innumerabilia data ſunt homini, quibus frui poſſet, ſic etiam mala, quæ caveret; nam ſi malum nullum ſit, periculumque, nihil denique, quod lædere hominem poſſit, tolletur omnis ſapientiæ materia, nec erit homini neceſſaria; Cæterùm Venena non fecit Deus tanquàm exterminii Medicamentum, ſed potiùs, ut noſtro ſtudio mutarentur in grandia ſuis amoris pignora in uſuram Mortalium, contrà morborum ſævitiem; in illis nempe latitat ſubſidium, quod benigniora, & familiariora ſimplicia recuſant aliàs; ad majores, & heroïcos medentium uſus venena tàm horrida ſervantur. Aſarum enim crudum, quanta cum anxietate vomitum ciet; at quàm facilè ebullitione id recedit, mutaturque virus in deoppilans, diureticum, tardarum febrium remedium, quod occultatum in eo acoma vis ignis prodit. Sic Aron, quod in aceto ebullit, miteſcit, magnorumque caſuum medela fit. Arſenicum medicamen egregium ad Cancrum, item febrifugum de quo videatur. *Regn. Miner. Kônig.* Ex Napello contrà Apoplexiam remedium parat *Hannemannus.* Mirum etiam eundem Napellum, ut & Mandragoram, venenata cùm ſint, ſalutaria eſſe antiſpaſmodica ſpecifica remedia, referente *Hoffmanno Mat. Med. lib.* 1.

Aliam quæſtionem agitat *Ferd. Ponzetus de Venen. cap.* 8. *lib.* 1. an ſcilicet homo nutriri poſſit Veneno? Nonnulli negant, imò *Averroës*, ea quæ de hac re vulgò referuntur penè deridet, utiturque hac ratione; ſi homo nutriretur Veneno tota ſubſtantia, ſibi contrario; ſequeretur, hominem non ampliùs eſſe hominem, nam quidquid nutritur, ſuo ſimili nutritur; quod ſi homo nutriretur Veneno, neceſſum eſſet, ut ſit ſimilis Veneno; at ſi Venenum humanæ naturæ contrarium eſſet, ſequeretur hominem cùm veneni naturam induerit, non amplius eſſe hominem; verùm hominem in aliquod vitium, naturæ ſuæ contrarium degenerare poſſe abſonum. Contrarium tamen teſtari experientiam ait *Sennertus.* Hinc *Ambroſius Pareus lib.* 20. *cap.* 4. inquit, Venenum inficere corpora Animalium taliter, quod ſanguis animantium ſcammonium, Helleborum,

leborum, Tithymalum depaſcentium hauſtus purget mirum in modum; Itaque Medici lactantem puerulum purgaturi, cathartica Nutricibus exhibent, quo ſic earum lac purgandi vires nactum, pueris in Medicamentum cedat. Turdorum Juniperi baccas depaſcentium carnes, Juniperum redolent. Volatilia, quæ Abſinthio, aut Allio nutriuntur, amarorem, aut Allii viroſum odorem, ſaporemque eſitata proferunt. Aſelli cum Alliis capti, ſic Allium redolent, ut odorem illum, aut ſaporem, nulla ſalitura, nulla elixatione deponant. Cuniculorum Pulegio & Junipero nutritorum carnes, Pulegium, & Juniperum ſapiunt; contra, braſſica & ſanguine bubulo altorum, ingratum illum ſaporem, & odorem proferunt. Jubent Medici Capras, Vaccas, & aſinas, quarum lac Hecticis exhibere volunt, his, & illis herbis, quas ad hujus, aut illius morbi expurgationem valere autumant, multò ante, & quotidiè enutriri, non enim dubitare *Galenus* fatetur, quin ſucceſſu temporis animalium carnes immutentur à cibis, quibus veſcuntur. Itaque videtur Venena non poſſe mutari in ſubſtantiam Corporis humani, atque nutrire, ſed potiùs in ſuam venenatam naturam convertere hominem, qui Venena aſſumpſerit. Ad difficultates dirimendas *Mercurialis* dicit, hominem poſſe nutriri dupliciter, vel verè, & propriè, vel non verè, & impropriè. Nutriri propriè eſt, cum nutrimentum mutatur in ſubſtantiam nutriti; Non verè autem nutriri dicitur, quandò aliquid ſumitur, quod, tametſi in ſubſtantiam minimè convertatur, non lædit tamen; ſic dicitur Struthiocamelus nutriri ferro, non quia ferrum permutatur in ſui ſubſtantiam, ſed quia devorat ferrum, nec ab eo læditur. Si itaque nutritio impropriè accipiatur dici poteſt Venena nutrire, quandoquidem multa ſunt, quæ intùs accepta, minimè lædunt. *Sennertus* autem aliam circà hanc quæſtionem exhibet animadverſionem, ait enim diverſam Venenorum eſſe naturam, quædam nempè ut Arſenicum, nihil in ſe alimentoſum continent, ſed omnis eorum ſubſtantia aliena eſt à noſtra natura, & talia nullo modo nutrire queunt; Deindè ſunt alia, quæ quidem venenata ſunt, partes tamen aliquas, quæ alere poſſunt, obtinent; Tales ſunt

Plantæ,

Plantæ, & Animalia, quorum ſuccus, vel pars aliqua tantùm venenata eſt, & tale Venenum nutrire poſſe non eſt impoſſibile. Hinc *Braſavolus* noſter *Comm. in aphor.* 2 *lib.* ait, Venena frigida nutrire poſſe, calida verò non. Certum tamen eſt conſuetudinem eſſe veluti quandam adſcititiam naturam; fit enim, ut pleraque medicamenta continuatione, atque aſſuetudine, naturam ſuam, vimque amittant; ideoque ampliùs non ſunt medicamina, cùm enim à natura acceptantur, debellantur, & conficiuntur, atque vertuntur in nutrimentum; ità etiam dicendum de Venenis, conſuetudine non poteſt eorum vis cicurari, adeò ut aſſumentem lædere nequeant, quemadmodùm Hiſtoriæ paſſim teſtantur, & Opii uſum aſſiduum apud Turcas quis non novit? Mithridates maximus Rex ſuæ ætatis quotidiè bibere Venenum excogitavit, ut conſuetudine impenetrabilis à Venenorum malitia fieret, clandeſtinaſque epularum inſidias vitaret, eoque pacto tutum Corpus adversùs Venenorum pericula reddidit, ſic enim de eo *Martialis lib. V.*

Profecit poto Mithridates ſæpè Veneno,
Toxica ne poſſent, ſæva nocere ſibi.

Hujus etiam *Galenus* noſter meminit. *Ariſtoteles* referente *Langio in Epiſt. Medic.*, hortatus eſt Alexandrum Regem, ut à coitu Puellæ omni Veneris decore venuſtæ, ſed Napello nutritæ, caveret, quam Rex Indorum, ut illius contagione inficeretur Alexandro dono miſerat; Nec enim falsò iſta ex ſcintillantibus, & ſerpentium more nictabundis Puellæ oculis Ariſtoteles prævidit; nec omninò defuit eventus, nam quicumque cum puella ab Alexandro repudiata, concubuerant, ejus contagione infecti periere. De Tharſia Pharmacopola mentionem facit *Salmuth in notis ad Pancirol. rer. deperditar.* qui integros Hellebori manipulos citrà noxam devoravit, & concoxit, cujus frequentes potiones ob pharmaci aſſuetudinem Eudemum illum Chium, nec vomitu, nec alvi dejectione purgare poterant, ut eſt apud *Theophraſtum lib. 9. Hiſt. Plantar.* *D. Auguſtinus lib. 2. de morib. Manich.* meminit de muliere, quæ vel

vel lævi, vel ſine ullo valetudinis incommodo venenum hauriebat. *Albertus Magnus de Animalib. lib.* 7. Hiſtoriam recitat Colonienſis puellæ trium annorum, quæ comedebat innoxiè araneas in angulis domorum repertas. Et de Thracia muliere refert *Caſp. Schottus in Phyſic. lib.* 3. quæ ex manipulis Veratri gratiſſimum habebat obſonium, Porus Indorum Rex, quotidiano ſerpentum, & Venenorum eſu adeò venenoſus evaſit, ut cæteros homines, vel halitu, vel tactu, vel ſcreatu interficeret, ità ſcribente *Frommanno de Faſcinat. lib.* 2. *cap.* 3. Hiſpanos quoque aliquos, teſte *Petr. Martyr. lib.* 10. fuiſſe perhibetur in Pedagua Inſula novi Orbis, urgente victûs penuria, qui Buffones coctos comederunt. Patere igitur videtur ex adductis exemplis, Venena non ſolùm qualitatis exceſſu, ſed & verè talia, tàm quæ ex Plantis, quàm quæ ex Animalibus venenatis exiti alia habentur non ſolùm aliquandò non nocere, ſed in corporis alimoniam poſſe cedere, quemadmodùm nobiſcum ſentit quoque *Caſpar a Reies Camp. Elyſ. Jucun. quæſtion. n.* 63.

CAPUT IV.

De Venenorum differentiis.

NONNULLI Medicinæ Magiſtri, triplicem in Venenorum materiam differentiam aſſignant. Primam dicunt eſſe illorum, quæ naturâ venena ſunt, ut Napellus, Cicuta, & ſimilia, ad differentiam eorum, quæ ſuâ naturâ talia non ſunt, ſed fiunt cùm corrumpuntur à natura, ut Carnes, & Piſces putrefacti, vel parantur ab Arte, ut Aqua Stygia, Mercurius ſublimatus &c. Secunda differentia deſſumitur ab origine Venenorum, alia enim à Metallis, & Mineralibus, alia à Plantis, aliaque ab Animalibus proveniunt. Tertia vulgatiſſima illa eſt Venenorum differentia, quæ dividit Venena in agentia qualitatibus primis, & manifeſtis, in operantia à tota

ſubſtantia ut dicunt, & ab occultis qualitatibus, & in illa, quæ agunt occultis, & manifeſtis qualitatibus ſimul. Varia autem Venenorum genera ad duas tantum Claſſes revocat Clariſſ. D. *Lucas Tozzi* amicus meus ſemper recolendus, *Comm. in Aphor. Hippocr. lib.* 1. *Aphor.* 24. aut enim, ait ipſe, partibus ſolidis corporis ſunt infenſa, illaſque vel ulcerant, vel mortificant, aut liquidis, hoc eſt, humoribus adverſantur, & potiſſimùm ſanguini vitæ fomiti. Prioris generis multa ſunt, prout diverſæ ſunt partes, quæ ſpeciatim ab eis lædi ſolent, & quidem in hominibus, ſtupeſcit cerebrum ab Opio, coarctantur Fauces; & Guttur à ſolano, læduntur Pulmones à Marino Lepore. Colocynthis nocua eſt Inteſtinis, & veratrum nervis. Cantharides ſpeciatim cruciant Veſicam, & mictum cruentum provocant; atque id genus alia plurima ſunt, quæ aliquibus partibus iiſque ſolidis potiſſimùm adverſantur. Ad hanc quoque Claſſem ſunt referenda Arſenicum, ſublimatum, Sandaracha, Ærugo, & alia quæcunque cauſtica, quibus fauces, & Ventriculum contingit ulcerari, ac inflammari, & quod pejus eſt Grangrænam incurrere. Poſterioris autem generis ſunt, quæ ſanguinem contagione labefactant, illumque vel diſſolvunt, & in halitus extenuant, vel coagulant, & in grumos vertunt, ſed utraque motui ineptum, & vitæ inutilem reddunt. Ejuſmodi planè ſunt morſus ab Animalibus venenatis inflicti, Vipera, Scorpio, Phalangio, Cane rabido, plerique infuſi liquores per venas, aut arterias id ipſum efficiunt, ut de aqua Stygia, & de Oleo Tartari, de Spiritu Vitrioli, cæteriſque periculum fecêre viri Celeberrimi, ut Clariſſ. D. *Georgius Baglivus* in Romano Lyceo Lector, & amicus meus dum viveret, humaniſſimus, aliique de re medica optimè meriti. *Panarolus* verò triplex eſſe ait Venenum, ſcilicet, quod nocet Spiritibus, humoribus, & partibus ſolidis, juxtà cujus differentias diligens, cautuſque debet eſſe Medicus; nec credat Theriaca, Mithridatio, aut aqua Theriacali morbos omnes venenatos poſſe ſuperari; Inter Venena tamen, peſſima ſunt, quæ ſpiritibus adverſantur, tùm quia nobiliora Corporis occupant, tùm etiam quia difficulter cognoſcuntur; cùm enim non ſint viſibi-

viſibilia, ſed ut plurimùm aërea, per olfactum, vel reſpirationem Corpus ingrediuntur, non per cibum, aut potum. Hinc oritur, quòd ſæpiùs nulla ſuſpicio Veneni adeſſe poterit, eoque magis, quoniam, dum Venenum nondum radices fixit, aliqua accidentia cum aliis morbis communia apparent, quæ Medicum decipiunt. Diſtinguit inſuper Venenum *Clar. Friccius* in naturale, & præter naturale, in qua Veneni diſtinctione, non ad naturam Hominis, & animalis reſpicit; ita enim omne Venenum eſt præternaturale, ſed cauſam, & originem cujuſcumque Veneni: Nam aliud eſt Venenum morboſum, & ex putredine, & corruptione humorum pronatum, quale eſt Venenum Peſtilentiale, Febrium malignarum, Dyſenteriæ, variolarum, Luis Venereæ &c. Aliud quod à rebus naturalibus ſanis, incorruptis, in ſe perfectis, ſivè ſint mineralia, ſivè ſint vegetabilia, ſivè Animalia, ut Arſenicum, Opium, Cicuta, Napellus, Cantharides &c. Differunt etiam hæc Venena non tantùm origine, ſed etiam agendi modo, nam Venena præternaturalia in modum fermenti, humores in corpore noſtro corrumpunt, ac vitiant. At Venena naturalia præcipuè in partes ſolidas, & nervoſas, vim ſuam convertunt, atque eas corrodendo, irritando, vel ſulphur narcoticum iis inſinuando, ſopores, deliria, tormina, convulſionem, vomitum, ſingultum progignunt. Duas ſummas eſſe differentias omnium Venenorum ait *Joubertus*; quippè, vel qualitate manifeſta naturæ hominum inimica ſunt; aut à tota ſubſtantia eidem adverſantur. Duplex eſſe Venenorum genus ait *Craanen*, quorum primum corroſivum vocatur, alterum coagulans dicitur, ſuper quam Craanenii diviſionem ſcribit GREBNERUS verba ſequentia. *Venena, quæ noſtram corrumpunt ſubſtantiam, alia quidem intrà ſumuntur, alia extra veniunt, ſicut morſus eſt, & puncturæ, & ex primis, quædam incidendo, & corrodendo noſtram ſubſtantiam interficiunt, quædam verò reſolvendo ſpiritus Corporis noſtri, quædam Spiritus congelando.* Venena inſuper, vel ſunt in ſe talia, vel talia per accidens fiunt, & hæc Venenorum diviſio deſumpta eſt a *Frommanno de Faſcinat. lib. 3. par. 5. cap. 1.* In ſe talia ſunt, ait ipſe, quæ malignitatis characterem in ipſis generationis principiis accepêre, & deſumuntur

è Regno minerali ut Arſenicum &c. vel vegetabili, ut Aconitum &c. vel Animali, ut Bufones &c. per accidens talia evadunt, quæ non a primordio generationis, ſed poſteà ab alio extrinſecus accedente venenatam naturam acquirunt; Ita apud Cavernas Serpentum, & Bufonum herbas cordiales, ut Bugloſſum, Borraginem, Meliſſam, Violam, qualitatem induere venenatam teſtatur *Sylveſt. Ratzray de Sympath. & Antipath.* aut cùm res ſalubres horrendis imprecationibus à Lamia adhibitis, vim venenatam, aut lethiferam, Deo permittente, à Diabolo accipiunt. Præter allatas Venenorum differentias alias addit *Zacchias Quæſt. Med. Legal. lib. 2. de Venen.* nempè eſſe Venena quædam, quæ illitu, vel tactu, quædam olfactu, quædam ſimplici viſu, & auditu; de quibus tamen Venenis heſitare nonnulli videntur; minùs autem dubitatur de Veneno, quod tactu inficiat; *Odoard. Barboſa* ait, in Delii Regno arborem eſſe *Bananas* nomine, quæ radices tàm venenatas habet, ut tangentes, ſtatim perimant: Fructus verò pro antidoto ſunt; imò legitur aliquandò Venetiis peſtem fuiſſe concitatam, ex eo quod venefici quidam illitis oſtiorum annulis, ac peſſulis veneno lethaliſſimo, omnes penè ex contactu dictorum annullorum Veneno peſtilenti ſint infecti. Mirabilius etiam eſt, quod refert *Cardanus de Venen.* Turcas veneficia adeò præſentanea habere, ut eodem die ſolo contactu interimant. Prò Venenis ſolo olfactu interimentibus facit id, quod refert *Pareus lib. de Venen. cap. 7.* de Clemente ſeptimo Pontifice, qui extinctus eſt præeuntis facis toxico, per fumum in Corpus admiſſo. Alia exempla habentur in quibuſdam animalibus, quæ ſolo olfactu inficiunt, ut de Bufone teſtantur multi, quod vaporibus, ab eo expirantibus obvios homines ſtupefaciat; Quocircà legitur apud *Ovidium metamorph. lib. 3.*

Occupat hos morſu, longis amplexibus illos,
Hos necat afflatu, Funeſta hos tabe peremit.

Si ergò Venena, per olfactum ſuam exerere vim poſſunt, etiam per viſum lædere poterunt, ut etiam viſa terrorem incutiant

cutiant, Syncopem excitent, & alia ſymptomata. De ſe adhuc adoleſcente narrat *Zacchias*, qui ex viſù Tarantularum, ſtatim pallidus evadens vomitu multa rejecerit, atque nauſeabundus diem illam tranſegerit; Hiſtorias periculi ex viſione animalium Lector curioſus habere poterit in *Miſcell. Acad. Curioſ.* Pariter Animalia inveniuntur, quæ ſola voce, & exſpiratu inficere poſſunt; ex quo multi Antiqui Medici dixêre, Hominem poſſe per omnes ſenſus venenari, ut *Lucretius* demonſtravit canendo *lib. 6.*

Multa meant inimica per aures, multa per ipſas
Inſinuant nares infeſta, atque aſpera odore
Nec ſunt multa parùm tactu vitanda, nec autem
Aſpectu fugienda, ſaporeque triſtia, quæ ſint.

Componi quoque Venena penetrantia in Corpus humanum; ait *Cæſalpinus*, etiam illitis ſellis, equorum ſtapedibus, vulgò *Staffe*; non ergò mirum, quod traditur Herculem interiiſſe indutum linea veſte quæ ſanguine imbuta fuerat ejus, qui vulnus acceperat ex venenata Sagitta Hydræ Lerneæ. Servari enim venenum potuit in veſte, exſiccato ſanguine, quod à corporis calore excitatum vehementes cruciatus induxit. *Plinius* teſtatur in Triballis & Illiriis fuiſſe, qui interimebant illos, quos diutiùs intuebantur, præcipuè iratis oculis. Dividit præterea Venena *Zacutus Luſitanus* in præſentanea, & temporanea; illa ſunt, quæ citiſſimè interficiunt, & velociſſimè; hæc ad tempus, id eſt, poſt aliquot dies, menſes, vel annos. Nos verò poſtquàm viderimus aliorum diviſiones, plures eſſe Venenorum differentias aſſerimus, quæ omnes ad majorem Tractatûs noſtri dilucidationem ſingillatim percurremus. Primò igitur, Venena alia ſunt Corpori humano peregrina, ſeu illata: alia in eodem corpore humano producta; prima dicuntur propriè Venena, ſecunda maligna, peſtilentialia, ac Veneno analoga; undè differunt potiſſimùm quoad modum inficiendi; ſic alia inſpiratu lædunt, ut Peſtis ſeminaria, & morborum malignorum, quatenùs effluvia, ait *Urſi-*

nus in Biblioth. Med. Clariſſ. Mangeti Amici mei eruditiſſimi, Tom. IV. vel exalationes ex infectis corporibus Spirantes communicantur; Alia hauſtu, ut quæ ore aſſumuntur, alia ſolo contactu, ut illa, quæ foris nos contingunt, alia denique ex ictu, & morſu, cujus generis ſunt Animalia, quæ vel dentibus nos mordent; vel aculeo pungunt. Dicimus ulteriùs alia eſſe Venena externa, alia interna, quod ex dictis ſatis patet. Externa iterùm, vel vi illata, ut morſus animalium, vel inadvertenter, ut peſtis per poros irrepens; Interna verò, vel ore hauſta in Pulmones, vel deglutita in ventriculum, vel generata in maſſa ſanguinea, etiam citrà ullam extraneam, ſaltem immediatam communicationem, ſeu contagium; Alia eſſe magis cita, & activa, quæ præſentaneâ vi exiguo temporis ſpatio necant; alia lenta, temporaria, remiſſioris efficaciæ, quæ poſt multos demùm dies interimunt; priora tenuia erodentia &c. poſteriora craſſa, quæ minùs vaſa ſubeunt. Alia eſſe Homini, alia Brutis inimica, multa ſiquidem Homini ſunt Venena, quæ tamen aliis animantibus in alimentum cedunt, ob diverſum nexum principiorum vitalium, ſanguinis, & ſeri, aliorumque fluidorum. Sic Cicutâ Sturni veſci ſcribuntur; Hyoſciamo, & Mandragora ſues, Cantharidibus Hirundines, Serpentibus Cervi &c. Contrà verò Aloë medicamentum eſt hominibus utiliſſimum; non minùs, ac amygdala amara, Lupis, Vulpibus, ac Canibus verò Venenum; ut *Moebius Fund. Med.* docet. Alia Venena eſſe univerſalia, alia particularia, quæ diſtinctio, tùm in ſpecie humana, tùm generalis quoque de aliis valet. Univerſalia omnibus, atque ſingulis animalibus Venena ſunt, ut Arſenicum Mercurius ſublimatus &c. Specialia Venena in ſpecie humana, alia ſunt nervis, & Spiritibus inimica, ut ſolanum furioſum; alia Pulmoni, ut lepus marinus; alia ventriculo, ut corroſiva alia Veſſicæ, ut Cantharides, ardore, & mictu cruento infames. Alia partes ſpirituoſas, alia humidas, alia ſolidas magis afficere, imprimis verò cùm humidæ mediæ ſint inter reliquas, & quaſi vinculum quoddam, præcipuè etiam eaſdem pati certum eſt. Alia tandem eſſe vegetabilia, ut Aconitum, Napellus, Cicuta &c. Alia Animalia ſive toto, ſive parti-

partibus ſaltem, ut Scorpius, Vipera &c. Alia mineralia, ut Arſenicum, ſublimatus Mercurius &c. Nondùm innotuit Venenum inquit citatus *Urſinus*, quo in Gallia hactenus tot cædes patratæ ſunt in pulueris forma exhibitum, licet ſint aliqui, qui carnes Infantum, ex utero materno exciſorum (horrendum dictu) cùm aſpidibus, aliiſque confermentatas nominent. Ex iſtis differentiis Venenorum, inſurgit Quæſtio, an ſcilicet, quod extrà adhibitum Venenum eſt, etiam intus ſumptum Venenum pariter ſit, & è contrà? Undè *Celſus* ait, eſſe Venena quædam, quibus præcipuè Venatores utuntur, quæ non guſtu, ſed in vulnere nocent; idem docet GALENUS 3. *de temper.* dum ait, *quemadmodum, quæ intùs aſſumpta perimunt, foris adminiſtrata non nocent.* Idem aſſerit PLINIUS *lib.* 29. *cap.* 4. Scribendo; *Sed, & Venenum Aſpidum, ſi ſanguinem attingit, aut recens vulnus, ſtatim interimit; inveteratum ulcus tardiùs; de cætero potum quantalibet copia non nocet.* Et hoc in ſuis experimentis circà Viperas clariſſimè oſtendit Illuſtriſſ. *Redi.* Hinc *Sennertus*, & *Fabius Columna* inquiunt, quædam eſſe Venena, quæ, niſi ſanguinem attingant, non nocent; quædam verò intrò quomodolibet accepta in doſi quoque parva, non vacent periculo, ut Helleborum album, Aconitum, Napellus &c. Serpentum verò Venenum, niſi ſanguinem attingat non nocere, jam ſatis eſſe exploratum, etiam intrò ſumptum, niſi ulcere ſint inteſtina affecta. Verùm poſteriorem ſententiæ hujus partem impugnat *Cardanus de Venenis lib.* 1. quod enim quæ aſſumuntur, non ſemper admota perimunt, præter experimentum, etiam rationem ſuadere ſcribit, quoniam minorem vim habeant; Quod verò Venenorum, quæ exteriùs admota perimunt, ullum interiùs aſſumptum non occidat, ſe nondum noviſſe ait; & neque nunc inventum eſſe, neque in poſterùm uſque in æternum inveniri poſſe, quæ interiùs aſſumpta non perimant, vulneri verò admota perimant tanquàm Venena. Scillam equidem, Cæpas, Allium, & ſimilia, vulnera efficere ſæviora, horum tamen nihil Venenum eſſe, & omninò ratio *Cardano* favere videtur; an verò contrarium experientia teſtetur, obſervare periculoſum.

CA-

CAPUT V.

De ſignis Diagnoſticis Veneni in genere.

TRiplex ſignorum Diagnoſticorum in Venenis ordo aſſignatur à *Cardano* : primò nempè ſigna illa exponit quæ rem Venenatam eſſe patefaciunt; Secundò, quæ Venenum, dùm ſumitur ; indicant ; Tertio , quæ Venenum jam ſumptum detegunt. Videamus igitur in præſenti Capite ſingillatim omnia hæc ſigna, omniaque alia ab aliis Doctoribus , quoque tradita, ut nihil ſicco pede tranſeamus in hac Venenorum materia.

Primi ordinis ergo ſigna ſumi docet cum *Sennerto* citatus Auctor, à ſapore, odore, colore , tactu &c. & effectu ; Saporem quòd attinet , dicit omnia Venena ferè eſſe acria , & amara , & ſaporis abominabilis; hoc tamen de omnibus verum non eſt ; Saporis enim expertia Venena aliqua eſſe, docet pulvis, quo interfectus eſt Alexander Sextus, ut tradit *Jovius* ; Inter ſimplicia de Colchico Ephemero ſcribit *Dioſcorides*, quod ſaporis ſuavitate , & dulcedine imperitos alliciat; & de Aconito *Aëtius* refert , quod ſit guſtu dulce , & adſtringens. Secundò pravi eſſe odoris Venena ait *Cardanus* ; attamen de omnibus hoc eſt falſum , nam Arſenicum nullum habet odorem gravem & tamen Venenum eſt; ita nec color quidquam certi docet , cùm certum ſit, inter res eodem colore præditas , alias eſſe Venenatas, alias non. Itaque vix aliud ſignum certius datur , quam ipſe effectus , nimirùm experientia docuit, ſerpentes , Scorpios , Araneas , Aconitum , Cicutam , & hujuſmodi alia , Venenata eſſe , ſi quis tamen aliquâ re Gallinas, Caneſque interire videat, & id de Venenum homini deleterium eſſe poſſe non levis ſuſpicio eſt. Eodem modo , nec Venenum , dum ſumitur certis patet notis ; equidem ſi talia adſint ſigna, & homo in ore aliquam inſignem mutationem, & ſaporem abominabilem percipiat, & in faucibus ardorem ſentiat,

id

id omninò ſuſpectum eſt ; ac proindè, ſi quis inſigniter malè habere incipiat, dicatque ſe in Cœna, vel Prandio præcedente abominabilem ſaporem, faucium ardorem, vel aliam in ore inſignem mutationem percepiſſe, id non leve in Cibo, vel potu propinati Veneni indicium eſt ; ſi tamen hæc ſigna abſint, non licet inde concludere, hominem Venenum non hauſiſſe : fieri enim poteſt, ut nullo modo ſe ſe ſapore Venenum prodat.

His habitis de ſignis Veneni, ſeu hauſti, ſeu extrà in Corpus immiſſi dicemus ; Et quidem Veneni præſentanei hoc commune ſignum eſt, ait *Sennertus*, quod ſtatim maximam in corpore mutationem efficit & hominem in vitæ periculum conjicit ; Etſi enim, & ex Veneno intùs genito, varia, & gravia ſymptomata excitari, imo homo mori poſſit, tamen multa ſigna ſunt, quibus diſcerni poteſt, an Venenum intùs genitum, an verò extrà aſſumptum ſit ; Primò enim intùs genita Venena, antequam extremum periculum inferant, ſe ſe ſignis quibuſdam priùs produnt, cùm pravas humoribus diſpoſitiones imprimant ; quas planè latere impoſſibile eſt ; ſi verò extrà Venena ſint admiſſa, nullo tali ſigno præcedente, homo aliàs ſanus in periculum mortis ſtatim conjicitur ; non tamen ex eo quod ſymptomata tardè, vel longè ab aſſumpto cibo, aut potu ſe ſe produnt, concludere licet, Venenum extrà fuiſſe aſſumptum. Si tamen id accidat, Veneni ſumpti certum indicium eſt ; etenim Venena variant, & alia citiùs, alia tardiùs ſe ſe produnt, ſicut id è Veneno Canis rabidi manifeſtum eſt & Venena temporanea eſſe anteà dictum eſt ; Modus autem invadendi diverſus eſt in Veneno intùs genito, & extrà aſſumpto ; nam in Veneno intùs genito, paulatim ſymptomata ſuperveniunt, neque omnia ſimul, ſed unum poſt aliud ; In Veneno autem extrà aſſumpto, multa ſimul apparent ; & natura à Veneno ſtimulata, turbulentas vomitiones inſtituit, & omnia ſurſùm, deorſùmque inordinato motu feruntur natura omnibus viribus nitente, ut ſubitò hoſtem improviſum vincat, & à ſe repellat ; Ulteriùs Venena aſſumpta, non ſolùm multitudine ſymptomatum ſe produnt ;

ſed plerùmque talia ſymptomata habent, quæ ab intus genito Veneno provenire non poſſunt; & non leve Veneni extrà aſſumpti indicium eſt, ait *Galenus de loc. affect. 6.* ſi is, cui talia ſymptomata accidunt, corpore ſano, & bonis humoribus ſcatente prædit us, cibiſque bonis fuerit enutritus; non enim credibile eſt, hominem talis corporis conſtitutione donatum, tam ſubitò, in tam ſævum morbum, tantis comitatum ſymptomatibus incidere poſſe; Præterea Venenum intùs genitum plerumque cum febre ſe prodit; & morbus periodos certas, & quaſdam remiſſiones habet; At Venena extrà aſſumpta ſemper hominem affligunt, nec ullam quietem concedunt; donec, vel à natura vincantur, vel ipſam naturam vincant, & hominem interimant; Pariter agnoſcitur Venenum alicui exhibitum eſſe, ſi id, quod vomitu rejicitur, cibo mixtum Cani devorandum exhibeatur, ſi enim indè vel lædatur, vel moriatur, certum id Veneni eſt indicium; Inſuper Veneno ſumpto Ructus accidi, fœtidi, & ſaporis mali accidunt, Vomitus, & alvi profluvia, vires labuntur, pulſus depravatur, ac deficit; accedit Cordis palpitatio, Lipothymia, Syncope, ac tandem Mors; Accidunt præterea Vertigo, Tremor, Convulſio, mordicatio Ventriculi, ſudores frigidi, lingua intumeſcit, extrema refrigerantur, venter interdum intumeſcit quoque, maculæ paſſim in corpore erumpunt; & quidem iſta ſymptomata omnia ſunt atrociora, quam ea, quæ à Veneno intùs genito accidere ſolent: Verùm non eadem ſemper ſymptomata in omnibus, qui Venenum ſumpſêre, accidunt; ex varietate enim Venenorum, varia pariter emergunt ſigna, ut in ſpecialibus cujuſque Veneni capitibus oſtendemus; Venena verò, quæ vel morſu, vel contactu, vel aculeo Animalium inferuntur, his ſignis imprimis ſe produnt; quod ſcilicet dolor partem ſtatim afficit, pars ipſa inflammatur, & tandem mortificatur. *Fortunatus Fidelis de relat. Medicor.* loquendo de ſignis communibus Venenorum ante obitum hæc habet; Veneno hauſto obſervant Practici, ſiquidem cum cibo aſſumptum ſit, ſtatim toto corpore onus præſentiri, & evomunt quæ horribilem ſaporem præbent, inſolitas oſcitationes patiuntur, modò li-

veſcunt,

veſcunt, modò palleſcunt, quæ mutatio magis conſpicua eſt in labiis, in Unguibus, idem arguunt magnæ jactationes, nulla quies, oculi ſanguinei, pulſus turbatus; ac frigus partium extremarum, cum repentina coloris in vultu mutatione; ſciendum etiam eſt non ore tantùm aſſumpta Venena enecare homines poſſe, ſed etiam in enemate ſupponi ſolent, ſæpè ſub ſpecie remedii vulneribus, ulceribuſque admoventur; tela Veneno illinuntur, atque incendiario etiam pulveri commiſcentur, horum autem ſignum eſt, quod ſemper pars affecta, dolore, inflammatione &c. infeſtatur. Notandum tamen, ſolemnem eſſe intumeſcentiam Corporis poſt Venena aliqua aſſumpta, & præſertim cauſtica, quæ ſpaſmodica conſtrictione, & corroſione tragædias ſuas ludunt; Conſtrictis enim poris humores ſubjecti in fermentationem addacti vapores emittunt, quibus cùm liber tranſitus denegetur, non mirum, ſi attolunt, & extendunt circumjacentes partes.

Quæſtionem movent aliqui, an ſcilicet poſſet cognoſci humanum Cadaver Veneno necatum? Negant equidem id multi; & experientiâ id probare conantur, atque ejus rei exemplum ex *Tacito* afferunt, qui *lib. 3. Annal.* ait; *Vulgatum erat miſſam à Cn. Sentio famoſam Veneficiis Martinam ſubita morte Brundiſii exſtinctam, Venenumque nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitii reperta.* Idem de Cleopatra, & Antonio dicunt, in quorum Corporibus, quamvis Veneno exſtinctis, nullum penitùs indicium Veneni extitit. Verùm enim verò plerumque etiam in mortuis Venena ſe ſe ſatis produnt; Hinc Galenus *6. de Loc. affect.* inquit, *cùm homo ſuâpte naturâ humoribus probis abundans, ac ſanorum more educatus, de repentè moritur, ut lethali Veneno aſſumpto fieri ſolet, deindè corpus, aut livens, aut nigricans, aut varium, aut diffluens, aut putredinem moleſtam olet, hunc Venenum ſumpſiſſe aiunt.* Et omninò fieri ſolet, ait *Sennertus*, ut *ii*, qui Veneno ſunt mortui, paulò poſt mortem toto corpore colorem, primò citrinum, aut ſubviridem, & poſt unam, vel duas horas lividum, aut nigrum acquirant, quod ab humorum vitio accidit, cujus rei exemplum habet *Galenus 5. de loc. affect.* de quodam ſervorum

Imperialium, qui cùm à Vipera morſus eſſet, ei totius corporis color ità mutatus eſt, ut porri colorem referret; Ego pariter anno 1701. Ruſticam obſervavi ex eſu fungorum Venenatam, cui corporis color de repente citrinus evaſit ad inſtar ictericorum.

Nonnulli alia ſigna addunt, nempè, quod ungues poſt obitum nigri appareant; aſt hoc in aliis Cadaveribus naturali morte denatis paſſim ego notavi; Ulteriùs Capilli defluunt, ita ut interdùm abſque ulla violentia integri manipuli poſſint evelli; *Plinius* Cadavera Veneno mortuorum, neque à feris, neque ab avibus deguſtari ſcribit *lib.* 2. quod etiam ſignum competit corporibus peſte infectis, undè *Lucretius* cecinit *lib.* 6.

Multaque humi cum inhumata jacerent Corpora ſuprà
Corporibus, tamen alitum genus, atque ferarum,
Aut procul abſiliebat, ut acrem exciret odorem,
Aut ubi guſtarat, languebat morte propinqua.

Alii inter ſigna hauſti Veneni hoc habent, nimirùm, quod Cor Veneno interemptorum igne conſumi nequeat; Quocircà SUETONIUS *in Caligula*; ubi de Obitu Germanici ſcribit, ait, *Antiochiæ obiit non ſine Veneni ſuſpicione, nam præter livores, qui in toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant, cremati cor inter oſſa incorruptum repertum eſt, cujus ea natura eſſe exiſtimatur, ut tinctum Veneno igne confici nequeat*; Et PLINIUS de Corde ipſo ſcribit; *Negatur cremari poſſe in iis qui cardiaco morbo interiere; negatur & Veneno interemptis, Certè extat Orationis Vitelii, quâ reum Piſonem ejus Sceleris arguit, hoc uſus argumento: palamque teſtatus, non potuiſſe ob Venenum cor Germaniâ Cæſaris cremari*; & AVICENNA *de Vir. Cord.* ſcribit, Cor à Venenis impenſè congelari, & exſiccari. Sunt tamen aliqui, qui in Sectione Cadaverum certa indicia Veneni ponant; ideóque ſi aliquandò ambigua res eſt, Thoracem, imum Ventrem aperiunt, ductuſque omnes, ac viſcera perſcrutantur; nam ſi eroſiones, putredines, peſſimi ſucci collectiones, maligni tumores, & alia hujuſmodi apparuerint, de Veneno certiores ſe

factos

factos eſſe exiſtimant. Ego verò cum *Fortun. Fidel. de Relat. Med. lib.* 4. nequaquam ignoro cæteris etiam quos interni affectus, aliis verò quæ Venena, ſuſtulerunt, viſcera multis modis inquinata, fœtidaque ſæpè numero apparere, ut jam in hujuſmodi Corporum inſpectione nequaquam perpetua eſſe poſſit Veneni conjectura. Attamen quemadmodùm, ſi quiſpiam ſalubriter agens, repentè concidat, atque inſolitam putredinem exteriùs præ ſe ferat, hunc Venenum ſumpſiſſe veriſimile eſt, non diſſimilis ratio in internis partibus eſſe mihi videtur; nam ſi quis integra uſus valetudine, repentinò intereat, poſtea autem diſſecto corpore certa aliqua vitia in viſceribus diſpicias, quæ non vulgarem arguant malignitatem, non equidem errabis, ſi quidpiam de Veneno aſſeras, Notandum denique Clariſſ. D. *Caſp. à Reies in Camp. Elyſ. Jucund. Quæſt. N.* 64. pro concluſione defendere, Veneni externi ab interno dignotionem, difficillimam, aut fermè impoſſibilem eſſe, quia ſigna omnia, quæ Venena aſſumpta ſequuntur, etiam pendere poſſunt ex Venenoſo humore intrà Corpus genito, atque ideò nullo modo Medico licere certam proferre ſententiam, cùm certa demonſtratione omninò careat: aliundè verò, quàm à medicina jus dicendum, & tanti facinoris cognitio inquirenda; non enim, ut prodeſſe poteſt, aſſumpti Veneni ſuſpicio ad vitam defendendam, adhibitis auxiliis, quæ Venenis adverſantur, ita ad Capitis pœnam infligendam eadem ſufficere putanda eſt; *Victoriis* enim ait, plures vidiſſe homines emortuos, virides in facie, nigros & tumentes, qui tamen à Veneno aſſumpto non obierant. Plura de ſignis generalibus diagnoſticis Venenorum cupienti dabunt *Mercurialis*, *Zacchias*, *Coſpius*, *Pareus*, & *Ant. Le Grand in Curios* &c.

CAPUT VI.

De Prognoſi Venenorum in Genere, ac de Præcautione.

VIsis Veneni ſignis diagnoſticis, nunc ad prognoſtica pergamus, ut ſic inceptam ſequamur telam, & nihil

intactum, quod ſpectet ad Venenorum Tractatum relinquamus. Morbi ergò omnes à materia Venenoſa illati periculoſi ſunt, & niſi idonea remedia ſtatim adhibeantur, homini mortem afferunt, & omninò longè pauciores ex iis, qui Venenum ſumpsêre, ſervantur, quàm qui pereunt. Quò major copia Veneni ſumpta eſt, eò hominem faciliùs interimit. Si verò prorsùs exiguâ quantitate ſumptum ſit, interficere non poſſe, ait *Sennertus.* Mediocriter verò ſi ſumatur, hominem quidem non ſtatim, ſed ſenſim, & lentè perimit. Si prava ſymptomata minuantur, ſalus ſperanda. Lethalis morbi ſignum eſt; ſi Venenum neque per Vomitum; neque per alvum ejiciatur; ſi verò in locum aliquem corporis ignobilem propellatur, ſpes eſt ſalutis; ſi ex uſu remediorum æger meliùs ſe habet, bonum, non tamen extrà omne periculum ſe conſtitutum putet, ſæpè enim à Veneno maligna diatheſis corpori imprimitur, quæ pertinaciter hæret, & poſt longum tempus ſe prodit. Venena, quæ præſentanea ſunt, & temporanea evadunt, partemque aliquam erodunt, vel vitiant, V. G. Pulmonem &c. tardiùs occidunt, pro morbi, quem inducunt ratione. Venena temporanea, quæ nullam partem primariò lædunt, ſed latentia ſe ſe exerunt, vix poſſunt expugnari, ſed patientem interficiunt, ità quæ diù in corpore ſubſtiterunt, & longo inquinavere tempore; undè etſi Venenum Canis rabidi diù ſatis latere in corpore humano poſſit, tamen ubi ſe exerit, & hydrophobia accedit, non ampliùs homo vivere poteſt; ſed de ejus vita actum eſt; Arte parata Venena magis difficulter curantur quàm quæ talia à natura producta ſunt; De hac re plura cupienti dabunt *Georg. à Turre lib.* I. *de Hiſt. Plantar. Cap.* 31. *Sennert. Ardoynis*, *Mercurialis &c.* Modum aperit Clariſſ. MATTHIOLUS *Comm. in 6. Dioſcoridem* quo homines ſuſpicioſi Venena præcavere poſſint, ait enim *pleroſque eſſe, qui putant, non parvam eſſe Principibus cautionem, mandare adminiſtris, ut edulia, quæ proponuntur edenda, priùs deguſtent, quæ tamen res in ſuſpicione Veneni tribus de cauſis nihil, aut parùm æſtimanda videtur, ſiquidem ſi Pincerna, ſive qui cibos ſuis Dominis apponunt, veneficium committere decreverint, ſe ipſos facile priùs præparare poſſunt valentiſſimis antidotis, Veneno illi acco-*

modatis, *quod exhibere in animo eſt*; *undè ſibi ipſis præcavebunt*, *Dominum autem interficient*. Ex quo ſatis liquet nihil prodeſſe ad præcavendum, quod Pocillator inſervatæ fidei ſignum Domino præbibat, & eduliorum diſſector præcomedat. Adde deindè, quod quamvis ille, qui edulia miniſtrat, menſæque apponit, à Coquo veneficium faciente deceptus, cibos Venenatos prægustando aſſumat, eorum tamen adeò modicam quantitatem prægustat, ut nullam, aut parvam, eo temporis momento poſſit moleſtiam percipere. Ultima accedit ratio, quod ferè omnina Venena, quæ ut interimant cibariis admiſcentur, eâ arte, eoque ingenio, parata ſint, ab impiis Veneficis, ut non niſi temporis intervallo ſuum triſte perficiant opus; His igitur de cauſis, illud liberè proferre non dubitaverim cum citato *Matthiolo*, quod nullam meliorem, ac tutiorem præcautionem ſibi comparare poſſunt Principes, quàm curare, ut vitam Chriſtianam, & integram ducant, juſtitiamque regant, ita ut Populi eos pariter venerentur, & timeant: Curent deindè, ut habeant miniſtros, quorum manibus edulia adminiſtrantur, non ignobiles, nec obſcuro loco natos, ſed præclara è Stirpe genitos, fideles, nec avaros neque invidos, & qui diù anteà moribus ſint probati, in quos prætereà debent, frequenter non parva conferre beneficia, ita enim ſemper gratos, & fideles miniſtros habebunt: quin, & Medicos ſibi adjungant, qui Medicæ materiæ peritiſſimi habeantur, ut antidota, quæ contrà Venena parantur, ut ſunt Theriaca, Mithridatium, Oleum noſtrum Contra-peſtem dictum, vulgò *del Caſtagna*, alia hujuſmodi componere poſſint. Nam ſi talia remedia legitimè parata fuerint haud dubiè poterit unusquiſque facilè Venena præcavere. Ulteriùs Vaſa Auro, & Argento conflata, munda, nitidaque ſerventur, & hominum fidelibus manibus committantur, quandoquidem; in ejuſdem præcioſis Vaſculis Venena faciliùs abduntur, quàm in vitreis, aut fictilibus: Vaſa prætereà quibus Ciborum condimenta reponuntur, clauſa, & cooperta ſerventur, ut ne aranei, neque Scorpii, nec aliud virulentum reptile, vel Inſectum ingredi poſſit, imò caveatur, ne cibi coquantur in vaſibus Ære conſla-

conflatis, dummodò ſtanno non ſint ea tamen circumlinita; Diligenter quoque cuſtodiantur Cubilia, & Veſtes, Equorum Sellæ, habenæ, & alia hujuſmodi, ex quorum Venenatorum, tactu, Veneno poſſunt Homines affici. Hinc notandum, varia eſſe, quæ peculiari naturæ dote præſens Venenum ſignis manifeſtant; Ita ferunt linguam ſerpentis, præſente Napello, aut Vipera, exſudare; Lapidem Praſſium ad Veneni præſentiam ſplendorem amittere: Lapidem Bufonis commendant alii, Oculos ſerpentis in Inſula Melita: Cornu Monocerotis, pocula è fraxino parata, lapidem Bezoar, Smaragdum, Saphirum, Adamantem, Hyacinthum, Corallium, Achatem, Succinum &c. de quibus videatur *Jacob.* WOLFIUS *in* ſuo *Scrutinio Amuletorum pag.* 401. Inſuper circà cuſtodiam à Venenis, audiri meretur CARDANUS *lib.* 3. *de Venen. cap.* 1. qui ſic ait. Oportet, ſunt ipſius verba, eum, qui ſe vult cuſtodire à Venenis, Fidiſſimos habere famulos, ut etiam ego ſuprà innui, *Veſtes ſpargere* Ruta, & Scordio, *devitare Convivia omnia, abſtinere a ferculis valdè mixtis, etiam a vehementer odoratis, dulcibus, atque acribus, in hujuſmodi enim rebus ſolent abſcondi Venena.* Vitare debet fungos, Anguillas, & Ranas, herbaſque omnes ſub quibus animalia Venenata latitant, ut Salvia, Helleborus, Hedera, Fœniculum &c.

CAPUT VII.

De Curatione Venenorum in Genere.

PRæcipua indicatio affectionum ortarum à Venenis aſſumptis eſt, ut quanto citiùs poſſit, Venenum expellatur è Corpore, &, ſi poſſibile eſt per eandem viam, per quam habuit ingreſſum, habeat & regreſſum; Deindè, ut idoneis alexipharmacis expugnetur. Verùm, cùm alia ore aſſumantur, alia extrà corpori adveniant, & immittantur, & quidem vario modo,

modo, de ſingulis ejuſmodi modis in ſpecie dicendum. Primò itaque Vomitus eſt excitandus, inde Cordialia, Alexipharmaca ſunt exhibenda; Hinc notandum, Cordialia ab Alexipharmacis differre per hoc, quod Cordialia cor roborent, ac Spiritus, ut Veneno faciliùs æger reſiſtere poſſit; Alexipharmaca verò Venenum propriè expugnant; Cordialia ergo poſſunt eſſe v. g. radices Tormentillæ, Dictamni albi; Folia Borraginis, Acetoſæ, Meliſſæ, Flores Violarum, Roſarum, Tunicæ, Borraginis; Semina Citri; Cortices ejuſdem Citri, & Succus, Crocus, Cinnamomum, Cornu Cervi, Margaritæ, Moſchus, Corallia, Terra Sigillata, Bolus Armenus; Syrupus de Succo Citri; Acetoſæ, Aurantiorum; ſpecies Diamargarit; Confectio Alchermes, Electuarium de Hyacintho, & ſimilia; Alexipharmaca verò poſſunt eſſe Theriaca, Mithridatium &c.

Advertendum tamen cum *Avicenna*, nè qui Venenum ſeù ore hauſit, ſeu extrà in corpus recepit, dormiat; quia referente *Sennerto*, in ſomno Venenum ad Cor, & interiora viſcera facilè penetrat; Quod ſi Venenum à Ventriculo in Inteſtina deſcenderit, clyſteribus emollientibus utendum, & levia purgantia uſurpanda; Abdomen inungendum Oleo Caravitæ Matthioli, cujus deſcriptio apud *Sennertum Pract. lib. 6. part. 5. Cap.* 8. & Oleo noſtro Contra-peſtem vulgò *del Caſtagna.* Poſſunt etiam inungi Pulſus, Pedes, Tempora, & regio Cordis. Sunt qui ſuadent, ut Equi, vel Muli, aut aſini recens aperti adhibeantur, & in calentem ejus ventrem corpora Venenata immittantur, ut calore eorum Venenum ad partes exteriores evocetur, quo remedio ſunt uſi, ut narrant Hiſtoriæ, *Alexander* VI. *&* *Cæſar Borgia*, ſed primus mortuus eſt, alter convaluit; Venenum enim in Vino potavere; Si verò Venenum ſuperſit, & reſiſtat, ſudoriferis utendum, & alexipharmacis inſiſtendum. Lac in cibo, ac potu exhibeatur, omniaque Oleoſa, præſertim in curatione corroſivorum Venenorum, adhibeantur, ut Oleum, Butyrum &c. Si autem Venenum, per vulnus, aut per morſum extrà in Corpus immittatur, tunc curandum, ne ad interiora pertingat, aut ſi quid Veneni in arterias ſe ſe jam inſinuavit, & extrahi non potuit id alexi-

pharmacis expugnetur. Ad extrahendum Venenum, medicamentis, & Chirurgia uti licet; medicamenta ſunt, Pyrethrum, Ariſtolochia; Cyclaminus, Piper, Bryonia, Fel Tauri, Calx viva, Stercus Caprinum, Galbanum, Opoponax, Euphorbium, Sulphur, Fermentum, & ſimilia; Poſſunt tamen, & quæ mitem habent calorem, utilia eſſe, ut Pulli, vel Hædi vivi, per medium diſſecti, & calentes adhuc impoſiti; Prodeſt ulteriùs Oleum Scorpionum, Arenearum, & ipſa Animalia, quæ Venenum intulere, impoſita, & ſimilia; Dequo Galenus *de Theriaca. ad Piſon. Demorſis à Crocodilo, Crocodilinum adipem ſummè contuliſſe novimus obtritis membris impoſitum; Muris Aranei morſus, ab eodem Mure Araneo contuſo, & impoſito, ſine dolore ſanatur* &c. Sic Draco Marinus, momente *Sennerto*, diſſectus, impoſituſque ictui proprio medelam affert, & Paſtinaca, teſte *Plinio*, contrà Suum ictum valet, & de Scorpione res jam eſt nota, de quo *D. Serenus* cecinit.

Et quum vulnus atrox incuſſit Scorpius ardens,
Continuò capitur, tunc digna cæde retuſus
Vulneribuſque aptus fertur revocare Venenum.

Sic pariter Araneum mortuum, ictui aranei imponi jubet *Cardanus*, ut & Veſparum ictibus veſpas contritas. Ulteriùs, ne Venenum liberè ſerpere poſſit prohibetur, ſi vaſa, quæ in locum affectum tendunt, loco Superiore vinculo rectè conſtringantur; Interdùm etiam partem læſam præſcindere præſtat, quàm de vita periclitari: Si nimirùm talis pars ſit ut, ſine periculo vitæ, abſcindi poſſit, ut digitus manûs, vel pedis, id, quod Paſtor ille penès *Galenum 3. de loc. affect. Cap* 7. fecit qui à Vipera in digitum morſus illum abſcindit. Denique ſi virus penetraverit in Corpus, illud Alexipharmacis expugnandum erit, eodem modo, quo in Venenis aſſumptis, ut ſuprà dictum eſt. Advertendum tamen eſt, quod ſi morſum, vel ictum animalis Venenoſi ſequatur ulcus, id non ſtatim conſolidandum, ſed diù apertum ſervandum. Mirificè Venenum averti ab intrinſecis partibus, ait *Matthiolus*, ſi patiens

tiens in balneo aquæ calidæ ex medicamentis acommodatis confecto imponatur. Reliqua verò ſpectantia ad curationem Venenorum, videantur in ſpeciali de Venenis Doctrina, quam tradam in ſingulis capitibus ſingulorum Venenorum.

Cæterùm, quia ſpectat etiam ad Venenorum curationem ſcire flagitioſorum in poſterùm fallacias, & doloſas merces, ne quis deceptus à Circumforaneorum malitia, falsò à Veneno aſſumpto, propriæ cum detrimento ſalutis, curaretur, operæ pretium duxi, in hoc ſequendo *Matthiolum*, eorum fraudes prodere, ac omnibus patefacere, nam cùm iſti Circulatores ſuggeſtum aſcendunt coram Populo in plateis, quem dolo capere intendunt, oſtenſuri, quod Venenum, æquè, ac panem innoxiè ſumant, multis cavillationibus, atque inſidiis utuntur, inter quas has duas habent fraudes, quàm modò omnibus aperiam. Primus itaque dolus, quo nituntur iſti Impoſtores eſt quod, cùm ſciant Venena non poſſe, niſi parum, nocere ubi Ventriculus fuerit cibis pinguibus valdè repletus, prius quàm ſuggeſtum aſcendant, ad Saturitatem uſque præſertim Æſtate lactucas crudas devorant, ſale, aceto, & Oleo conditas, verùm olei tantùm imponunt, ut ferè in eo innatent lactucæ, & quia hyeme maximè urgente bruma, tenellæ lactucæ difficilè paſſim inveniri poſſunt, ideò earum vicem his præbent interanea Boum præpinguium, quorum tantam comedunt copiam, quoad Ventriculus, veluti tympanus, extendatur; Id autem eo conſilio faciunt, ut hæc quidem jurium pinguedine, eorumque ſubſtantiæ craſſitudine, illæ verò frigiditate ſua, oleique multitudine, quàm illis adjiciunt, præterquam quod Veneni penetrationem inhibent, erodentes particulas Arcenici, ac Riſigalli obtundunt, & hebetant. Cùm igitur Venenum ſumpſerint, quod illis, ob præaſſumpti alimenti vim, nullam aut parvam noxam adfert, nempè quod Ventriculus ſit pinguedine imbutus, mox ſuum adulteratum Antidotum, quod omninò legitimam Theriacam mentitur, aſſumunt; quo fit, ut facilè poſteà Populo adſtanti perſuadeant, illud eſſe Antidotum omnium præſtantiſſimum adverſus Venena, & hoc leves vulgi animi perſuaſi, majori

multitudine, ac ſtulto impetu feruntur, ut adulteratam Theriacam emant. Itaque cùm temporis momento Capſulam ſuam hac impoſtura exhauſerint, ſtatim è ſuggeſto deſcendunt circumforanei, ſe ſe in hoſpitium recipiunt, ubi cùm primùm fuerint, Arſenicum paulò antè ſumptum, unà cum lactucis, aut bubulis interaneis, artè evomunt, neque aliud illa die aſſumunt, quam lac, quod tantùm ſæpiùs alternatim potant, vomuntque & revomunt; tantùm poteſt in improbis hominibus Auri cupiditas, ut ſpontè, conſultoquè in manifeſta vitæ diſcrimina ferantur. Fraus altera, quam iſti Facinoroſi perpetrant, ità ſe habet; li una, aut duabus horis antequàm ſuggeſtum aſcendant in foro Pharmacopolium petunt, illudque in foro, in quo ſermonem Populo habere volunt, propinquius eligunt, atque ubi juſſerint Pharmacopolæ ſibi Arſenici capſulam adferri, ejus duo, aut tria fruſtula ſeligunt, proùt ſibi magis expediri videtur, quæ poſtea Charta involvi, & in eadem Capſula reponi mandant; Quofacto Pharmacopolam rogant, ut cùm in ſuggeſtum aſcenderint, Arſenicum illud repoſitum dare velint puero, quem ad eum miſerint: Porrò in forum abeunt, verba facturi, ubi eorum ſpuriam Theriacam ad Cœlum uſque miris laudibus efferunt admentientes: Ad hæc, ut rem magis veriſimilem reddant, puerum è Circumſtantibus quempiam mittunt ad Pharmacopolium, qui Venenum antè ab eis ſelectum deferat. Intereà ingentem Capſulam in ſuggeſto ſtantes aperiunt, quàm habent vaſculis pravæ illius Theriacæ plenis refertam, cujus operculo intùs adhærent, cera ſuppoſita varia cujuſdam miſcelæ fruſta, ex ſaccharo, quod canditum vocant, amylo, aliiſque innoxiis medicamentis miro quodam artificio confecta, qui prorsùs, & facie, ac magnitudine referunt illa veri Arſenici fruſta, quæ priùs ii in Pharmacopolio ſelegerant: Levant autem iſti hominum proditores operculum à Capſula, quo fraudem meliùs ocultent in ſuggeſto ſtantes, ſiquidem, ſummo cum artificio, internam opericuli partem, cui adhærent illius miſcelæ fruſtra Arſenicum mentientia, versùs ſe trahunt, ne quis ſuam fraudem deprehendere poſſit; deindè ſtatim

ſtatim in manu Socii, aut pueri, quos doli miniſtros habent capſulæ operculum collocant, quod eorum alter apertâ manu eleganter ſuſtinet, parte Pſeudo-Arſenicum continente Cœlum versùs reſpiciente, idque, ne quis dolum intueri poſſit; Interea redit nuncius Arſenicum legitimum à Pharmacopolio deferens; atque iſtud accipiens artis captioſæ miniſter, ſtatim illud Populo oſtendit longâ, ac mendaci oratione, quâ abſolutâ ad experimentum tranſit, perpetuò doloſe procedens, quandoquidem ſimulans, ſibi opus eſſe expeditis manibus, manica, ac murice, vel ſerico proditore, quo plerumque veſtiuntur, ad cubitum uſque convolvit, eâ tantùm ratione, ut Arſenicum verum, dum hæc agit, ſuper operculo prædicto Pſeudo-Arſenicum continente reponat, abdatque; quod ob periculi altitudinem nullo pacto infernè a circumſtantibus videri poteſt; Obvolutis itaque manicis, brachiiſque denudatis, ac tenui linteolo humeris impoſito, jubet aquæ, vel Vini poculum adferri, & relicto in operculo Arſenico vero, factitium innoxium fraudulenta manu capit, quod cultro minutim incidit, & Vino, vel aquæ commiſcet, ac deniquè tutiſſimè bibit, atque ità fraudem, coloribus exornatam iſtis, ſpectantibus perſuadet, ut nullus dubitet, quin ille mortiferum Venenum hauſerit, quod ex medica Officina delatum fuerat; De fraudibus autem Circulatorum uſquè adhuc dicta ſufficiant, ad curioſorum eruditionem; & ad facilè credentium errorem auferendum.

CAPUT VIII.

De variis Claſſibus Venenorum, ac primò de Minerali, & in ſpecie de Calce Viva.

IN tres partes ordinariò Venenorum agmina diſtribuuntur à Medicinæ Doctoribus, in ordinem ſcilicet Mineralem, Animalem, ac Vegetabilem; Nos verò in quinque partes Venena

nena cujuſcumque generis dividimus, videlicet in Mineralem, Metallicam, Animalem, Vegetabilem, & Mixtam. Ac primò omnia, & ſingula Venena è Minerali Regno deſumpta examinabimus. Secundò Metalla ut potè noxia videbimus. Tertiò Animalium Venena luſtrabimus. Quartò Toxica, quæ in vegetabilibus reperiuntur, exponemus. Et quintò demùm nònnulla Venena mixta, id eſt compoſitiones varias, ex variis ingredientibus paratas annuemus, ut nihil, quod ad noſtram rem faciat relinquamus.

Nunc igitur primò Venenoſa Mineralia, & ſemi mineralia ſcrutemur, & in præſenti capite de Calce ſermonem faciamus. Saxum Calcarium albicans fruſtum eſt illud, quod dat materiam Calci ope ſuæ uſtionis, & definitur materia, ut plurimùm candida, quæ paratur ex lapide calcario vi ignis in furno, vel clibano cremato, cæmentariis Opificibus notiſſima. In hac luxuriat acidum urinoſum, quia momente *Ettmullero* in lapide eſt ſulphur copioſum, quod ſaturavit principium alcalinum; Sal non poteſt elici, quia pinguedo ſulphurea adhuc adeſt, & ſic Sal non poteſt coagulari. Alkali Calcis vivæ imbibit acidum, undè eis calx viva raò in uſu fit, ſæpè tamen additur ſalibus alcalibus cauſticis prò ſcopò exurendi cutem, ut aperiantur abſceſſus. Calx verò ob alkali fixum fortiſſimum teſte *Emanuel. König. Regn. miner.* acida quæque mox enervat, deſtruit, & abſorbet, ceu patet ex affuſione aquæ, cui Oleum Vitrioli admiſcetur quæ calci ſuperfuſa, mox aciditate illa privatur; licet verò Calx varia utilia munera in rem medicam gerat, noxia evadit tamen Calx viva, utpotè ignea, mordax, adurens, cumque progreſſu temporis cruſtam gignens; Habet enim Calx viva, quod & *Scaliger ad Cardanum exercit.* 5. fatetur, & ipſa experientia probat, in ſe ignem, qui violentiorem inimicum, aquam puta fugiens, adeò ſe ſe exerit, ut tangentis manus adurat, & res vicinas accendere poſſit; quæ igneæ particulæ, ut cum *Sennerto* loquar, cùm & Corpus noſtrum intùs adurere poſſint, uſtione illa varia ſymptomata excitant; optimè igitur Clar. *Ardoynis* ait, Calcem aduſtivam eſſe, mordicativam, atque cau-

teris

teriſantem, & non eſſe propriè Venenum, ſed eſſe medicinam mortiferam; ſymptomata conſequentia aſſumptionem Calcis ſunt ſiccitas Oris & linguæ, dolor Stomachi, difficultas Urinæ, Symcope, & ſuffocatio, id quod probat hiſtoria ab *Amato Luſitano* deſcripta de puello, qui cùm eſſet aſſuetus cretam edere, in calcem vivam incidit, eamque copiosè devoravit, unde intenſſiſſimè febricitabat, ſitiebat, & multum bibebat, ſed ejus ſitis nunquàm extinguebatur, & ſexta die obiit; Ut autem Medicus curationem inſtituat; primò danda eſt opera, ut Calx viva vomitu rejiciatur, ejuſque acrimonia, lenientibus, & lubricantibus obtundatur, parteſque contrà ejus eroſionem muniantur, particulas nempè ferientes obtundendo; itaque exhibendum Decoctum Violarum, Altheæ, Malvæ &c. Butyrum, & Lac laudatur, ut & terra Lemnia, Fel Capreoli, Oleum Lini, amygdalarum dulcium; Oryza cum lacte cocta, hordeum; Clyſteres præstereà emollientes commendabiliter poſſunt adhiberi. Ptiſanam, & urinam Aſini cum aqua calida valere aſſerit cum *Gulielmo de Placentia*, *Ardoynis de Venen. lib.* 2. *Cap.* 12. *pag. mihi* 122. Cùm Calx autem recens è fornacibus educta igneam, uti ſuprà innui, vim rejectet, ac urat, ideò miratur cum *Paulo Zacchia* Clariſſ. D. *Bernard. Ramazzinus* Medicus Celeberrimus, ac omni Virtutum genere inſtructus, quomodò in quibuſdam Civitatibus permittantur fornaces, in quibus Calx excoquitur, ob evaporationem, quam emittunt pectori infeſtam; Laus tamen Deo ſit, in hac noſtra Urbe tales fornaces vel extra Civitatem ſunt, vel ſi in Urbe, apud ejus mœnia in remotis locis inſurgunt. Varia periculoſiſſima ſymptomata orta ab inhabitatione Conclavis nuperrimè exſtructi, & Concamerati, ac Calce noviter illiti obſervavit Clariſſ. Dn. D. *Eberhard. Goekelius Miſc. Curioſ. Dec.* 3. *ann.* 9. *&* 10. Tres pulchras Virgines Sorores, ſe noviſſe, refert *Caſpar. à Reies Camp. Elyſ. quæſt.* 50. ex eſu Calcis intrà triennium ſublatas, quarum ultimam, nec primæ nec ſecundæ Mors ab illius eſu deterruit, ſed ortis immedicabilibus affectionibus, & ocultis obſtructionibus Hepatis, Ventriculi, & aliarum partium internarum cum aliis

ex

ex matricis complexu morbis, omnes interemptæ ſunt, nec mediis ullis reſtitui potuerunt ſaluti. Hæc de Calcis Veneno ſufficiant.

CAPUT IX.

De Vitriolo.

VITRIOLUM eſt Sal Minerale metallis proximum præcipuè Cupro, cujus nomen derivare à vitro monet *Hoffmannus*, vel quòd vitro colore reſpondeat, vel quòd vitri inſtar clari grata pelluciditate ſuperbiat; Latinè Atramentum appellatur, quod eo ſutores coria nigredine inficiant. Plura circà Hiſtoriam Chalcanthi videantur apud *Mindererum* in *diſquiſ. de Vitriolo*, quia tamen crudum Vitriolum ſumptum, nauſeam, & vomitum excitat primò; indè ſi copioſiùs aſſumatur, ac non ſtatim vomitu rejiciatur, Ventriculum arrodit, inteſtina excruciat, dyſenterias parit, ſitimque magnam producit; ideò inter Venena refertur. Cùm enim Vitriolum ſcateat particulis tùm cupreis, tùm ferreis, & acido ſpiritu ſulphuris, teſte *Ettmullero*, hinc fit, ut à particulis vulnerantibus cupreis actuatis à Sulphure proprio, eroſiones Ventriculi & Inteſtinorum oriantur, quibus ſauciatis partibus, febres, cum doloribus, & ſiti magna inſurgunt. Si igitur Vitriolo ſumpto prædicta ſequantur mala, ſtatim opera danda eſt, ut quàm primùm, ſi fieri poſſit, vomitu rejiciatur, quod fit Decoto anethi, vel aqua tepida, & Oleo anethi, & ſimilibus. Sedato vomitu, Butyrum largiùs ſumatur, aut Lac recens tepidum cum Saccharo, vel exhibeatur Decoctum hordei cum Syrupo Violarum; Si autem eroſio, & cruciatus in Inteſtinis percipiantur, Clyſteres lenientes injiciantur; *Sennertus* commendat Terram Lemniam, vel ſigillatam cum mucilagine Seminis-Cydoniorum, ex aqua hordei, vel Corallium rubrum cum vino generoſo.

CA-

CAPUT X.

De Gypſo.

GYPSUM ex lapide albo, molli, alabaſtri inſtar ſemicocto, vel leviter ſaltem uſto factum, calci affines habet partes nimirùm particulas perfectè coctas, & alias crudiores, ſabulum æmulantes, undè fit, ut cum gypſo coagulatio promptior emergat, quatenùs partes volatiliores, quæ in crudiore parte reſtant, ſimiles nonnihil ſunt illis, quæ ignis actione, coctione ſcilicet, deperditæ ſunt, promptiùſque ſic perfectè coctis partibus communicantur, quam verò ſe habet cum ſabulo, quod non habet ejuſdem ſpeciei particulas quales ſaxum calcarium in coctione deperdidit. Gypſum autem inter Venena recenſeri nemo non novit, epotum enim ſtrangulando mortem inferre ait *Ramazzinus* Primarius Medicinæ Profeſſor Patavinus Celeberrimus, & Amicus meus ſemper recolendus. Sic L. Proculeius Auguſti familiaris, cum ſtomachi dolorem perferre non poſſet Gypſo epoto, mortem ſibi conſcivit teſte *Plinio*. *Sabellicus* refert, quod Conrado III. Imperante, Iconium obſidente, Emanuel, qui tunc Byſantii imperabat, facinus impium, & deteſtabile commentus eſt; Gypſum contuſum, & in ſpeciem farinæ redactum triticeis commentibus immiſcuit, quos ex Byſantio mittebat in Caſtra, eoque cibatu, tanta vis militum brevi conſumpta eſt, ut negotio infecto obſidionem ſolvere coactus ſit Rex alioqui invictus, qui ſuorum clade conſternatus, relictâ Aſiâ in Domum per Trachiam abiit.

De morte adoleſcentis à Gypſo ſumpto, obſervatio mea Legi poteſt in *Tom.* 4. *Biblioth. Medic.* Clariſſ. *Mangeti* Domini mei ſemper colendi *pag.* 863. ut & etiam in hac Operum noſtrorum editione.

Gypſum intrà Corpus ſumptum excitat Tuſſim vehementem,

ariditatem Linguæ, & faucium, Stomachi dolorem, Singultum, delirium, Anxietatem, & ſyncopem, tandemque ſtrangulando jugulat.

Ut autem curatio inſtituatur, ſtatim opera danda, ut Gypſum vomitu rejiciatur; ideòque exhibenda aqua tepida cùm Butyro, vel Oleo liliorum alborum, & quia Gypſum tenaciſſimas habet particulas, ideo ſuadente *Sennerto* fortiora vomitoria uſurpanda ſunt, atque etiam ad Helleboriſmum veniendum, *Avicenna*, *&* *Rhaſes* quoque purgationem a Scammonio excitatam commendant; Conveniunt etiam Vinum dulce, Succus Malvæ, Lac Caprinum, Juſcula pinguia, Decoctum Dactylorum, Cinis Sarmentorum Vitis, Origanum cum aceto propinatum, Stercus Muris, Dictamnus cum Oxymelite, Theriaca, & Mithiridatium cum vino generoſo exhibitum. Clarioſam Hiſtoriam de Gypſo refert noſter *Braſavolus lib.* 4. *aphor.* 79. ait enim, verum Gypſum ſe vidiſſe exemptum à juncturis cujuſdam Ægroti ad unciam ferè unam, & aqua ſubactum, parietique cum Lapide illinitum, lapidem tenaciſſimè ſuſtinuiſſe, ipſumque mox in duritiem lapideam concreviſſe.

CAPUT XI.

De Magnete.

Magnes eſt lapis foſſilis, ponderoſus, ferrugineus, qui in ferri fodinis plerumque invenitur, componiturque, ex terreſtri copioſa, & ſulphureo-martiali pauca materia, & iſte lapis certa pororum ſui corporis configuratione, tranſitum materiæ ſubtili magis, minùs copiosè permittit, atque ab ejus impetu partim ad polos mundi conſtanti naturæ ordine dirigitur, partim ferrum ad ſe allicit, vel à ſe propellit, partim tandem hanc adhærendi virtutem cum ferro ipſo communicat, quod fit ob particulas ſuas ferri poroſitatibus

tibus communicatas ; An autem hic lapis inter Venena ſit referendus Authores diſcrepant, nonnulli non omnem, ſed aliquam ſaltem ejus ſpeciem Venenoſam eſſe putant ; Alii non lotum Venenoſum, lotum verò utilem eſſe aiunt. Hinc *Garcias ab Horto*, Magnetem pauca ſumptum quantitate adoleſcentiam conſervare dicit ; quod tamen fabuloſum eſſe putat *Sennertus* ; Quidam verò Magnetem ſimpliciter, & nulla vel ſpeciei ; vel loturæ mentione facta inter Venena referunt, eumque deleteriæ facultatis eſſe, atque intrà Corpus aſſumptum, mentem, & rationem turbare, & inſaniam, melancholiam excitare, ut & lunaticum morbum, ſeù Epilepſiam inducere tradunt : Si diutiùs ergò Magnetis particulæ aſſumptæ in humano hæreant Corpore, eas ſicuti cætera mineralia, moleſtiam Creaturas fore puto, quod accidit ob moleculas ſulphureo martiales, quæ ſe ſe inſinuando & in fluidas, & in ſolidas partes, earum texturam ſcindunt, & lacerant, non ſine nauſea, dolore, febri, alvi fluxu cruento &c. Quod ſi contingat, quomodo omnibus ſymptomatibus occurrendum ſit, ex his, quæ hactenùs dicta ſunt in aliis capitibus ſuperioribus patet, nimirùm, ſi in ventriculo adhuc hæreat Magnes vomitu rejiciendus ; ſi verò ad inteſtina deſcenderit clyſteribus lenientibus abluendus, aut ſi illi non ſufficiant, purgantibus evacuandus. Deindè antidota exhibenda v. g. Smaragdus, Cornu Cervi, Corallium, Theriaca, Allium.

CAPUT XII.

De Adamante.

ADAMAS Gemmarum omnium Princeps, id eſt nobiliſſima ſimul & pretioſiſſima, ab indomita inſuperabilive duritie nomen habet, eò quod duritiei ſit inenarrabilis, omneſque reſpuat ictus ; contemptor item victorque ſit ignis,

 etiamſi

etiamſi multos dies in eo perſeveret, uti Veteres, & præcipuè PLINIUS aſſeruerunt: *Invicta illis* (adamantis) *vis*, inquit ille *Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. Cap.* 4. *duarum violentiſſimæ* „ *naturæ ferri igniſque contemptrix.* Et *Adamanti tanta naturali-* „ *ter duritia & ſoliditas ineſt, ut nulli violentiæ cedat, nec ferro* „ *nec incude poſſit infringi: quin imò ejus ictus ita reſpuit, ut fer-* „ *rum utrinque deſultet, incudeſque etiam ipſæ vulneribus acceptis* „ *diſſiliant*: Quamvis ejuſmodi duritiem multum mitigent Moderni, qui nullum hoc ſæculo verum Adamantem repertum eſſe referunt, qui in pulverem malleo redigi non poſſit, igniſque ardoribus tandem liquari: Clariſſimus BOYLE *in Tractatu de Orig. & Virtut. Gemmar. Sect. I.* notavit non adeò durum eſſe Adamantem quin in fruſta dividi poſſit: obſervavit quippe in Adamantibus magnis & impolitis ope microſcopii determinatam lamellarum, ex quibus coaluerunt, tendentiam bractearumque commiſſuras. Acies quidam illarum bractearum non erant ita exactè diſpoſitæ in planum, quin quædam ſatis viderentur eminentes inſtar exiguorum jugorum, ſed latæ in vertice ſupra lineam horizontalem reliquarum. Has quoque bracteas parallelas cum ſuis commiſſuris in grandiore Adamante ſatis clarè nudis oculis poterat diſcernere. Periti etiam Gemmarii, & Sculptores Politoreſve Gemmarum experientiâ edocti aſſerunt impoſſibile penitus eſſe (non quidem frangere, ſed) findere Adamantes planè per tranſverſum grani in modum crucis, ſed non admodum difficulter illud perfici uno ictu ope inſtrumenti chalybe durati, cùm jam repectum fuerit, ex qua parte lapidis, & quam partem versùs inſtrumentum fiſſorium ſit impellendum, ſecundum lineas ſcilicet coalitionis bractearum. Vide etiam eundem BOYLE *in Experiment. & Obſ. Phyſ.* Conſtat etiam experimentis Florentiæ factis annis 1694. & 1695. ope ſpeculi uſtorii, ſumptus Regium in modum ſuppeditante Magno Etruriæ Duce, conſtat, inquam, Adamantes ignis vi etiam ſubjici: ex iis enim patet eos in omnibus ſuis partibus ſpeculo uſtorio expoſitos, non liquefieri, ſed exhalare, in minutiſſima fragmenta diſſilire & diſpergi, ſicque ad nihilum omninò redigi: antequam verò
hoc

hoc fiat pelluciditatem nativam amittunt, coloremque mutant in album, ſimilem, ſi microſcopium adhibeas, colori Matris perlarum; ſi nudis videatur oculis, ſimilem colori Lixivii Cinerum: Qui plura de his cupit videat *Volumen octavum Diarii Litteratorum Venetiis impreſſi Art. IX. pag.* 221. ubi verè curioſa, raraque ſimul experimenta de hac gemma aliiſque videbit.

Quoniam verò Adamas ex ſucco defæcatiſſimo concreſcit, ejus partes in percolatione ità dividuntur, ut receptos radios undique reverberent aut refringant; ſunt nimirùm ſingulæ ejus particulæ veluti tot ſpecula, quæ lucem retorquent, & viſum, eo modo quo percutiuntur, referunt; Hujus ortum deducunt multi cum Clariſſ. Dom. *Kônig* Patrono ac Amico meo Colendiſſimo *in* ſuo *Regno Minerali* ex Spiritu Salis puriſſimo, ignis ſubterranei vi per intimas montium exaltato, & in rupem poroſam delato, paranympho ſpiritu coagulatorio concurrente; quia verò arctiſſima eſt particularum adamantinarum invicem connexio, porique & interſtitia inter illas ſummè anguſta, fit ut Adamas Magnetem liget, viribuſque privet, effluviis magneticis in motu ſuo & penetratione ab ejus textura firma ſic inhibitis.

Hinc Antiqui anxiè quæſiêre, an Adamas ſit Venenum? Nonnulli pro affirmativa ſtabant parte, & ratione & experientia freti ſe defendere non dubitarunt; ex his ſunt *Ardoynis*; Philippus Camerarius qui refert *Cent.* 1. *Hor. Succiſ. c.* 7. *ex Joh. Ant. Monavii hiſt. Turcica L. II. Cap.* 22. Bajazetem Patrem Selemi Turcarum Imperatoris Veneno ex Adamante contrito Medico quodam Judæo eſſe interfectum: in eandem eunt ſententiam *Fernelius*, pluresque è Paracelſi diſcipulis; cùm enim illi omnes deſperatos morbos curandi peritiam tribuant, Adamantis pulvere, ut incurabili Veneno ab adverſariis necatum narrant, uti habet *Sennertus Lib. III. Part. II. Sect. II. Cap. VII. Quæſt.* 2. Multi contra Venenum non eſſe Adamantem volunt, ut ſunt *Plinius*, *Boëtius*, *Garcias ab Hocto* L. I. Hiſt. Arom. c. 47., *Hieronymus Cardanus* Contradict. Medic. L. II. tr. 5. contrad. 9. (etſi ſibimet ipſi non

 conſtet,

conſtet, eundemque L. III. de Venenis. C. 23. inter Venena referat) *Zacutus*, *Wormius*, *Tilingius*, *Ettmullerus*, aliique: Hinc Adamantem per ſe, & ſua natura nihil maligni, vel Veneni in ſe condere, nemo forſitan Recentiorum, quibus tanta lux veritatis ubique Sole meridiano ſplendidior apparet, contradicet; quamvis *Sennertus* manifeſtam quidem virtutem, ac qualitatem, Venenum inducendi ipſi abdicat, ſed quandam occultam, ac abſconditam, quæ demùm ſe ſe in ipſius reſolutione prodat; ſi autem Adamantis natales, naturam &c. propius conſideremus, certè cum nihil aliud eſſe patebit, quàm liquorem limpidiſſimum, tenuiſſimum, ac puriſſimum, qui in Cavernis Montium, vel aliis locis appropriatis collectus, in cryſtalliformem maſſam duriſſimam aquæ inſtar Diaphanam concreſcat; Hanc veritatem probat Clariſſ. Dom. D. *Joh. Henric. Hottingerus* Acad. Curioſ. *in Diſſert. de Cryſtallis*, & *in Miſcell. Curioſ. Dec. 3. Ann. X. obſerv. 97.* Undè quæſo, ait citatus Doctor; Adamantes criſtallini tantam Venenoſitatem, ac deleteriam vim acquiſiverunt, certè hi liquores puriſſimi, nihil ſecum tam abſurdi, ac impuri vehunt; undè iſti pretioſi lapides eodem modo, nitore, pondere ſubſtantia &c. egeruntur, ac anteà erant deglutiti; ſed non inficias eundum, Adamantem craſſiuſculè pulveriſatum, acuminatum, ac plurimis ſpiculis rigidioribus armatum, ac intrò ſumptum, plicis Ventriculi, ac Inteſtinorum ſe ſe inſinuare, ac ab accedente continuo motu Inteſtinorum periſtaltico, lancinationes, tormina &c. dolores, irritando, ac vellicando producere poſſe: Hinc quædam ſiniſtra ſymptomata ſunt expectanda; idem etiam à vitris aſſumptis, Cryſtallis groſſo modo contuſſis evenire poteſt, quanquam nihil venefici in ſe gerant; optimè autem contritus, [& pulveriſatus, acidum abſorbendo Adamas contrarium edet effectum, & diarrhæas, dyſenterias &c. ſiſtet, ac inhibebit. Attamen, ne quid prætermiſſum videatur in præſentiarum, ea, quæ ab Authoribus de ſymptomatibus, & curatione eorum, qui Adamantis particulas ſumpsêre, tradita ſunt, videamus.

Symptomata ergò conſequentia aſſumptionem Adamantis in

in pulverem redacti ſunt, ex *Ardoyno* dolor Stomachi, & Inteſtinorum, ex ſolutione continui à particulis ejuſdem ſcindentibus factâ, cui poſteà ſyncope accedit, & Mors tandem; Curatio primò inſtituitur Vomitu excitato, ut ejus particulæ à corpore ejiciantur, & per portam quâ datâ ingreſſum habuere, habeant & exitum, ſi Fortuna volet; Si verò Vomitus non proſit, ac ad Inteſtina deſcenderit hoſtis, tunc Clyſteribus lubricantibus utendum; poſteà exhibeatur per os ſanguis Hirci, cum juſculo Carnis pingui, Balſamum verum, Vinum Optimum, Decoctio radicum Altheæ, Seminum Lini aliaque hujus generis. Plura apud *Ardoynum de Venen. lib.* 2. *Cap.* 23.

CAPUT XIII.

De Antimonio.

ANTIMONIUM quod Stibium dicitur, eſt Minerale ad naturam metallicam accedens, conſtans ex ſulphure, mercurio crudo, cum portione terreſtri, & pauco ſale, ex quo originem Mineralium petit *Junkenius*, cujus hiſtoriam videat Lector curioſus apud *Schroderum*, *Hoffmannum*, *Kônig*, *Ettmullerum*, *Mangetum*, alioſque tùm Antiquos, tùm Recentes Scriptores. Crudum in ſubſtantia rariſſimi eſt uſûs, niſi aliquando in Decoctis antivenereis; ſed a Doctoribus ponitur in numero Venenorum nam ſtatim intra Corpus aſſumptum, tam ſuprà, quàm infrà purgando hominem fatigat; particulis enim mercurialibus actuatis à Sulphure, & Sale, ope caloris nativi, fibras Ventriculi, & Inteſtinorum irritat, ex quo vomitus, dolores, & Alvi fluxus oriuntur cum magna laſſitudine, & virium imbecillitate; quapropter *Sennertus*, ut his occurrat ſymptomatibus, primò Decocto hordei cum Syrupo Roſarum ſimplicis infuſionis utitur ad Ventriculum à particulis Antimonii abſtergendum; poſteà ad eum roborandum Vinum pro-

propinat, ut & Cortices Citri, & Aurantiorum conditas, & Cydonia; tanquam antidota exhibet Theriacam, Bolum Armenum, quem laudat *Joubertus de Peſte Cap.* 19. Extrà verò ſuadet applicandum Emplaſtrum de Cruſta Panis, vel alia hujuſmodi corroborantia remedia.

CAPUT XIV.

De Vitro.

VITRUM definitur materies dura, pellucida ex Sale Alkali, & arenis, ſive materia ſabuloſa, vi fortiſſimi ignis, liquatis parata, quod Artificum dicitur vitrificatio, de qua optimè more ſuo ſolito ſcripſit *Willis de ferment cap.* 12. & hæc Chymica operatio dicitur ultima corporum mutatio cujus natura eſt capax, & à qua non datur regreſſus, ac à ſale fuſo, & materiæ terreſtri ſecundùm minimas particulas unito dependet; cùm enim ab igne vehementiſſimo, utraque hæc materia funditur, ac per minima dividitur, utriuſque corpuſcula in fluore poſita tàm ſtricto connubio invicem junguntur, ut poſteà non divellantur; Pellucidum autem eſt, ac fragilè Vitrum ob paucitatem ſulphuris, quod de eſſentia eſſe Vitrorum docuit *Wedelius* apud *Mangetum Bibl. Pharmac. lib.* 20.

Hoc ponunt aliqui inter Venena, utpotè quia intùs aſſumptum, (cùm tamen in tenuiſſimum pulverem redactum non ſit, tunc enim nocivum non eſt, cuſpidibus ſuis incidentibus Oeſophagum Ventriculum, ac Inteſtina lædit, & vulnerat non ſine mortis periculo; Dixi ab aliquibus tantùm, vitrùm inter Venena poni, nam Vitrivororum hiſtoriæ Venenum illud non eſſe produnt; De Vitrivoro curioſa refert *Columbus de his, quæ raro in Anatome contingunt*, qui guſtu carebat, nullamque in edendo voluptatem, nihil injucundum perſentiebat; inſipida, amara, dulcia, pinguia, ſalſa, acria, non diſtinguebat: Vitrum

Vitrum, ſaxa, lapides, ligna, Carbones, viva animalia, piſces è vivario extractos adhuc ſalientes vorabat; in hujus Cadavere ſecto, quarta nervorum conjugatio, quæ guſtûs gratiâ in aliis hominibus à natura producta eſt, neque ad palatum, neque ad linguam reptabat, ſed ad occipitium reflectebatur. De alio meminit *Pet. Borellus Centur.* 1. *Obſ.* 52. qui Vitrum, etſi ſatis ſpiſſum, avidiſſimè vorabat in Conviviis, Vinum ſuperbibendo, ſanguis autem ab illius ore fluebat, dùm hæc peragebat; Quod idem etiam ego obſervavi in quodam Circulatore Vitrivoro anno 1699. qui non ſolùm Vitrum, ſed quoque ignem impunè edebat. Alias ſimiles curioſas hiſtorias de Vitrivoris dabunt cupienti lectori, *Boyle de Gemm. Virtut. Hildanus Centur.* 6. *obſerv.* 35. & *Miſcell. Acad. Curioſ. Ann.* 1. Aſt redeamus in viam; Symptomata ergò, quæ excitant vitri fruſtula aſſumpta ſunt, dolores vehementes Stomachi, Oeſophagi, & Inteſtinorum, orti ex ſolutione continui, à vitri particulis ſauciantibus excitata, quibus ſyncopes accedunt, undè mors ſuccedit; Indicationes curativæ ſunt primò, quàm citiſſimè, ſi fieri poteſt, vitri particulas è corpore educere, interna vulnuſcula ſanare, ac partes læſas conſolidare, & corroborare; primò ergo Vomitus eſt excitandus Oleo Olivarum, Butyro, & jure Gallinarum, ac ſimilibus; inde exhibere oportet pinguia, & oleoſa ad inviſcandas, & contundendas vitri lacerantes particulas, & præſertim lac vaccinum, & pecorinum, & Butyrum recens, cum aqua decoctionis ſeminum lini, Oryzæ, hordei, aut ſimilium, quæ inteſtinorum ulceribus conferunt. Succus Malvæ cum melle juvat potus, & valent Clyſteres cum fœnu-græco, aqua hordei, oleo violato, Ovi albumine &c.

CAPUT XV.

De Lapide Lazuli.

LAPIDEM Lazuli inter Venena non tantùm *Ardoynis*, *Guainerius*, *Euſtachius Rudius*, *Sennertus*, aliique numerant; ſed, & Græci vim cruſtam gignentem, detergentem, & exulcerantem tribuunt, quos ſecutus *Meſues*, ait habere vim adurendi, ulcerandi, & putrefaciendi; Hinc *Fuchſius* uſum lapidis armeni, qui lapidi Lazuli cognatus, in purgando, concedit; Lapidem Lazuli verò non ità facilè admittit, neque ullum ex Veteribus Græcis Autoribus Lapidem Lazuli atræ bilis purgandæ gratia exhibuiſſe opinatur, utpotè qui ſinè maxima noxa aſſumi nequeat; Aſt non ſimpliciter inter Venena poteſt numerari ſed ex purgantium ſaltem fortiorum, quæ omni malitia non carent, numero eſt, teſte *Sennerto*; & ab Arabibus, & Recentioribus in curatione morborum ab atrabile, ut dicunt, ortorum non infeliciter uſurpatur; ut ex Doctoribus allegandis patet; imò *Meſues* ei etiam tribuit vim confortandi, exhilarandi, & juventutem conſervandi; quarè eum proculdubio Arabes in confectionem Alchermes accepêre; De quibus Lapidis Lazuli in medicina facultatibus videantur *Meſues*, *Avicenna*, *Alexander Trallianus*, *Guainerius*, *Braſavolus* noſter, *Scaliger*, & alii plures; Hic autem lapis eſt opacus, Saphiri colore, aut Florum Cyani aureis punctulis, aut flammulis exornatus, Lapide armenio durior, ex quo conficitur color, quem ultra marinum dicunt; Scatet particulis ſalinis, ſulphureis, cupreis, non ſine exigua auri portione; quòd ſi non præparatus, vel in nimia quantitate ſumatur, Ventriculi ſubverſionem, Vomitum, dolorem ventris parit, & hoc ratione particularum ſalis volatilis naturam ſulphuris, ac cupri habentis, quæ particulæ à calore nativo actuatæ, ac in motum actæ ſe ſe inſinuando in poroſitates fibrarum ventriculi, ſuis cuſpidibus eas irrintat, &

& ſic Vomitum, Nauſeam, & dolores excitant; Curatio igitur, ut reliquorum Venenorum erodentium conſiſtit in eo, ut primò vomitu rejiciatur, & Clyſteribus lenientibus, & abſtergentibus per alvum educatur; deindè, ut exhibeantur ea, quæ vim corrodendi temperant, in primis, lac tepidum, aſininum præcipuè, quod iis, qui hauſerunt hunc lapidem, ſeptem continuis diebus propinandum vult *Conciliator*. Bezoar verò eſſe pro hoc Veneno optimum, ait *Sennertus*.

CAPUT XVI.

De Sale Ammoniaco.

DUPLEX cum ſit Sal Ammoniacum, nativum ſcilicet & artificiale, hinc de primo tantùm, tanquam Veneno, ſermo ſit: ab *Ardoyno* enim, & aliis Scriptoribus Medicis inter Venena numeratur: De ſecundo verò tanquam remedio legantur *Ettmullerus*, *Schröderus*, *Hoffmannus*, *König*, *Mangetus*, *Lemery*, *Le Mort*, (*Boerhaave* in Elementis Chemiæ, *Muys* in diſſertatione de Salis Ammoniaci ad febres intermittentes uſu.)

De Sale Ammoniaco nativo ſic DIOSCORIDES *Lib. V. c.* 126. *Inter ſalis genera efficaciſſimum foſſile. Et in hoc ipſo genere communiter quidem laudatur calculis vacans, candidum & pellucidum, denſum & æquali compage: peculiariter verò natione Ammoniacum, quod quidem & findi facilè poteſt, & rectis eſt ſciſſuris.* PLINIUS verò *Hiſt. Nat. Lib. XXXI. c. VII.* rem fuſiùs expoſuit: *Invenit*, inquit, & *juxta Peluſium Ptolemæus Rex cùm caſtra faceret. Quo exemplo poſtea inter Ægyptum & Arabiam etiam ſqualentibus locis cœptus eſt inveniri, detractis arenis: qualiter & per Africæ ſitientia uſque ad Hammonis oraculum, (unde Jupiter Hammonius ob templum, quod Hercules ipſi conſtruxit, ob monſtratum fontem in maxima ſiti.) Is quidem creſcens cum Luna noctibus. Nam Cyreniaci tractus nobilitantur Hammoniaco & ipſo, quia ſub harenis inveniatur, appellato. Similis eſt colore alumini, quod ſchiſton vocant,*

cant, longis glebis, neque perlucidis, ingratus ſapore, ſed medicinæ utilis. Probatur quam maximè perſpicuus rectis ſciſſuris. Inſigne de eo proditur, quod leviſſimus intra ſpecus ſuos in lucem univerſam prolatus, vix credibili pondere ingraveſcat. Cauſa evidens, cuniculorum ſpiritu madido ſic adjuvante molientes ut adjuvant aquæ. Adulteratur ſiculo, quem Cocanirum appellavimus, nec non & Cyprio; more ſimili.

Jam verò non aliud dari Sal Ammoniacum niſi artificiale, dum illud ad nos vehi deſiit communis eſt opinio, verùm & hodie ejuſmodi Sal Ammoniacum nativum adhuc haberi perſuadent CAROLLUS FRACASSATUS *in Diſſerttaione de lingua ad Borellum*, & KÔNIG *in Regno minerali*: Referunt enim iſti Autores, in agro Neapolitano a Philoſopho quodam illuciter faciente, nativum hoc Sal ad aulam Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ fuiſſe prolatum, ibique coram *Fracaſſato* præſente ad experientiæ criterium fuiſſe revocatum, & planè omnibus, quæ exigebantur, ſatisfeciſſe; nam immiſſum in aqua, cui Spiritus Chalchanti admixtus erat, edito fumo triſti cunctos afflavit odore, & tam frigidam aquam reddidit ut manus læderet; atque hoc Sal Ammoniacum nativum idem mihi videtur eſſe cum illo, cujus mentionem facit *Olaus Wormius Muſæi Sect. I. Cap. 7.* quodque ſimile alumini ſchiſto, & velut in cruſtas compactum in faucibus hiatuum ubi ignes ſubterranei flammas evomunt; idque in Regno Neapolitano prope Puteolos, in loco ob ſulphureos quos eructat fumos *ſolfatara* dicto, ipſe *Johannes Mauricius Hoffmannus* collegit, ut refert in *Act. Laborat. Chymic. Altof. Sect. II. Proc.* 118. *p.* 199. de ejuſdem ſalis ibidem exiſtentia & teſtatur *Antonius Bulifon Guida de Foraſtieri curioſi di vedere le coſe piu notabili de Pozzoli p.* 24. (Non minus & in metallifodinis montis Tauri in Perſia Orientali Sal, quod Ammoniacum vocant, inveniri, indicavit DELISLE, [vide *Mémoires de l'Académie Roïale des Sciences* pro anno 1720 pag. 189. editionis Pariſienſis vel pag. 245. editionis Amſtelodamenſis] formari quidem illud ſed ex ſalinis vaporibus per montium fiſſuras exhalantibus, qui lateribus & integumento domicilii cujuſdam ad colligendum hoc ſal extructi

tructi adhæreant, viderique magnam habere ſimilitudinem cum iſto ſale, quod in monte Veſuvio colligitur eodem modo atque eodem quoque loco ex quo vapores ſubterranei prodeant. Italos hoc ſal nomine Ammoniaco inſignire, *Geoffroy* verò aſſerit [in *Mémoires de l'Académie Roïale des Sciences* modo citatis,] idem ſal flores potius eſſe ſalis marini igne marino ſublimatos.)

Salis Ammoniaci Nativi naturam calidam & ſiccam eſſe docet *Ardoynis*; nos verò ex particulis Salino - Sulphureis, & aluminoſis conſtare arbitramur; ex quibus, ſi aſſumatur, varia prava ſymptomata naſcentur, ut calor in Gutture, & Lingua, morſus in Stomacho, ſitis vehemens, & dolores; Particulæ enim Salinæ ſuis ſpiculis penetrando fibras ventriculi, morſus in eodem pariunt, ac dolores; calorque in lingua, & Gutture, non tantùm à ſulphure actuato à naturali calore dependet, quantùm ab iiſdem ſalinis partibus, quæ ſe ſe inſinuando in poroſitates Linguæ, & Gutturis, papillas primæ, & glandulas alterius feriunt, quo fit, ut ſpiritus vitales cum ſanguine in majori copia ad partem affectam concurrant, unde calor ferè inflammatorius ſuccedit.

Præſervatio ab Ammoniaci Salis aſſumptione perficitur diligentem adhibendo cautelam, ne de ipſo ad ſuſpectæ perſonæ manus aliquid pervenire poſſit; Cura autem ejus conſimilis eſt curæ Arſenici, ſublimati, & Calcis, & ſulphuris; & ideò pro hac Curatione petenda ſunt prædicta capita hujuſce Tractatus.

CAPUT XVII.

De Borace.

EXTRA dubium eſt, Boracem factitium eſſe, & nitri veluti ſpeciem, undè, & nomine ſuo proximè accedit ad Arabicum *Baurac*; hoc eſt *nitrum*; Ex qua verò materia præparetur,

retur, & quomodo incertum adhuc habetur; Venetiis confici ex cremato quodam lapide candido, & fiſſili, quem *Boracem Crudum* vocant, docet *Caſpar Hoffmannus* in *paralipom. Officin. Cap.* 55. & in hoc conſentit *Frideric. Hoffmannus in Clavi ad Schroderum lib.* 2. *c.* 79. quod ex minera quadam conficiatur ſed modum nobis eſſe adhuc ignotum fatetur; *Paracelſus* verò *in Appendic. Chirurg. Oper. manuali* 1. *Chym.* Boracem optimum fieri vult ex Aluminis, Salis Ammoniaci, & Tartari calcinati æquis portionibus in aqua bullientibus, & in Alcali coctis. *Schroderus* autem prolixiorem formulam tradit, addendo dictis mineralibus nitrum, Sal commune, Gummi Arabicum, & Maſtichem, & aquæ loco ſubſtituit urinam; quam compoſitionem ceù inutilem rejicit *Frider. Hoffmannus loco cit. Rulandus* nominat Boracem *Attinkar naturale*. Quoad vires verò, commendatur Borax Venetus, qui inter Venena ſalutatur ab *Ardoyno*, & ab aliis Medicinæ Doctoribus, utpotè; quod aſſumptus Borax pariat eadem ferè ſymptomata conſequentia aſſumptionem argenti vivi extincti, ſeu ſublimati, & etiam Arſenici; quod tamen ego difficiliter credo, Boracis enim pulvis tuto exhibetur à Medicis; Attamen, quid de hoc tanquam Veneno ferant Authores referendum puto, ne quid circà Venenorum materiam ſicco pede tranſeamus; Ex hoc igitur aſſumpto, vel malitioſè propinato, vel accidentaliter ingurgitato, cauſantur torſiones Inteſtinorum, teſte *Ardoyno*, cum Tuſſi ſicca, ulceratione Ventriculi, & alia hujuſmodi mala, ex ejuſdem enim particulis ſalinis penetrantibus poroſitates Ventriculi, & Inteſtinorum fit ſolutio continui; undè inflammationes, & ulcuſcula producuntur, quæ tandem ad necem ducunt Ægrotum. Iſtius curatio inſtituitur, ut præcedens.

CAPUT XVIII.

De Sulphure.

SULPHURE, ſic vocatur, ut ait *Iſidorus*, quia igne accenditur, undè illud corpus eſſe inflammabile docet *Ettmullerus*,

quæ

quæ inflammabilitas probatur ab oleo, ſeu pinguedine in ſulphure contenta: compoſitumque eſt ex duplici ſubſtantia, pingui ſcilicet & bituminoſa, & volatili acida; acidum enim volatile manifeſtum eſt ex ſpiritu per deſtillationem inde obtinendo; Probantur hæc ulterius ex ſulphure artificiali, quod ita paratur; ℞. olei deſtillati. Therebenthinæ, miſce cum oleo deſtillato Vitrioli: Hæc duo invicem deſtilla per Retortam, & acquiritur ſulphur vivum perfectum, cujus natales ſunt ex pinguedine Olei Terebinthinæ, & acido Vitrioli; Duplex autem eſt ſulphur, nativum ſcilicet, & factitium, & copioſum naturale invenitur penès mineras Cupri, & ferri. Licet autem ſulphur inter remedia non infimum obtineat locum, attamen inter Venena numeratur, & præſertim ab *Ardoyno lib.* 1. qui Galenico more ſuo Sulphuris naturam, ſubtilem, calidam, & ſiccam in quarto gradu eſſe contendit; Quod ſi à corpore humano ſumatur, oriuntur fortis calor, dolor Inteſtinorum, & Stomachi, atque ſolutio ventris; Iſtaque ſymptomata fiunt ex eo, quod in corpore humano particulæ acidæ volatiles, à calore nativo actuatæ, acuminibus ſuis perforantibus fibras partium internarum, excitant dolores, nec non inflammationes, ulcera, atque irritando Inteſtinorum fibrillas alvum ſollicitant.

Præſervatio verò ab ipſius aſſumptione perficitur, ut ait *Ardoynus*, diligentem habendo Cautelam ne ad ſuſpectæ perſonæ manus ſulphur pervenire queat. Curatio primò inſtituitur Vomitûs ſollicitatione, inde potu ex Syrupo acetoſo ſimplici, ſucco Granatorum, & ptiſana hordei; Lac Aſininum commendatur à *Plinio*; Oleum Amygdalarum Dulcium, emulſiones ex Seminibus Cucurbitæ, pulverem Cryſtalli præparat. Ovi albumen &c. præſcribit *Ardoynis de Venen. lib.* 2. *cap.* 15.

CA-

CAPUT XIX.

De Tutia & Spodio.

TUTIA dicitur *Pompholyx*, & eſt medicamentum metallicum, quod in coctura Æris ſurſum fertur, & in cameris, parietibuſque fornacum, bullarum modo tumens, colligitur: idcircò definitur, & rectè à *Schrodero*, quod ſit favillà tenuiſſima volatilis, quæ dum Æs in fornace perficitur, ſupernæ earum parti adhæreſcit, ſi verò ob ſuam gravitatem in pavimentum decidat Æris favilla ſpodium fit. Quoniam verò hæc originem habent à Cupro, ideò ejuſdem particulas ſulphureas, & mercuriales Venenatæ naturæ ſecum ducendo, ſi intùs ſumatur, prava producit ſymptomata, ut ſunt Vomitus, Ventris, & Stomachi immanes cruciatus, cruenti alvi fluxus, & alia hujuſmodi, mala, quæ oriuntur à particulis irritantibus, & exulcerantibus in actum deductis ope naturalis caloris, quæ ſubſtantiam tunicarum Ventriculi, & inteſtinorum lacerant; Quo circà optimè docebat *Ettmulerus*, cupreas particulas, quales ſunt Spodii, & Tutiæ eſſe violentas, & Stomacho hoſtiles, crudaſque non uſurpandas; Tutiæ enim uſus eſt externus en Chirugia pro ulcerum chronicorum cicatrizatione. Siquis ergo vel malitioſe propinatam, vel caſu aſſumpſerit Tutiæ vel ſpodii pulverem ſtatim ac fieri poſſit vomitum excitabit, indè Lac propinandum, ut & ſuccus Menthæ, Terra ſigillata in Vino & Corallus rubeus datus in potu ad pondus ʒ ij. Uſurpanda ſunt utiliter Clyſteria facta ex lacte aſinino, & Oleo Amigdalarum dulcium & linimenta Stomacho, ac ventri olei Roſacei Calidi.

CAPUT XX.

De Minio.

Ex Plumbo ope calcinationis fit Minium, in quo duo conſiderat *Ettmullerus*, primò, quod Minium, augeatur pondere, ſecundò, quod Minio ut ut rubicundo, facilè rubedo demi poſſit; Ad ſecundum dicit citatus Author, miſceri Minium cum ſale Ammoniaco, & aliquoties ſublimari cum eo, & ſic tandem in forma Calcis griſeæ in fundo vaſis ſubſiſtere; ad primum verò acidum quoddam in flamma calcinante cauſam majoris ponderis accuſat Hoffmannus, ita ut v. g. ſumantur Libræ Centum Plumbi, & exurantur in Minium, quod confectum dabit pondus Centum, & decem librarum, & hoc corpus, quod plumbum auxit in flamma, eſſe acidi ſaporis probavit citatus *Hoffmannus Comm. in Schroderum.*

Minium autem aſſumptum Ventriculum & Inteſtina lædit, & hinc ructum, ſingultum, nauſeam, vomitum, alvi fluxionem, & alia ſimilia prava excitat ſymptomata, utpotè, quia particulæ Salinæ, Sulphureæ, & mercuriales Plumbum, & per conſequens Minium componentes, cuſpidibus ſuis penetrantibus, actuatis maximè vi caloris naturalis, non tantùm irritant fibras, verùm etiam continuum ſolvendo, ulcuſcula inducunt in membranis, tum Inteſtinorum, tum Ventriculi, ex quo prædicta oriuntur ſymptomata; Ideòque ſtatim, Vomitorium ex ſeminibus napi, vel Atriplicis cum butyro recenti, oleo communi, anethino, vel alioexhibendum, deinde injiciatur Clyſter ex Decocto Radicum Altheæ, Malvæ, cum Oleo liliorum alborum, vel anethi; Antidoti loco exhiberi poteſt Theriaca, & Mithridatium.

CAPUT XXI.

De Alumine.

ALuminis genera quinque numerat *Schroderus*, rupeum nempè, plumeum, Sciſſile, Saccharinum, & Catinum; Nos verò in præſentiarum de primò tantùm Rupeo dicto loquimur, eo quia ex rupibus, ſeu ſaxis eruitur, ac conficitur, & monente *Hoffmanno* nihil aliud eſt, quam terræ ſalſugo Saturninæ naturæ conſtans ex acido ſpiritu, & ſale terreſtri, ob quod ad vitriolum nativum accedit, & propterea Venenorum Claſſem adauget; Symptomata verò conſequentia aſſumptionem Aluminis ſunt, teſte *Ardoyno*, Tuſſis ſicca, & aliquando Phthiſis vera cum Pulmonis ulcere, & aliquando Phthiſis non vera, ſcilicet extenuatio nimia, ſive conſumptio totius Corporis, quæ Maraſmus dicitur; Cùm enim ſe ſe inſinuent particulæ aluminis Salinæ acido ſpiritu ſaturatæ in cruoris maſſam, ejus naturalem craſim alterant & vitiant particulas nutrientes, quæ balſamicæ ſunt naturæ; adeòque configuratione ſua apta ad replendas partium poroſitates, quæ repletio pororum, eſt partium reſtauratio, atque nutritio; Sicque mutatâ iſtarum molecularum nutrientium figurâ, & per conſequens introductâ acidâ ſanguinis dyſcraſiâ, ad nutriendum ineptâ, tuſſis ſicca ferè continua oritur, & tandem Phthiſis. Ad Curationem hujus Veneni, cùm debeant adhiberi ea, quæ præſcribuntur ad Curam Arſenici, & Calcis vivæ; ideò Lector remittendus ad propria Calcis, & Arſenici Capita.

CA-

CAPUT XXII.

De Ceruſſa.

CERUSA vel Ceruſſa eſt veluti Plumbi ærugo facta per Calcinationem vaporoſam, & paratur ſuſpendendo lamellas Saturni ſuprà acetum, ut vapores ab aceto elevati circumeant, & ſic paulatim adhæreſcit Ceruſa; quæ cùm filia ſit Plumbi, propterea eadem ſymptomata, quæ plumbum aſſumptum excitat, producit; ſumpta enim Ceruſa, mox ope particularum Salino-Sulphurearum, ac mercurialium ſummè penetrantium, ac ſcindentium, aculeiſque ſuis lacerentium Palatum, Lingua, & Gingivæ afficiuntur, ſequiturque ſingultus, vomendi deſiderium, linguæ ariditas, Faucium aſperitas, ſanguinis per alvum egeſtio, teneſmus, Urinæ modo nigræ, modò cruentæ excernuntur, & tandem extrema frigeſcunt, ægrique pereunt.

Primò itaque Vomitus eſt provocandus, ut & fit in aliis corroſivis Venenis; indè Clyſteres parari debent ex Decocto Braſſicæ, Caulium rubrorum, Parietariæ, Oleo Communi &c. poſteà exhibere oportet, ex ſuaſione *Sennerti*, lac calidum, Decoctum Caricarum, radicum Malvæ, Althææ, mucilaginem Seminum Pſyllii, Lini, Fœnu græci, aquam quæ eſt in foliis Ulmi, commendatur quoque lixivium è cinere Sarmentorum Vitis paratum cum aqua mulſa; Succus abſynthii monente, *Rhaſi*, Decoctum Seminum Apii, Fœniculi, Aniſi &c. Lac, Vinum, Theriaca, & ſimilia ſunt in uſu. Hinc contrà Ceruſæ Venenum laudat *Friccius*, Vinum malvaticum, Oleum Terebenthinæ, Oleum Cinnamomi, Oleum Ceræ; Venæ Sectionem autem nocentiſſimam eſſe ſcribit; & *Sennertus* ait, à ſomno, quantùm fieri poteſt, ægrum eſſe prohibendum.

CAPUT XXIII.

De Cinnabari.

DUPLEX eſt Cinnabaris, nativa ſcilicet, & factitia, Prima eſt Terra mineralis lapideſcens, conſtans ex ſulphure, & Mercurio exquiſitè ſecum mixtis in materia terreſtri inſtar lapidis compactis, & hoſpitantibus, interdum purior, interdum impurior reperta; Quæſtio eſt an Cinnabaris cruda adhiberi poſſit? Aliqui defendunt poſſe, ſed fortaſſis encomium eſt hyberbolicum; Ex noviſſimis de Cinnabari nativa diſſertationem ad normam Illuſtriſſ. noſtræ Acad. Curioſor; ſcripſit erudito quidem calamo Excellentiſſ. D. *Gabr. Clauderus*, cujus mentio quoque fit in Actis Eruditor. Lipſiæ Anno 1684. Cinnabaris nativa quoque vocatur *Electrum minerale immaturum*, quod *Helmontio metallus primus*, ſivè *maſculus* eſt, uſumque illius ſuſpectum reddidit ob ſulphur nigrum arſenicale *Thom. Bartholinus Act. Med. Hafn. An.* 1671. *Vol.* 1. *Obſ.* 41. *p.* 77.

Factitia autem Cinnabaris nihil aliud eſt, quàm novum compoſitum ex Sulphure, ac Mercurio; hæc duo, nempè Mercurii pars una, & Sulphuris partes duæ, trita probè, & Subacta ignis beneficio aſcendunt ad altum, & conſtituunt novum concretum rubicundi coloris; Symptomata Cinnabarim ſumptam conſequentia ſunt ſimilia ſymptomatibus conſequentibus Argentum vivum mortificatum, vel ſublimatum; ope particularum ſulphurearum, & Mercurialium; à calore nativo exaltatarum, ſuis aculeis irritantium, ac penetrantium fibras partium internarum, accidunt dolores, Gutturis corroſiones, & Ventriculi, & Inteſtinorum, Vomitus, & difficultas ſpirandi, cum alvi fluxu cruento; undè *Joh. Fernelius* ait, Pictorem graviſſima ſymptomata paſſum fuiſſe à Cinnabari, dum ille ſcilicet non ſolùm pernicillum digitis extergeret, ſed etiam imprudens, & incautus ore exugeret; hinc factum; ut Cinnabaris in Corpus recepta, & Viſceribus, ner-

viſque

viſque communicata ea infecerit, & pravorum ſymptomatum à *Fernelio*, ac à *Sennerto* longè ennaratorum cauſa extiterit; Similiter apud *Schenckium* legitur de Juvene, qui cùm ulcus in pene ex impuro concubitu contractum haberet, nulliſque aliis medicamentis curari poſſet, ſuffumigio ex Cinnabari tandem curatus eſt; Ex eo autem tempore de graviſſimis ſemper doloribus capitis, & fluxu ſanguinis è naribus conqueſtus eſt; Dolor nonnumquam per biduum, vel triduum remittebat, aliquando ſingulis diebus ter, quaterque recurrebat; Dolore ſæviente ſe ſe conjiciebat in lectum, & vocatis duobus, aut tribus famulis, jubebat caput manibus comprehendi, & quanta vi poſſent conſtringi, & comprimi, ſeque nulla re, majorem doloris levationem ſentire affirmabat; Poſt quadrantem, aut dimidiam horæ partem, nonnunquam quieſcebat dolor, benè edebat, bibebat, dormiebat, & abſente dolore optimè valebat, ut teſtatur *Sennertus*; tandemque doloris magnitudine victus ſubito inter manus famulorum caput pro more ſuo comprimentium exſtinctus eſt.

Curatio illorum, qui Cinnabarim tùm nativam, tùm artificialem ſumpſerunt, eadem ſit, cum ea, quæ iis, qui Argentum vivum ſumpſêre debetur. Si materia adhuc hæret in ventriculo, vomitu ſtatim rejicienda, deinde Clyſteres ex hydromelite, vel Oleo injiciendi, ſorbeantur etiam jura pinguia, bibatur Lac, Butyrum, & alia, quæ poſſunt contundere, & inviſcare particulas lancinantes è Cinnabari prodeuntes; Plura de hujus curatione videnda in *Ardoynis*, *Ponzeto*, & *Sennerto*.

CAPUT XXIV.

De Lithargyrio.

LITHARGYRIUM Plumbum eſt, ut verbis utar Clariſſ. *Mangeti* Amici mei honoratiſſimi, atque doctiſſimi *in Bi-*

blioth. Pharmac. Scoriis Cupri impraegnatum, & quaſi in Spumae metallicae formam per calcinationem redactum; Paraturque haec materia dum Cuprum purificatur, poſtquàm è fodinis ſuis in Polonia, Suecia, & Dania exemptum eſt. Duae Lithargyrii dantur ſpecies, quarum alia coloris eſt flavi ſubrubentis, quae Lithargyrium Auri vocatur; Alia coloris eſt aliquatenùs argentei, & propterea Lithargyrium Argenti dicitur; Varietas autem iſtius coloris non agnoſcit aliam cauſam, quàm magis, vel minus intenſus gradus calcinationis; Conficitur etiam lithargyrium dum Aurum, ac argentum, per Cupellam, ſeu cineritium depurantur, ſed parca quantitate; hoc autem à priori non differt; Cùm autem ex Plumbo conficiatur, hinc eſt, quod ſulphureas, ac mercuriales particulas teneat, quae ſi intrà humanum corpus aſſumantur, varia prava producunt ſymptomata, nempè dolores Ventriculi, ac Inteſtinorum, urinae ſuppreſſionem, atque, ſi fides eſt habenda *Aëtio*, & *Avicennae*, Inteſtinorum ulcera, Fluxus alvi, & Recti Inteſtini egreſſum; nonnunquam alvus ſupprimitur, in ſuperioribus apparet inflatio, lingua gravatur, ſermo impeditur, ſpumeſcit os, reſpiratio intercipitur, totum corpus livido tingitur colore, tandemque invaleſcente malo, ſuffocatio ſequitur; quae omnia ſymptomata, non niſi à ſpiculis particularum ſulphureo mercurialium oriuntur, quae Stimulando cuſpidibus ſuis partes, eaſque inflammando, ac lacerando, praedicta cauſant mala. Quoad curationem verò, primò danda eſt opera, ut lithargyrium ſumptum vomitu rejiciatur, deinde curandum eſt, ne partes internae erodantur; Ideò Clyſteres alvum lenientes, & lubricantes ſunt injiciendi, *Rhaſes*, & *Avicenna* purgantia, etiam & *Scammonium* adhibent; Exhibenda deinde Butyrum recens, Lac, & jurà pinguia è Carne bubula &c. Commendant multi Myrrham, Abſynthium, Hyſſopum, Hypericum, Stercus Columbi, Spicam Celticam, ſemen Ormini Sylveſtris, aquam deſtillatam è baccis Juniperi, & Oleum Angelicae; *Sennertus* Theriacam cum Vino generoſo ſumptam laudat, & *Petrus Aponenſis* Bezoar Lithargyrii Semen Cataputiae majoris eſſe ſcribit, tritum, & potum ad pondus ℨ. ij.

C A-

CAPUT XXV.

De Lapide Armeno.

CUM Lapis Armenus ſit penè ſimilis Lapidi Lazuli, & non non differant iſti Lapides inter ſe, teſte *Schrodero*, niſi ſola maturitate; Lapis enim Lazuli invenitur in aurifodinis, Armenus autem in Argenteis; hinc eſt, quod ambo inter Venena reponantur; Dicitur verò Armenus quia olim ex Armenia ſolùm ad nos translatus ſit, hodiè tamen, & in Germania producitur; Aſt cùm hic reperiatur in argenteis fodinis, ideò de Luna participat; Lazuli autem Lapis, ut vidimus de ſole; Lapis Armenus, ſi credendum *Poterio*, duplici conſtat ſulphure, ſale item duplici, volatili, & fixo; In ſale ergò volatili ſtant partes Veneficæ, iſtæ enim magis actuatæ, ac in motum actæ à nativo calore, cuſpidibus ſuis penetrantibus & incidentibus, irritando fibras Ventriculi, vomitum primò excitant, indè ulcerando, dolores, ac alvi fluxus cruentos pariunt, quæ propriè ſunt ſymptomata conſequentia aſſumptionem Lapidis Armeni; Optimè ergo *Avicennus lib. 2. tract. 2. cap. 57.* de hoc lapide ait, *huic ineſſe abſterſionem cum acuitate.* Notandum hîc verò *Ardoynum* velle Lapidem Armenum eſſe ſimilem Corallo, & eſſe Venenum propriè dictum, cujus proprietas adeò Venenoſa ſit, ut exhibitus in quantitate granorum decem interficiat; Verùm nos de tali Armeno lapide, Corallo ſimili, verba non facimus, quia apud Recentes Authores talis Lapidis mentio non fit. Curatio aſſumptionis Armeni Lapidis conſiſtit in educendo, quantò citiùs poſſit, è corpore particulas ſuas corrodentes, partes internas priſtinò ſtatui reſtituendo, eaſque corroborando, quæ Indicationes in omnibus ferè corroſivis Venenis habentur. Satisfiet igitur his, primò excitando Vomitum cum Oleo de Nucibus, & cum decoctione Seminis Napi, & Butyro, ut monet Ardoynis; poſt Vomitum, conſu-

confugiendum eſt ad Theriacam, Vinum generoſum, ſpecies Diamargarit. Philonium Romanum, Bezoar, & Radicem Capparidis conferre in hoc valdè aſſerunt aliqui.

CAPUT XXVI.

De Cadmia, Aurichalco, ac de Scobina Campanarum.

CADMIA, ſeù Cobaltum minerale terreum eſt colore ferè nigrum Antimonio haud ab ſimile, æris, vel argenti particeps, & pollet vi cauſtica, & tam corroſiva, ut foſſorum manus, & pedes exulceret, adeòque inter Venena meritò recenſetur, quippè intùs aſſumpta quæque Animalia perimit, exulcerando videlicet Ventriculum, & Inteſtina, ex quo dolores, Vomitus, alvi fluxus cruenti, & denique mors ſuccedit: Undè *Agricola lib.* 2. *de re metall.* ait, aquam Cadmia infectam, interiores corporis partes erodere, ſi tamen Cadmia argentum in ſe continebit, non adeò nocere. Curatio autem Cadmiæ aſſumptæ eſſe poterit eadem, ac illa, quæ habetur in capite de Ære.

Nunc pergamus ergò ad Aurichalcum, & Scobinam Campanarum; Aurichalcum enim, & Cadmia pro uno, eodemque ſubjecto ſumere videtur in ſua *Biblioth. Pharmaceutica* Doctiſſim. *Mangetus*, nam quando in hoc Libro quæritur Aurichalcum, ipſe Actor Lectorem remittit ad Cadmiam, tanquam unum, & idem; Reverà tamen differt hoc ab ea: Aurichalcum enim vocatur Æs illud factitium flavum colorem Auri præ ſe ferens, & paratur ex Cupro teſte *Brunone in Lexic. Medic.* mixtura Lapidis Calaminaris fuſo, quamvis colorem auro ſimilem intenſiùs acquirat, adjectâ Marcaſitâ argenteâ, & parvâ quantitate Tutiæ cum Cupro fuſis, Cùm igitur Aurichalcum in magna parte ex cupro conſtet, eandem in ſe retinet virulentiam, & cibis, potionibuſque acidis in eo coctis communicat, & quocunque modò ſumptum, ut æs nocet, eademque ſymptomata inducit,

inducit, ac eandem curationem poſtulat; Et cùm Campanæ etiam ex ære, & aliis metallis conſtent, Scobina earum Veneni modo nocere poteſt, de qua re *Horſtius Comm. ad Lemnium de occult. nat. mirac.* ità ſcribit, Nobilis Matrona in ſummo vitæ diſcrimine conſtituta erat, ut quæ imprudens, deliræ Anus conſilium ſequuta, Scobinam, vel raſuram Campanæ in Vino Rubro aſſumpſit; ex quo vomitu divexabatur, & alvus vehementer ſubducebatur, undè Corpus intumuit; Subſecuti immanes Capitis, & Ventriculi dolores, vertigines, & punctiones, tandem in phrenitidem incidit, quæ cum nonnihil mentem recepiſſet, ſemper ſenſit roſiones in Ventriculo, & lancinationes, quaſi acubus transfixus eſſet; Ego adhibitis catapotiis, & hypagogis, Scobinam expurgavi, & dilucidè in chartam aſſumptam aliis viſendam exhibui.

Hinc omninò, ſi quid tale ſumptum ſit, eadem curatio, quæ de ære proponetur, convenit.

CAPUT XXVII.

De Arſenico, Auripigmento, Sandaracha, & Realgare.

ARSENICUM à multis *Arrenicum* dicitur, perperam verò, & corruptè ab aliis *Archenicum* notante *Libavio*; *Defenſ. Syntagm. A. 2. Not. 53.* eſt Succus mineralis, pinguis inflammabilis, inſignis corroſivus, deleteria conditione præditus; ideòque inter Venena meritò referendus. Aliqui Auripigmentum, & Arſenicum eſſe unum, & idem contendunt, certum verò eſt Arſenicum duplex eſſe, alterum nativum, alterum factitium. Nativum, quod ſpontè oritur è metallis, & hoc iterùm duplex eſt. Auripigmentum, ſeu Arſenicum Aureum Citrinum, & Sandaracha, ſeù Arſenicum Rubrum; hæc ambo ejuſdem ſunt generis, & facultatis, nam in eiſdem mineris, vel fodinis naſcuntur, & reperiuntur, atque iiſdem

qualitatibus Venenatis prædita ſunt. Factitium itidem duplex eſt, aliud album, & cryſtallinum, quod fit ex auripigmento, ſeu Arſenico citrino, & Sandaracha, ſeu Arſenico rubro, per ſublimationem, & hoc ut plurimum abſolutè vocatur Arſenicum; Aliud Realgar, & Riſigallum dictum, quod fit ex Auripigmento, & Sulphure, vel Solis, vel addita calce viva, aut ſale ſimul mixtis, & combuſtis, ſeù calcinatis; Rectè ergò tria genera Arſenici eſſe ait *Schroderus*; album videlicet Arſenicum, in ſpecie dictum, citrinum, ſeu flavum, quod dicitur Riſigallum, & tertium Rubeum, quod Sandaracha nuncupatur; Certiſſimum autem eſt, Arſenicum Cryſtallinum, ut ſuprà dixi, factitium eſſe, & per ſublimationem ex auripigmenti ſcobe, & ſale anaticè mixtis confici; hinc non in fodinis, ſed fornacibus reperitur, & ſcatet cauſtico acri, & corroſivo Sale, motui noſtro inimico, propter quod inter Venena cauſtica, & Septica, validiſſima, meritò numeratur, dum non ſolùm particulæ ejus acres à Sale magis aculeantur, ſed etiam in ſe Salia rigida angulis acutiſſimis, penetrantiſſimis donata, poſſidet. Intrà Corpus aſſumptæ verò omnes illæ Arſenici ſpecies, eadem ferè inferunt ſymptomata, eaque graviſſima, ut ſunt Ventris, & Inteſtinorum cruciatus vehemens, Vomitus, ſitis magna, linguæ, & Faucium ariditas, ſpirandi difficultas, Tuſſis, ſingultus, ſequitur aliquandò urinæ ſuppreſſio cum dyſſenteria, ſpaſmo, & paralyſi, quibus tandem mors omnium terribilium terribilior accedit. Notandum verò cum *Sennerto*, Sandaracham mitiorem eſſe, quam auripigmentum, hoc mitius eſſe, quàm Arſenicum Cryſtallinum quod omnium pernicioſſimum eſt; Mitiùs quidem Arſenico albo, ſed pejus Auripigmento eſſe Realgar; neque ſolùm ore ſumptum, ſed etiam extrà adhibitum Arſenicum, & Realgar, nocent; Sic de Pictore narrat *Sennertus*, qui cùm Capſulam Realgare plenam diù concluſam, aperuiſſet in Lipothymiam incidit, & tota facie tumidus evaſit, ac alexipharmacis curatus eſt. Et *Amatus Luſitanus* refert, Juvenem quendam Florentinum, qui cum Scabie, univerſum ejus Corpus occupante, fœdaretur, ungento, cui Arſenicum commixtum erat, præter Medicorum con-
ſilium

ſilium ſe illiviſſet, manè mortuum inventum fuiſſe; & alium quendam ob inunctionem ſimilem in inſaniam deveniſſe. Mors autem ex incauto Arſenici uſu videri poteſt apud *Hiſtor. Medic. Hagendornii* 80.; apud *Salmuth. Cent.* 2. *obſ.* 96. *Sennertum* in *Pract. lib.* 6. *part.* 6. *cap.* 9. *Henr. Regium in lib.* 3. *prax. med.*, *Grebnerum in Medec. vet. reſtit. cap.* 13. *Joh. Schenckium in obſ. med. lib.* 7. *Henr. ab Heers in Obſerv.* 16. *Mangetum in Biblioth. Medic. tom.* 4. & alios plures tam antiquos, quam recentes Authores.

Niſi ergo ſtatim præſentaneâ operâ ſuccurratur; cùm aſſumptum ſit à Corpore humano Arſenicum, de vita æger periclitatur; ex particulis enim illius Salis cauſtici, & Corroſivi in motum actis à calore nativo ſolvitur continuum in partibus internis, undè eroſiones, ulcera peſſima fiunt, ex quibus mors diris ſtipata malis ſuccedit. Quidam tamen, non mox moriuntur, ſed longiore tempore vitam trahunt, at miſerrimam; Sic *Amatus Luſitanus Cent.* 2. *curat* 65. narrat, puellum, poſt Arſenicum ſumptum, paulatim tabidum intrà annum obiiſſe, & *Foreſtus obſerv. med. lib.* 30. refert ſe noviſſe varios, qui ſpatio multorum annorum ſupervixerunt, poſt aſſumptionem Arſenici, ſed in magna miſeria, & cruribus reſolutis, ut vix incedere poſſent. Cùm ergò Arſenicum, Auripigmentum, Sandaracha, & Realgar in activitate non differant, niſi ſecundùm majorem, vel minorem vim juxta ſalium corroſivorum acutiorem, vel minùs acutam cuſpidem, à qua, vel promptiùs, vel tardiùs ulcus in parte interna inſequitur; Idcircò eadem inſtituenda Curatio tàm in Arſenici, quàm Realgaris, Auripigmenti, Sandarachæ aſſumptione, & ratio Curationis in hoc conſiſtit, ut primò ſtatim vomitus provocetur, in cujus provocatione, ſemper adhibenda ſunt pinguia, & oleoſa, ob retundendas, & inviſcandas ſalium particulas ſepticas, & ſic vim Veneni hebetare; Hoc autem faciendum cum aqua calida, Butyro, Decocto Seminis Napi, Atriplicis, Oleo Lini, vel quocunque alio liquore pingui copiosè ſumpto; Deindè ſi cruciatus Inteſtina affligant, Clyſteres injiciendi erunt ex Decocto florum Malvæ, Althææ, Verbaſci,

Seminis Lini &c. confecti, quibus addenda ſunt Oleum Violarum, & Pulpa Caſſiæ; Quin poſſunt etiam parari ex lacte Aſinino aliiſque. Poſteà adhibeantur ea; ut *Sennertus* rectè ſuadet, quæ viſciditate, & lubricitate ſua viſcera à vi Veneni erodente muniant, ubi plurimùm confert lac bubulum epotum in copia, quo octo filios unius ruſtici, Pſaltriam, & Meretricem quandam Veronenſem, unà cum Patre, & Matre arſenico Venenatos ſanaſſe ſcribit *Joh. Bapt. Montanus Conſil.* 367. Butyrum ulteriùs commendatur, ut & Oleum Amygdalarum dulcium, Oryza cum lacte cocta, Succi Althææ & Malvæ, Decoctum Seminis Lini, Syrupus Violaceus, aqua copiosè ſumpta teſte *Mercuriali lib.* 2. *de Venenis*, exemplo Canum, & Murium, & Vulpium, de quibus *Plutarchus* ait, quod ubi deguſtaverint amygdalas amaras, intereant, niſi aquam bibant. *Foreſtus* autem Aquæ frigidæ potum improbat, quod hæc Venena non reprimat, ſed ipſum potiùs retineat; tepida autem uſque ad vomitum bibita utilis putatur à *Sennerto*; Theriacam laudat *Foreſtus*, Cryſtallum foſſilem, Margaritas, Oleum è nucleis Pini, Lapidem Bezoar Oriental. teſte *Claud. Richardo*; Serapinum laudat *Ponzettus*; & *Sennertus*; Emulſiones Seminum quatuor frigidorum majorum *Foreſtus*; Antequam autem Caput præſens de Arſenico claudamus, addenda ſunt ſequentia ſcripta in quadam Epiſtola Illuſtriſſ. D. Antonii Valliſnerii in Archi Lycæo, Patavino, Lectoris Famatiſſimi ſup die 6. Octobris Anni 1707. ad Perilluſtrem D. *Joſeph. Bacioccum* Pharmacopolam noſtrum honoratiſſimum, & Amicum meum integerimum, quæ talia ſunt, ex Italica tantùm in Latinam linguam verſa. Turcæ exhibent Arſenicum flavum, id eſt auripigmentum in quocunque morbo contumaci, ut Chronicæ febres, morbus Gallicus &c. & ſua operatio non eſt ſenſibilis, & doſis eſt granum unum, ſed ſublimati non dant niſi tertiam partem grani; Præparant tamen priùs ſublimatum miſcendo tantùm Mercurii crudi, quantum poteſt imbibere, quod ordinariò eſt æqualis pars, & poſteà miſcent ſimul, donec amittatur curſus, & ſplendor ejus, id verò ſine igne conficiunt, & abſque ulla ſublimatione, ut fit Mercurius dulcis & ità exhibent

hibent optimo eventu; Præparant autem Auripigmentum alio modo, redactum enim in ſubtiliſſimum pulverem, ponunt in vaſe vitreo ſuperponendo tantùm ſpiritus Vini, & Terebenthinæ ut pulveri ſupernatet, & fit digeſtio in Balneo Mariæ per horas viginti quatuor lento igne, & dum fit digeſtio, os vaſis optimè ſit clauſum, & poſt viginti quatuor horas aperiatur Vas & lenta ſiccitate evaporet fluidum. Gallicos Medicos in Caſtris, ait etiam citatus D. *Valliſnerius*, curare febres chronicas exigua quantitate Arſenici in aqua cocti ſine ulla præparatione, ut dicunt, ſed hoc videtur potiùs eſſe, aqua illa celebris Venenata vulgo dicta, *aqua del Peteſino*, ſi cocta eſſet in doſe majore, & in vaſe æneo; Aliqui dixêre, Arſenicum ab illis præparari ſpiritu Vini; *Ettmullerus* ſanè *in Schroder. dilucid. cap.* 27. ait, veteres Medicos pro curando Aſthmate Arſenicum commendaviſſe.

CAPUT XXVIII.

De Marcaſita.

MARCASITA eſt materia metallica immatura producta à portione aliqua ad generationem metalli inepta, undè illam metalli excrementum dicit *Renaldinus*, varium pro varietate metallorum, ut v. g. Marcaſita Aurea, quæ ex auro, Argentea ex Luna, Ferrea, quæ ex Marte & ſic de cæteris Metallis. Verùm magis propriè três tantùm Marcaſitas agnoſcit Præclariſſ. D. *Mangetus* Amicus meus ſingularis, in *Biblioth. Pharmaceut. lib.* 12. quarum prima Aurea ſecunda Argentea, tertia verò Marcaſita Cuprea dicitur. Hinc *Ettmullerus* in radice ſua Marcaſitam vult eſſe minerale venereo-argenteum, nondum perfectè maturatum; & Arſenicali ſubſtantiâ impraegnatum, quâ ratione validum Venenum exiſtit, à Vitriolo, & Sulphure ſuam habens originem; Ideòque Venenum exiſtit

corroſivum, Arſenici naturam redolens. Symptomata, ab ejus aſſumptione derivantia ſunt, monente *Renaldino*, viſcerum corroſiones, tormina, Colicique dolores; vel dolor Iliacus, & hæc mala proveniunt mediantibus particulis Salinis, corrodentibus, arſenicalibus, quæ ſe ſe inſinuando in ſubſtantiam fibrarum tùm Stomachi, tum Inteſtinorum, illas aculeis ſuis irritant, feriunt, & lacerant, ex quo tormina, aliaque prava oriuntur ſymptomata; Ad Curationem quod attinet, omnia ea convenire puto, quæ præſcribuntur in Curatione Arſenici, Auripigmenti & ſimilium.

CAPUT XXIX.

De Argento Vivo, tùm crudo, tùm Sublimato, tùm Præcipitato.

IN Venenorum Claſſe reponitur Mercurius crudus, à Doctoribus, & Sublimatus, & Præcipitatus, ideò in capite præſenti de tribus hiſce Mercuriis ſermonem facere oportet, & primò de Argento vivo crudo; quod an ſit Venenum, dubitant multi, quia nullam cum Venenis habet affinitatem, ut innoxiè etiam, teſte experientiâ, per os aſſumi poſſit; In hoc tamen Medicus debet eſſe cautus, & circumſpectus, ne adulteratum porrigat, ne hypochondriacis, ſpleneticis, & aliis Ventriculi fermento nimis acido præditis, & ſanguinem ſalibus acidis ſylveſtribus, ac corroſivis abundantem, habentibus à quibus Mercurius naturam præcipitati induere poteſt, propinet; Mercurium enim reſolutum, ſive præcipitatum, ſivè ſublimatum, Venenum eſſe dira ſymptomata, & Venenis reliquis communia, quæ ſtatim atque in corpus aſſumptus eſt, inducit, evincunt. Si ergò in notabili quantitate Mercurius Corpori immittatur, haud dubiè interitum animanti afferre

ait. *P. Honor. Fabri*, non ſuo pondere, ut plerique exiſtimant, nam potiùs pondere ſuo egeſtionem ſollicitaret, ſed quia purus ille humor ſanguini admixtus, ignis particulas dividit, ac proindè calorem nativum exſtinguit: Obſervabis tamen eos, qui ſæpè tractant Mercurium, vel ejus halitum excipiunt, paralyſi obnoxios eſſe, imò foſſoribus ipſis, qui Mercurium ex fodina educunt; dentes tremunt, laxat enim gingivas, vel potiùs cùm omnibus plantis noxius ſit, nempè facilè permeat uſque ad imam radicem, plexumque organi labefactat; quid mirum, ſi dentibus, carnibus, unguibus, & pilis noceat; Sunt enim Plantæ referente citato *Patre Fabri in ſua Phyſic. tract. 7. lib. 2.* Labes etiam diras, quas referunt Aurifices, obſervavit Clariſſ. *Ramazinus*, omni Virtutum genere inſtructus, Amicuſque meus ſingularis, *in* aureo ſuo *de Morbo, Artificum Tractatu*; iſti enim potiſſimùm in deaurandis argenteis, & æneis operibus ſunt occupati; cùm enim non niſi per amalgationem id peragi poſſit, dùm poſtea Mercurium igne propellunt, non tam cauti eſſe poſſunt, licet faciem avertant, quin viroſos halitus per os excipiant, quare hujuſmodi artifices vertiginoſi, Aſthmatici, Paralytici, citiſſimè evadunt, habituſque cadaveroſos contrahunt, & perpauci ex iſtis Artificibus in tali opificio conſeneſcunt, ac ſi non tàm citò occumbant, ad tam calamitoſum ſtatum deveniunt, ut eis mors ſit in votis; Venenum igitur Mercurius eſt, cujus particulæ ſunt læves, & exiles cum multa ſoliditate, & Sphæricæ, aut ovales, aliquatenus cylindricæ, & ità ſuadere illius fluiditatem, gravitatem, volatilitatemque docet *Franc. Bayle Phyſic. tom.* 2. Soliditas enim eſt cauſa gravitatis, lævitas cum figura oblonga fluiditatis, parvitas volatilitatis, ad quam etiam confert ſpecialis conſtitutio pororum minùs congruentium cum poris aëris, aut particularum ipſius; Quamvis Mercurii particulæ nequeant inter ſe cohærere, & conjungi in molem duram, poſſunt tamen medio interjecto glutinari, & in corpus durum firmari, ſi, verbi gratiâ, particulæ ſulphuris miſceantur, Mercurii particulæ non ſolum adhærent Auro, ſed etiam in illius poros penetrant, quia ſcilicet aër, cum quo minùs congruunt, quàm cum Auro,

Auro, illas trudit in Auri poros, ut trudit aquæ particulas in poros ligni, terræ &c. ex conformatione autem pororum Auri efficitur, ut Mercurii particulæ in eos propulſæ exerant vim cunei, & Auri particulas disjungant, undè poſt multiplicem Mercurii affuſionem, metallum illud faciliter confringitur, diſſolviturque in pulverem. Etſi ergò Argentum vivum, uti ſuprà dicebam, hauſtum ſæpè innoxium fuerit, atque ægrè Parturientibus, ſicut & infantibus, ad Vermes necandos utiliter exhibitum fuerit à peritis Medicis, quandoque etiam caſu, & incuria magna quantitate hauſtum legatur, tamen tùm ſolùm id accidit, cùm iterùm ſtatim per alvum pondere, volubilitate ſua elabitur; ſi verò in aliqua cavitate partium diutiùs hæreat, vel ſi medicamento, quod vim habeat illud in corpore retinendi, admiſceatur, aut alia de cauſa retineatur, gravia mala, imò mortem inferre poteſt, ut ipſe teſtatur *Sennertus*; Eadem præſtat fumus ex Argento Vivo ore hauſtus, nec innoxium eſt, ſi extrà inunctum per poros in Corpus penetret.

Perniciosius eſt Præcipitatum, maximè perniciosum ſublimatum; Etenim Argentum Vivum, non exſtinctum, non præparatum, ſi in Corpore hæreat, Stomachum, & Inteſtina lædit, non quidem pondere ſuo, ut credit *Diſcorides*, ſed erodentibus ſuis particulis, dolores Inteſtinorum, & Ventriculi cruciatus movet, quibus accedunt Corporis intumeſcentia, paralyſis, Syncopes, Apoplexia, & Mors, quæ eſt ultima linea rerum; Symptomata verò, quæ ex Argenti vivi fumo concitantur, ſunt nervorum contractio, membrorum tremor, debilitas articulorum, & alia quæ, ut ſuprà dixi, accidere ſolent Aurifabris. Particulæ enim Mercurii volatiles, & pungentes ſe ſe inſinuant in partes nervoſas, & prædicta excitant mala, ut ex obſervationibus *Sennerti*, *Ponzeti*, *Fernelii*, *Foreſti*, *Ramazzini*, & aliorum conſtat.

Mercurius ſublimatus nihil aliud eſt, quam hydrargyrus ab acidis penetratus, & ab igne in vaſis partem elevatus, cujus parandi modus videatur apud *Lemery*, alioſque Chemicos, ideòque Venenum eſt potentiſſimum, & inter corroſi-

va

va Venena non infimum tenet locum ; Pariterque Mercurius præcipitatus, qui referente *Ettmullero* fit, quando per digeſtionem in pulverem rubicundum mutatur, & licet a *Schrodero*, & ab aliis Authoribus exhibeatur ad febres tollendas, ſudorem movendum, lumbricos necandos, atque luem Veneream exſtirpandam, attamen exiſtimo ejus internum uſum ſemper eſſe periculoſum, edoctus ab *Helmontio* ſcribente, *Vix boni Viri remedium poteſt eſſe Mercurius, quandiù adhuc reſſuſcitari poteſt*, ut in caſu noſtro, nam præcipitatum argentum vivum faciliter ad ſtatum crudi Mercurii redit ; ope igitur particularum erodentium ſummè mobilium, ac penetrantium hydrargyri, tam in Ventriculo ſi ſublimentur ab acido, & calore nativo, quàm arte calcinatæ, & ſublimatæ, antequam ſumantur, producunt ulcerationes Oris, linguæ, Palati, Stomachi, & Inteſtinorum cum doloribus, torſionibus, inflammatione, Vomitu, ſiti, aliiſque hujuſcemodi malis ; illæ enim particulæ ſuis mucronibus, fibras internarum partium adoriuntur, undè triſtis ſenſatio, cum dolore, Vomitu &c. ſubſtantiam verò partium inflammando, & lacerando, ulcera, atque cruentas alvi egeſtiones ſuſcitant, intolerabili cum incommodo ægri, undè fiunt ſyncopes, & tandem mors ſupervenit ; ideòque optimè ait *P. Fabri*, Mercurium, & præſertim ſublimatum inſigni ſua acrimonia, ac mordacitate Ventriculum, & Inteſtina ulcerare ; non verò urere ut plerique volunt, licet deindè livida appareant, quia livor eſt à ſanguine, qui ſiſtitur ob vitiatam partis diſpoſitionem, ſic enim liveſcunt ulcera, præſertim in membrana ; Quæres cur accendat tantam ſitim ? Reſpondeo cum citato *Fabri*, quia ſuis particulis Striatis fauces occupat, vetatque ne humor affluat obſtructis ſcilicet poris, ſic Sal, Piper, & quædam acria ſitim conciliant ; Præcipitatus autem Mercurius, minore mordacitate pollet ; Refert verò *Andreas Baccius*, propinato cuidam juveni à Muliercula ſublimati pollinè, prægreſſis eadem die crebris à ventre fluctuationibus, ac Vomitibus, mox cum præcordiis extenuante ventriculo, eum poſt triduum interiiſſe ; ſimilemque Caſum refert *Franc. Valleriola lib. 1. obſ.* 7. Scabioſum unc-

tione Mercuriali uſum mortuum, cor exhibentem, coagulato cruore turgidum, refert *Bonetus ſepulchreti Anatomic. lib.* 4. Hinc præclariſſimus *Harderus* Mercurii vim clandeſtinam expertos eſſe multos ait, non ſine magno damno; & Excellentiſſ. *Schmid* Practicus Argentinenſis, ſublimato in venam jugularem Canis infuſo, ſubitam ſanguinis coagulationem cum necis periculo ſuperveniſſe notavit; Et *Conciliator in lib. de Venen.* narrat, Pharmacopolam æſtate, cum ſitiret noctu, hauſiſſe urceolum hydrargyri; cum manè mortuus eſſet inventus, diſſecto Corpore apparuit, quod erat, ſanguinem in corde coagulatum, tùm ipſum cor, Ideòque frigidum videtur, ſunt ejuſdem verba, imò addit ipſe *Conciliator*, inventum eſſe in Ventriculo ferè libram unam Argenti vivi; De hâc re legatur *Cardanus de Venenis*, *Palmarius de Hydrargyro*, & *Mangeti Bibliot. Med. tom.* 4. *lib.* 18. Hinc Helvetius 26. annorum ex militia rediens, planè extenuatus ac defeſſus Lauſannam venit, ac quia de dolore juncturarum, & Laſſitudine conquerebatur, Chirurgi hoſpitio eſt uſus; qui referente *Fabricio Hildano Cent.* 3. *Obſ.* 92. nulla neque morbi, neque virium ratione habita, ſtatim juncturas omnes, corpore non purgato, unguento ex hydrargyro inunxit, quaſi Lue Venerea graviter infectus fuiſſet; undè viribus omninò proſtratis in graviſſimam lienteriam incidens, paulò poſt obiit. Cadavere aperto, Pulmones lividos, & humoribus pituitoſis inſtar ſpongiæ madefactæ repletos; Cor verò, flaccidum, & exangue, ſe inveniſſe fatetur citatus *Hildanus*.

Curationem quod attinet, & quidem primò argenti vivi crudi aſſumpti; in principio danda opera, ut id, quàm primùm è corpore expellatur, quod vomitu excitato faciendum, verùm, cùm argentum vivum pondere ſuo deorſum vergat; Ideò per alvum expellere illud oportet, quod Clyſteribus commodè fiet, quòd ſi non ſufficiat purgans aliquod medicamentum eſt exhibendum; Conveniunt præthereà Lac, aurum, vel in folio, vel in pulvere, ſuccus Pimpinellæ, quo quendam curatum eſſe à Mercurii Veneno ſcribit *Schenckius lib.* 7. Myrrha ſumpta cum vino, Pulvis Rutæ, Theriaca, Salvia, Caſtoreum,

toreum, Apii Decoctum, Origanum, Semen Hormini, Abſynthium, Hyſſopum, Semen Urticæ, Columbarum Sylveſtrium Stercus, folia Roriſmarini, Stœchas Arabica, Zedoaria, Salvia, atque teſte *Conciliatore*, *Guainerio*, & *Sennerto* antidoti loco, Coſtum cum vino ſumptum argenti vivi, quaſi Bezoar eſſe, compertum eſt: Si verò Argentum vivum ſublimatum, vel Præcipitatum ſumptum fuerit, opem ferent ea remedia, quæ in Arſenici cura laudantur, vomitu tamen priùs & quàm citiſſimè procurato; pulvis Cryſtalli ſubtiliſſimus ſumptus ad pondus drachmæ unius cum Oleo Amygdalarum dulcium, eſt antidotum ſublimati; Alii commendant Oleum Tartari, Sal Abſinthii, Aquam mellis, ſpecies Diamargarit., & alia plura, quæ videat Lector curioſus ſimul, atque ſtudioſus apud *Ardoynum*, *Sennertum*, & alios.

CAPUT XXX.

De Ferro, Scoria Ferri, & Ferrugine.

FERRUM, ſeu Mars, ignobilius illud metallum, quod copioſo vitriolico, & terreo ſale, ac ſulphure conſtat, materiam præbet Venenis, eorumque phalangem auget; Hoc verò Metallum teſte *Ettmullero*, Mercurii tantùm habet, quantùm ſufficit, ut conjungatur Sulphur cum Sale; hinc ergò eſt, ut propter Copiam principii ſalini, & paucitatem Mercurii, tardè fluat in igne, propter abundantiam verò ſulphuris reſpectivam promptè igneſcat, & candeſcat, propter autem paucitatem Mercůrii minimè ſit ductile; Levius eſt argento, ſed durius, indéque deducitur illius particulas eſſe ramoſas, & rigidas, iſtud Metallum, non ſecùs ac reliqua, fit rigidius percuſſione, & valida compreſſione, ſed potiſſimùm obrigeſcit temperaturâ, ut aiunt, quando ſcilicet, poſtquàm eſt calefactum, incanduitque per aërem frigidum, celeriter tradu-

 citur,

citur, aut in aquam immergitur, ſubitâ nempè refrigeratione, particulæ, quæ vi caloris expandebantur & variis agitabantur modis, ab his excurſibus prohibentur, & aguntur in motus vorticoſos, ut loquar verbis *Franc. Bayle Phyſ. tom.* 2. quibus ſingularum partium rami exteriùs volutatione, aut rotatione reflexi, aut compreſſi colliguntur in denſiorem molem, undè gravitas oritur major, & per conſequens major totius metalli rigiditas. De iſtius viribus medicis ad profligandas varias humani corporis ægritudines pleni ſunt libri; Nos inpræſentiarum tantummodo de ferro, ejus ſcoria, ac ferrugine ſermonem faciemus, tanquam Veneno, id eſt corpus humanum lædente; Aliquandò enim accidit, ut vel nimia quantitate ferrum ſumatur, vel diutiùs in Corpore hæreat, aut ferrugo, vel Scoria ejuſdem ferri aſſumantur, & tunc in ventre dolor vehemens, ſiccitas oris, & corporis totius inflammatio ſequi ſolet, & quandoque vomitus, ac Capitis vehemens dolor; quæ prava ſymptomata oriuntur à particulis Salino-Sulphureis, quæ à nativo calore actuatæ, non tantum fibras Ventriculi, & Inteſtinorum irritant, ſed cruorem ipſum à motu ſuo naturali deflectunt, ac ejuſdem craſim vitiant, atque conſpurcant, ex quibus prædicta oriuntur ſymptomata.

Curatio eodem ferè modo perficitur, ut de ære dicendum in capite ſequenti; Si enim ferrum, & ferrugo adhuc in Ventriculo hæreat, vomitu evacuandum, ſi in Inteſtina deſcenderit clyſteribus lenientibus abſtergendum, vel etiam lenientia, & Purgantia exhibenda, ut Manna & ſimilia. Poſteà exhibendum Lac, Butyrum, & ſimilia, Bezoar ejus Magnetem cum Succo Mercurialis, in Vino nonnulli eſſe ſcribunt; plura de hoc apud *Ardoynum.*

CA-

CAPUT XXXI.

De Ære, ejuſque ſquamma, flore, Ære uſto, & viride Æris.

ÆS, ſivè Cuprum eſt metallum ex ignobilibus, durius Plumbo, mollius Ferro juxtà *Theophraſtum*, *Schroderum*, *Ettmulerum*, & alios, ex Sulphure, Sale, ac mercurio, primò purpureo, altero rubro, tertio citrino, licet de Sale in Cupro altum habeat ſilentium *Hoffmannus in Clav. ad Schroder.*, enimverò non video quid obſtet, quo minus Salinas quoque concurrere portiones quis credat? præſertim ſi vera eſt hypotheſis *Williſii de Fermentat.* quod, Sal, rebus & corporibus naturalibus compactionem, ſoliditatem, pondus, & durationem largiatur; Difficilè liquatur Cuprum, undè deducit. Clar. *Boyle*, illius particulas eſſe cum quâdam rigiditate ramoſas, ex his enim ſequitur laxior metalli contextus, minorque gravitas, & nihilominùs difficilis partium à ſe invicem ſeceſſus; partilarum Cupri jam conſtitutionem demonſtrat Ærugo, in quam Cuprum halitibus, aut vaporibus acidis ſolvitur; habet enim inſignem vim pungendi, & rodendi, quæ ſine aculeis iiſque rigidis nequit conſiſtere; Poteſt quidem augeri ea rigiditas particularum acidarum occaſione, ut quando Cuprum ab igne cadens ſulphuris inſperſione calcinatur, hoc enim modo præparatum facilè frangitur, partim quia abſumptum eſt aliquid, quod partibus interjiciebatur, earumque nexum firmabat, ſed maximè quia conjunctione acidi ſulphuris partes Cupri obrigeſcunt, eo enim acido, & Cupro formari vitriola inflexilia, ait citatus, *Boyle*. Hoc ergo metallum venenata qualitate non caret, quæ & eſculenta, & potulenta præſertim quæ acidis, aut vino condiuntur, ſi in vaſis cupreis coquantur, aut diutiùs ſerventur, imbuuntur, quæ poſtea intrà Corpus aſſumpta Ventriculum turbant, nauſeam, vomitus, ariditatem linguæ, erosio-

eroſiones Ventriculi, doloremque, & fluxus ventris excitant; ipſius æris aſſumptionem præter dicta ſymptomata, aliquando, & ulcera Inteſtinorum, anhelitûs difficultas, & ſuffocatio ſequi ſolent; E Cupro verò conficiuntur Æs uſtum, flos Æris, ſquamma Æris, & Ærugo, ſive viride Æris, quæ omnia eadem ferè ſymptomata, ac Cuprum excitant, & præſertim viride Æris; *Sennertus* ait, pernicioſiſſimum Venenum eſſe, & graviſſima inferre ſymptomata ferè ſimilia iis, quæ ſequuntur aſſumptionem Arſenici, ſcribitque *Rhaſes*, viridis Æris aureum unum uno die interficere.

Symptomata verò enarrata à Cupro, vel ejus flore, ſquamma, viride Æris, Ære uſto, emanant ope particularum ejus Salino-mercurialium actuatarum à Sulphure, & calore naturali, quæ à corpore humano aſſumptæ, primò ſe ſe inſinuando in poroſitates partium internarum, puta Oeſophagi, Ventriculi Inteſtinorum &c. earum partium fibras pungunt, ac torquent, ex quo dolores fortes, vomitus, alvi fluxus &c indè ſubſtantiam partium ipſarum vulnerando, ulcera producunt inſanabilia; ſecundò ſubtiliores, ac volatiliores ejuſdem Æris particulæ, penetrando in humores ipſorum rectam vitiant craſim, ac motum, ita ut vitali balſamo coinquinato, ac cruore nimis liquato, & fuſo, mortem accelerant; Exempla Necatorum ab Ære paſſim leguntur, apud Medicinæ magiſtros ſolùm hîc nos aliquas de Æris malitia hiſtorias narrabimus, ut meritò Cuprum inter Venena reponatur. De Hortulano narrrat *Joh. Rhodius*, qui cicera vaſe æneo cum Oleo, & Sale cocta, avidè voravit, & vomitu, alvique dejectionibus miſerè conqueſtus, die ſequenti Joh. Veſlingii operam implorat; viribus omninò proſtratis, cordialia imperantur, & epiceraſtica tenuiori fortunæ competentia, ſed miſer die tertio expiravit; Memini ego in *Miſcellan. Acad. Curioſ. decur.* 3. *Ann.* 7. *&* 8. mulierem, poſt aſſumptionem Oryzæ coctæ in vaſe æneo, & ſuos filios pariter, nocte vomitum, dolores, ac alvi dejectiones paſſos fuiſſe; Simileque accidiſſe tribus Rever. Monialibus anno 1698. poſt aſſumptionem

nem paſtæ triticeæ coctæ, cum Butyro, & caſeo conditæ, ac recoctæ in vaſe Æneo.

Sivè quis autem eſculenta, & potulenta Cupro infecta, ſive ſquammam Æris, ſive Æruginem ipſam aſſumpſerit, communis, ut hactenùs de aliis Venenis ſæpè dictum eſt, curandi ratio conſiſtit, ut quidquid aſſumptum fuerit, evomatur, & vomitus aqua tepida, cum Oleo Olivarum, aut Butyro, ac ſimilibus provocetur; alvus verò Clyſteribus ex Decocto Malvæ, Althææ, Violarum, Hordei, Fœnugræci, Pſyllii, addito melle, Oleo communi, vel Chamæmeli eluatur; Poſteà ſumatur Lac aſininum, Butyrum recens, juſcula Carnium pinguia, Syrupus Violarum cum aqua frigida; Exhibeatur ulteriùs bolus Armenus, Terra ſigillata, Lemnia, Melitenſis cum vino; utilis eſt ſuccus Apii, Menthæ, corallum rubrum, Pulvis Zedoariæ, oleum Aniſi, & Theriaca Andromachi ad ʒ. ij. Notandum denique antidota Veneni Æris omnia ea eſſe, quæ ejus particulas, aculeatas, pungentes, viſciditate, & mucilaginoſitate obtundunt, & oblinunt.

CAPUT XXXII.

De Plumbo.

PLUMBUM metallum eſt viliſſimum conſtans ex ſulphure indigeſto, ſale aluminoſo, ac Mercurio crudo; undè præ reliquis metallis admodum ponderoſum eſt, ac fluidum; Notandum tamen, cum *Frid. Hoffmanno*, Mercurium ex quo hoc metallum, eſſe Mercurium metallicum, qui diverſus eſt à Mercurio vulgi, qui ex Antimonio, & Plumbo non difficulter extrahi poteſt, & faciliùs ex ejus mineris; Nihil ergò mirum, ſi hauſtum horrenda ſymptomata, ſpaſmodica tormina, cum alvi obſtructione, ac paralyſi excitat, teſte *Hoffmanno in not. ad Poterii oper.*; Hinc fumum Saturni ore improvi-

provide hauſtum vomitum, & ſedes excitaſſe refert *Boyle hiſt. fluidit. & firmit.* & hæc noxa deducenda eſt à terra Mercuriali, qua conſtat copioſa; etenim hæc, & gravitate ſua, & textura craſſiori adhæreſcit intimè tunicarum nervearum poris, & partim obſtruendo, partim rodendo nocet, & animales ſpiritus in motu ſuo turbat; quare Medicamenta ex Saturno parata parùm tuta eſſe judicat citatus *Hoffmannus*; Sic à Sacchari Saturni immodico uſu paralyſim ortam fuiſſe fatetur *Rhodius*, & de eodem Sale notatu digna memorat *Borellus Centur.* 4. *obſerv.* 32. & præſertim de Amico ſuo, qui Saturni Salem hauſit in nimia quantitate; undè tanquàm Paralyticus, & penè mortuus factus eſt; Tandem revocatus uſu Theriacæ cum Vino, cautior in poſterum factus. *Fernelius* ſcribit de Empyrico, qui Plumbi pulverem adversùs Arthritidem commendavit, quo ad ſeſquilibram aſſumpto, æger primùm dyſenteria crudeli, deindè ventris graviſſimis eroſionibus, ac torſionibus, cum contumaciſſima adſtrictione, virium, & appetitus dejectione, vigiliis, internoque incendio correptus fuit. Saturnus enim (ſunt verba *Billichii*) licet aceto tectus, dulciter delineat palatum, non tamen ſine noxa ingeritur, nequam eſt, & mercuriale virus ori, ac faucibus afflat; Ex his igitur clarum apparet, Medicamina ex Plumbo parata ſatis tuta non eſſe; undè obſervavit non ſemel à magiſterii, vel etiam Sacchari Saturni uſu, Clariſſ. *Hoffmannus*, ad cohibendum ſeminis fluxum, obortam fuiſſe colicam convulſivam, cum alvi obſtructione, ictero &c. Imò quantùm nocere poſſit Plumbum, clariſſimè monſtrat hiſtoria quàm refert D. *Alhard. Hermann. Cummenus* apud *Biblioth. Med. Mangeti tom.* 4. ex *Miſcell. Curioſ. Dec.* 1. *Ann.* 111. *Obſ.* 131. quæ talis eſt; Faber Stannarius Luchovii, multum in miſcenda cum Plumbo Marcaſita laborabat, hinc vehementiſſimos in dolores inteſtinales incidit, cum Tuſſi, anguſtia Præcordiorum, reſpirandi difficultate, alvi obſtructione, & membrorum totius corporis tremore, ac artuum debilitate; *Plura de hac re lege in Biblioth. Med. Mangeti tom.* 4. *lib.* 18. *pag.* 837... *Miſc. Curioſ. l. c. Bonet. in Med. Septentr. T.* 12. *p.* 373. Plerique cen-

cenſent, curationem Venenoſitatis Plumbi eſſe eandem, quæ Ceruſa, aut Lithargyrio ſumpto ſolet adhiberi; Verum, de Vomitu monet *Sennertus*, eum non ita eſſe neceſſarium, ſi Plumbi raſura ſaltem aſſumpta ſit, cùm enim Plumbum nihil noceat, niſi in corpore reſolvatur; ideò vix credibile in Ventriculo poſſe reſolvi; Si autem Plumbum uſtum ſit exhibitum, vomitus tunc utilis videtur. Laudatur præterea Lac aſinæ, Decoctum Malvæ, Oleum Amygdalarum dulcium, Mala Cydonia, Vinum optimum, Aqua Mellis, Theriaca, & Terebinthinata pro Curatione Venenoſitatis Saturninæ, commendat Clariſſ. *Melchior. Friccius de Vir. Venen. Cap.* 14. & nonnunquam potionem Vini malvatici juvare ait, ut & omnia, quæ ſpaſmodicam conſtrictionem Inteſtinorum emendant, eaque relaxant, qualia ſunt pinguia, & Anſerina pinguedo, ſi modò talia ſumere nauſea Ventriculi permittat; commodiùs verò ſimilia remedia in anum per Clyſteres infundi poſſunt.

CAPUT XXXIII.

De Venenis ab Animalibus in genere.

POSTQUAM duas primas Venenorum Claſſes; id eſt Venena Metallorum, & Mineralium conſideraverimus; nunc ad tertiam partem, id eſt ad Animalium Venena accedere oportet; Ex copioſo enim Animalium regno, copioſa habetur Venenorum congeries; In hoc igitur capite, de Venenis ab Animalibus in genere, verba faciamus, ut faciliùs poſt a ſpecies Venenorum Animalium cognoſcamus. Primò igitur advertendum multa Animalia eſſe, quæ morſu Venenum homini inferunt, ut Vipera, Serpentes omnes, Canes, Mus, Scolopendra, & alia Animalia Rabida; Alia lædere ictu, vel aculeo; ut Scorpius, Araneus, Phalangia, Veſpæ, Paſtinaca Marina &c. alia Saliva, & ſputo, ut Ptyas, alia u-

rina, quo modo glyres ulcera maligna inducere ait *Sennertus*; alia etiam per medium quoddam materiale Venenum communicant, quo modo Torpedo per tridentem piſcatoris manum ſtupefacit, & Miles apud *Avicennam*, per haſtam, qua Serpentem vulneravit, ut & Vinitor apud Matthiolum inrerfectus eſt; Porrò nocua ſunt Animalia quædam, ſi eorum Venenum in potu, aut Cibo, vel à malitioſo quodam propinatum, vel fortuitò, & incuriâ fuerit ſumptum; Ità *Nicol. Florentinus* refert in Cœnobio quodam ſumpto liquore aliquo, in quo Araneus fuerat extinctus, omnes Monachos interemptos eſſe; & meminit *Sennertus*, Civem quendam Wittebergenſem varios habuiſſe Commenſales, qui poſtquàm piſces coctos comediſſent, ægrotare cœperunt, & aliqui eorum mortui ſunt; & repertum fuit, Piſces fuiſſe coctos in aqua, in qua Glis ſuffocatus erat; quod an poſſit accidere fides ſit penès *Sennertum*; Sunt autem Animalia Venenata, vel ex ſe, ut Serpentes, Scorpii, Buffones &c. vel talia evadunt ex eorum victu venenato, qualis fuit Puella illa Napello enutrita, de qua paſſim Authores; Etenim varia ſunt Animalia, quæ Cibis nobis Venenoſis paſcuntur, ut Sturnus Cicuta, Coturnices Veratro, anates Bufones devorant, quæ tamen animalia homini in cibum veniunt; Cæterùm Animalia Venenata longè deteriora, & Venenoſiora evadunt, & Venenum ipſorum intenditur, ſi Venenatis victitent, ut docet *Plinius Lib.* 10. undè *Amatus Luſitanus* narrat, Famulum tabefactum fuiſſe ad mortem, quia guſtavit carnem Gallinæ Arſenico enectæ; An verò Animalia, quæ toxicatis telis occiduntur tutò comedi poſſint; dubitant multi; Hinc *Galenus de Theriaca* ait, Pacos, & Dalmatas telorum cuſpides Helenio fricare, & Cervos hoc modo occidere, ipſorumque Carnes comedentibus, nullam læſionem inferre; Hîc tamen cum *Sennerto* notandum quale Venenum ſit, quo tela inunguntur; ſi enim Venenum ſit, quod etiam homini noxium eſt, non eſt tutum manducare Carnes Animalis necati tali infecto telo; *Cardanus* autem monet, partem Animalis vulneratam reſecandam eſſe, antequàm Venenum in totum penetret Corpus; ſi verò Venenum, quo

telum

telum tinctum fuit Animali quidem illi ſit Venenum non autem homini, tutò ejuſmodi caro comedi poteſt.

Signa verò Diagnoſtica quod attinet, plerùmque ex Ægri relatione innoteſcunt; ſi autem ignoretur, an morſus relictus venenatus fuerit, id ex eo pateſit, quod poſt morſum vel ictum, læſa pars ſtatim valdè intumeſcit, inflammatur, dolore gravi corripitur, emoritur; & alia accedunt ſymptomata, quæ Venenis ſumptis ſolent ſupervenire; quòd ſi morſus, vel ictus beſtiæ Venenatæ arteriam, venamve læſerit, tunc periculoſiſſimum eſt, facilè enim ad cor penetrat, nec periculo caret, ſi nervoſa pars ſit læſa; per nervos enim Venenum cerebro faciliter communicatur; unde gravia excitantur ſymptomata; minimè verò periculoſum eſt, ſi vas nullum ſit læſum; Alexipharmaca autem, quæ cujuſque Animalis Venenoſi ictui, ac morſui propria ſunt, poſtea in ſpeciali capite talis animalis proponetur impoſterùm; ſit igitur.

CAPUT XXXIV.

De Serpentibus in Genere.

SERPENTES primi ſunt in numero Venenoſorum Animalium, & ſic dicuntur dupliciter; Primò generaliter pro omnibus Serpentibus, ita ut etiam Vipera ſub eo comprehendatur; Deindè in ſpecie, ut Viperis opponitur, quo modo ſerpentes dicuntur animalia illa repentia ovipara; Viperæ verò, quæ viva Animalia pariunt; Angues à multis dicuntur, notante *Voſſio orig. Idololatr.* à verbis ango, ſtringo, premo, quoniam corpore Serpentes ſunt ſtricto, preſſoque, ſive anguſto, quod tamen nomen *Servius in Comm: in Virgil.* ſerpentibus aquaticis ſolummodo attribuit, qui nant, non ſerpunt. Colubra verò conſtat ab eo dictum, teſte *Iſidoro*, quod colat umbras,

vel quod in lubricos tractus, flexibus ſinuoſis labatur; nam lubricum dicitur, quidquid labitur, dum tenetur, ut Piſcis, & Serpens; potiùs repens dicendus, ut notat *Aldrovandus lib. 1. de Serp.* pluribus de talibus Etymologiis curioſus Lector videat *Feſtum*, *Theophraſtum*, *Gazam*, *Iſidorum*, *Bochartum*, *Aldrovandum*, & *König.*

De ſerpente autem illo primævo, qui tanta damna in nos ſerpere fecit judicant aliqui, eum in creatione quadrupedem fuiſſe, pertinereque ad pœnam, quod hodiè ſuper ventrem ſuum eat, & pulverem comedat; qua de re legatur *König. in Regn. animali*, *Bochartus de Animal. Sacr. Script.* & videantur inſuper interpretes Sacræ Scripturæ, tam Antiqui, quam Recentiores.

Quinque autem potiſſimum modis ſerpentes homini Venenum inferunt; Primò enim morſu lethale vulnus infligunt; Secundo ſputo, & Saliva nocent; Tertio effluviis ſuis hominem Veneno afficiunt, ſine immediato tactu; Sic *Matthiolus narrat* de Vinitore, qui cùm horrendi Serpentis Capiti haſtam longam infixiſſet, ac Serpentem ſe fortiter contorquentem teneret, magno tremore correptus, & licet Theriacâ, aliiſque remediis eſſet auxiliatus duobus attamen annis poſtea, univerſi Corporis ſtupore in lecto ſemper decumbens ægrotavit, & eo præſertim brachio, quo perniciofum Animal haſta necaverat; Simileſque Caſus narrant pariter *Amatus Luſitanus*, *Julius Cæſar Scaliger*, & *Sennertus*; Quartò, Serpentes ſolo etiam contactu nocere poſſunt, cujus rei hiſtoriam refert *Geſnerus hiſtor. Anim. lib.* 4 ait enim, quod in agro Tigurino Serpens quidam baculi craſſitudine in ruſticum inſilire conatus ſit, quod cùm ille videret, &, Sacco quem ferrebat relicto, fugeret; Serpens proſilivit ſpatio circiter ſexdecim pedum, non tamen attigit Ruſticum; deindè cùm Sacci accipiendi gratia rediret, Serpens denuò in eum proſiliens, branchium ejus ſiniſtrum totum ſpiris implicavit; idque adeò arctè conſtrinxit, ut veſtigia ſpirarum imprimeret, non tamen momordit; nam Ruſticus ſtatim alterâ manu capite comprehenſum abſtraxit, reecitque, Brachium verò paulatim putridâ quædam ſaniæ contabeſ-

tabeſcens carne nudatum eſt. Quintò demùm nocent etiam ſanguine, ſi dum conſcinduntur, eo crura, vel manus conſpergantur; Præter hæc interdùm incautis Serpentes in vepretis, vel circà muros, & collapſa ædificia latitantes hiante ore ſomnum capientibus per os in Corpus penetrare ait *Sennertus*, & ſæva excitare ſymptomata, ut hiſtoriæ Medicorum teſtantur.

Morſum ſerpentis ſequitur in parte affecta, tumor, dolor, in facie livor, biduo pars offenſa dealbatur, totumque Corpus pallido colore fœdatur, pili defluunt, ac moritur æger; idemque accidit in halitu venenato animalium, & eorum ſaliva, vel ſanguine; Serpentem verò per os in hominem ingreſſum arguunt acerbi cruciatus ventriculi, ex vini, vel Lactis potu miteſcentes, nec non Lipothymiæ crebrò accedentes. Pro Curatione adhibent Practici, primò ligaturam tam ſuprà, quàm infrà Morſum, indè ſcarificationem partis affectæ, cucurbitula appoſita, ut cum ſanguine virus extrahatur; indè ſpiritum Vini, Theriacam, & Mithridatium ſuperimponunt, vel ſcillam aceto coctam; nonnulli capita ſerpentum ipſorum trita, ſal cum melle, hyſſopum, Origanum, Rutam, Cæpas, ſulphur, & alia imponunt. Propinant ulterius alexipharmaca, ut Theriacam, Decoctum Fragariæ, Semen Agni Caſti, Radices Gentianæ, Caſtoreum, Crocum &c. Plura de talibus remediis ſcire cupienti conſulendi ſunt *Ardoynis*, *Sennertus*, & alii Medicinæ Magiſtri.

CAPUT XXXV.

De Aſpide.

ASPIS, cujus tres ſpecies *Galenus* agnoſcit, pro uno, & eodem habetur à *Brunone in Lexic. Med. Caſtel.* ac ſit ſerpens, cujus prima ſpecies dicitur *Cherſæa*, altera *Chelidonia*, tertia

tertia *Ptyas*, quæ perniciosiſſima eſt; ſiquidem perindè ac ſi tunc ratione prædita foret æſtimata intervalli diſtantia, collum eouſque extendit, & celeriter homini inſpuit Venenum. Hac ſpecie aſpidis ferunt Cleopatram Reginam ſibi mortem conciviſſe, cum Imperator Auguſtus eam vivam captam vellet Romæ in Triumphum ducere; De tali tanquàm Venenatiſſimo Angue tractat primò *Nicander* antiquiſſimus Venenorum ſcriptor, Aſpis verò, ut ex ſcriptis *Iſidori* colligere poſſumus, nomen proprium ab aſpergendo ſortita eſt; propterea quod Venenum quodammodò morſu aſpergat, quamvis juxta *Arnaldum*, & alios ab aſperitate cutis cognominetur, ut fatetur *Ardoynis lib.* 6. *Cap.* 4. Alii nixi autoritate Avicennæ ab aſpiciendo nomen Aſpidis derivare volunt; aiunt enim Aſpides acutiſſimo lumine inſpicere; Alii verò hoc nomen ab Aſpide nimirum à Clypeo derivant, quoniam hoc Animal inſtinctu quodam naturali, ſtatim ac aliquem ſenſerit ſtrepitum, ſomno excuſſo, ſe ſe in orbem contrahit, atque ex mediis ſpiris terribile caput attollens, Aſpidem, nempè rotundi formam Clypei exhibet; *Aldrovandus* tamen à voce græca derivat, à Sibilo nempè acuto; De iſtius differentiis plura vide in citato *Aldrovando lib.* 1. *de Serpent. cap.* 4.

Aſpis verò tam exiguum infligit vulnus, ut id omnem ferè oculorum aciem effugiat, & vix æquet puncturam acûs, ut verbis loquar *Sennerti*; Per illud autem tantæ malitiæ Venenum infundit, ut intrà paucas horas totum Corpus pervadit, & citiſſimè è medio tollit; Poſt morſum Aſpidis ſupervenit gravitas Capitis, caligo Oculorum, hebetudo ſenſuum, ſomnolentia, Pallor, Refrigeratio, convulſio, tandemque Mors, tanquam finis malorum, Iſtaque mala provenire arbitror à particulis acidis ſummæ activitatis ipſum Venenum aſpidis componentibus, quæ in maſſam ſanguinis introductæ eum citiſſimè coagulare valent, unde gravitas, ſomnolentia, caligo, hebetudo ſenſuum, pallor, & refrigeratio, convulſio tandem ab iiſdem acidis particulis habetur, illæ enim, cuſpidibus ſuis pungendo fibras & nervos, convulſivos excitant motus; Obiter hîc autem notandum eſt, quod vis Ve-

nenum

nenum agens in humorum maſſam, non tangendo ſolidas partes, vel coagulare, vel ſolvere, ac fundere cruorem, certam mortem inferendo; Sic pariter malignæ, & peſtilentiales Febres à fermento, ſeu Veneno, vel acido, vel Salino fundente dependent; illæ enim omnes, vel à coagulatione, vel à diſſolutione cruoris fiunt.

Ad Curationem quod attinet, animadvertere debet Medicus, primò faciendas eſſe ligaturas, & ſcarificationes in læſa parte, ut ſuprà dictum eſt in capite ſuperiori; indè alexipharmaca exhibenda, ut Mithridatium, Theriaca, Folia Caryophillatæ, Rutæ, Pulvis Smaragdi, Semen Citri, Allium tritum, Semen apii cum mero, Corallum, Carpobalſamum, Pulvis Gentianæ, & ſimilia. Plura verò de his dabunt *Ardoynis*, *Ponzetus*, *Sennertus*, *Aldrovandus*, *Pareus*, *Dioſcorides*, *Grevinus*, *Aëtius*, & *alii*.

CAPUT XXXVI.

De Ceraſte.

Cerastes nomen eſt Serpentis, ita dicti ab eminentiis aliàs binis, alias quaternis, & juxtà *Solinum*, *Plinium*, & Arabes, quadrigeminis, quæ quidem in ipſius capite cornicula præ ſe ferunt; Eſt autem longitudinis cubitalis, & ad ſummum duorum cubitorum; Corpuſque ejus coloris eſt arenoſi juxtà caudam deſquammati, ſquammæ duræ, ac ſiccæ ſunt, quæ ſtrident ſuper terram cum ſtrepitu, ſi fides habenda eſt *Ardoyno*, & dentes ejus ſunt æquales, non recurvi, ac ut plurimùm iſtæ Feræ habitant in locis arenoſis Africæ, ut monent *Diodorus Siculus*, & *Joh. Boemus.* Locus à Ceraſte morſus in tumorem capiti clavi non abſimilem attollitur, è vulnere ſanies exit, modò pallida, modò nigra, puſtulæ oriuntur lividæ, nonnunquàm totum Corpus liveſcit, intumeſcunt

cunt labia, caligant oculi, mens alienatur, convulſio accedit, ac Mors; Ex acido enim, ſed non tàm potenti liquore, ac Aſpidis, Venenum Ceraſtis efficiente, contaminato cruore, prædicta oriuntur ſymptomata, fixato enim ſanguine, caligant Oculi, tument labia, liveſcit totum Corpus, ac acidis particulis irritato nerveo genere, convulſiones habentur; Maxima curationis, teſte *Sennerto*, ſpes eſt in membri læſi amputatione ſubita, ſi locus tamen membri, & ejus conditio id permittat, & patiatur; quòd ſi fieri nequeat, omnis ſaltem caro, circà affectum locum, ſine pietate abſcindatur, à celeri Chirurgi manu, vel ſaltem profundè ſcarificetur, cucurbitulaque appoſita unà cum ſanguine virus eliciatur; locus poſteà affectus, Spiritu Vini, in quo Theriaca ſit diſſoluta, abluatur, & foveatur; Laudant nonnulli Emplaſtrum è Menthaſtro, Hyſſopo, melle, & Sale; Alii Ranas, & Alaudam avem contuſas vulneri imponunt; Pix ex arbore picea ſtillans ad mentem *Dioſcoridis* Ceraſtum ictibus cum ſale illinitur, Cedria cum Sale impoſita commendatur, ut & Caprinum Stercus cum aceto coctum & alia, quæ videat Curioſus Lector apud *Aldrovandi Hiſtoriam Serpentum lib.* 1. *Cap.* 4. & apud *Ardoynum de Venen. lib.* 6. *Cap.* 5. Mira de Pſyllis Lybiæ incolis in Curatione demorſorum à Ceraſte plures referunt Autores, & præcipuè *Sennertus*, quod ſcilicet, vel ſolâ ſalivâ ſuâ illitâ, vel aquâ, qua os colluerunt, exhibitâ, vel proprio corpore nudo accubitu cum ægrotis, eos curare potuerint, ut hac de Re *Ælianus Lib.* 1. *de Animal.* & alii ſcribunt; *Plutarchus in vita Catonis* ait, quod Cato, cùm exercitum Julii Cæſaris fugiens, per Lybiæ deſerta iter faceret, ſeque in ſummo periculo ob ſerpentes, qui ſingulis ferè horis milites interficiebant, conſtitutum videret, meliùs certè ſibi non potuerit conſulere, quàm ut auxilium à Pſyllis peteret, qui vulneratorum ictus exugerent, & incantamentis quibuſdam ità ſerpentes faſcinarent, ut nullum indè morſum poſſent inferre; Sic etiam *Lucanus* hujus rei mentionem faciendo cecinit *Pharſal. Lib.* 9.

. . . - - *Gens unica terras*

Incolit,

Incolit, à ſævo ſerpentum innoxia morſu
Marmaridæ Pſylli: Par lingua potentibus herbis;
Ipſe cruor tutus, nullumque admittere virus
Vel cantu ceſſante poteſt; natura locorum
Juſſit, ut immunes miſti ſerpentibus eſſent.
Profuit in mediis ſedem poſuiſſe Venenis.

Maximè verò mirum eſt, quod de iiſdem *Ælianus* ſcribit; Virum, cui ſua Uxor venerit in ſuſpicionem adulterii; quique ex ea ſuſpectos liberos adulterino natos ſanguine ſuſpicetur, experimenti causâ in dolium Ceraſtis plenum, infantem conjicere, ſicque ingenuitatem pueruli experiri; Ceraſtas protinùs inſultare, acerboſque fieri, innatum malum puero minitantes; eos verò, ut puer attigit, remolleſcere, undè Lybicus ille ſe legitimum Patrem agnoſcit, ſed ipſe Ælianus dubitat, an hæc vera ſint; & licet varii Authores de vi Pſyllorum contrà ſerpentes mentionem faciant, tamen, an ea, quæ præſtiterunt naturalem cauſam, an verò magicam habuerint, dubium eſt; Plura de hac re curioſa quidem, ſed non credibilia, legi poſſunt apud *Gellium*, *Herodotum*, *Plinium*, *Galenum*, *Solinum*, *Ælianum*, *Aldrovandum*. *Sennertum*, *Caſp. à Reies*, & alios.

CAPUT XXXVII.

De Hæmorrhoo.

HÆMORRHOUS vel *Hæmorrhois* Serpentis eſt ſpecies ita dictus ab *hæmate* quod ſanguis eſt; *roos*, quod eſt, fluxus, quandoquidem ſaucii ab hac Fera, ſanguinem per os, nares, & tandem per omnes poros Corporis effundentes pereunt; unde *Lucan. Pharſal. lib. 9.*

At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem
Squammiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes.

Sic *Reuſnerus Lucanum* imitatus canit. *Par. Poët.*

Squammiferos ingens hæmorrhois explicat Orbes
Læſerit hæc toto corpore ſanguis abit.

Et *Lucanus* paulò poſt *eodem in libro.*

Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo Juveni, miratorique Catonis.
Utque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura croci; ſic omnia membra
Emisêre ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lachrymæ: quæcunque foramina novis.
Humor ab iis largus manat cruor; ora redundant,
Et patulæ nares; ſudor rubet; omnia plenis
Membra fluunt venis: totus eſt pro vulnere corpus.

Sic *Georg. Pictorius* Lucanum ſecutus cecinit de Tullo.

Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo, fluxu ſanguinis, & periit.

Pathognomonicum ergò ſignum Veneni iſtius anguis, eſt ſanguinis profluvium, non ſolùm per inflictum vulnus, ſed per Nares, Aures, Oculorum angulos, atque etiam Corporis poroſitates; unde deliquium, & Mors inevitabilis accidit; Cùm enim tale Venenum, ſtabulans in vaginis dentium hæmorrhoi, ſcateat ſepticis ſalinis particulis lixivioſis; hinc eſt, quòd per morſum in cruorem introductæ illum fundunt, & eliquant; ità ut ſubtilior factus, & propria figura orbatus, & per oſcula Vaſorum, & per Corporis poros ſanguis exeat in certam hominis perniciem.

Licet verò ferè nulla appareat ſpes ſalutis, tamen tentanda eſt Curatio; Primò abſcindendo membrum læſum, ſi abſque vitæ diſpendio id fieri poſſit, aut ſi id facere haud liceat, cucurbitulæ Scarificatæ adhibendæ, vel Cauterio actuali pars aduren-

adurenda; *Aëtius* imponit Cataplaſma ex foliis vitis coctis cum melle, & foliis Portulacæ, cum Polenta vel è Porro, Urtica, Ruta coctis, addita farina hordei, & Ovi albumine; ſimul exhiberi poſſunt Medicamina ſanguineum fluxum inhibentia; ut ſunt Tormentilla, Burſa Paſtoris, Plantago, Bolus armena, Terra ſigillata, lapis hæmatites quibus ſemper addatur aliquid Theriacæ; Conferre etiam albumen Ovi cum Vino, ait *Ardoynus*, ut & Uvam paſſam monente *Plinio*; *Paulus Ægineta*, Caput ipſius Hæmorrhoi crematum in Vino potandum præbet; allium cum vino, Semen Raphani, Radicem Lilii Cæleſtis, Cinnamomum, Trifolium, Menthaſtrum, Coſtum, Caſſiam, Muſtum, Flores, & Moram Rubi, Portulacam Sylveſtrem, & alia commendat *Aldrovandus lib.* 1. *de Serp. Cap.* 5.

CAPUT XXXVIII.

De Sepedone.

AD unum, idemque genus ſepem, & ſepedonem reduci, & niſi ratione coloris diſtingui, ait *Aldrovandus*, *Nicandri* Scholiaſten ſecutus, quoniam ambo iſti ſerpentes partem morſu læſam inſigni putredine vitient, ità ut poſteà varii Authores ſepedonem à ſepe minimè diſcrepare opinantur, Dicitur autem Sepedon à putredine, quam infert ſubitam, undè Latini hunc Serpentem ex *Scaligero*, non injuria, *Putriam* indigitarunt; Hujus deſcriptionem videat curioſus Lector apud *Ambroſ. Pareum*, & citatum *Aldrovandum lib.* 1. *de Serpent. Cap.* 6.

Hunc Venenatiſſimum eſſe anguem, omnes conſentiunt Authores, atque ipſa experientia edocuit, tantæ malitiæ Venenum immittere, ut intrà tertium diem hominem occidat; Sepedonis morſum dolor vehemens ſequitur in parte affecta, ſanguis è vulnere primò quidem purus, paulò poſt verò ſanioſus exit, pili defluunt, corpus colore albo tingitur, & caro partis læſæ putreſcit.

Morſûs ſepis effectus ſic deſcribit *Lucanus Pharſal. lib. 9.*

Miſerique in crure Sabelli
Seps ſtetit exiguus ; quem flexo dente tenacem
Avulſitque manu , piloque affixit arenis.
Parva modo ſerpens , ſed qua non ulla cruentæ
Tantum mortis habet : nam plagæ proxima circum
Fugit rapta cutis , pallentiaque oſſa retexit.
Jamque ſinu laxo nudum eſt ſine corpore vulnus :
Membra notant ſanie , ſuræ fluxêre , ſine ullo
Tegmine Poples erat , femorum quoque muſculus omnis
Liquitur , & nigra diſtillant inguina tabe.
Diſſiluit ſtringens uterum membrana , fluuntque
Viſcera , nec quantum toto de corpore debet ,
Effluit in terras , ſævum ſed membra venenum
Decoquit ; in minimum mors contrahit omnia virus :
Vincula nervorum , & laterum textum , cavumque
Pectus , & abſtruſum fibris vitalibus omne ,
Quicquid homo eſt , aperit peſtis : natura profana
Morte patet : manant humeri , forteſque lacerti.
Colla , caputque fluunt : calido non ocius Auſtro
Nix reſoluta cadit , nec ſolem cera ſequetur.
Parva loquor . corpus ſanie ſtillaſſe peruſtum :
Hoc & flamma poteſt : ſed quis rogus abſtulit oſſa ;
Hæc quoque diſcedunt , putreſque ſecuta medullas ,
Nulla manere ſinunt rapidi veſtigia fati.
Cyniphias inter peſtes tibi palma nocendi eſt :
Eripiunt omnes animam , tu ſola cadaver.

Ex quibus ſymptomatibus colligitur , particulas Veneni iſtius anguis eſſe acido ſepticas , ac corrumpentes , laceranteſque ſpiculis ſuis cruoris moleculas balſamicas , ita ut citò in ſaniem tranſiens per vulnus ſanioſus exſtillet non ſine fœtore , ut monet *Sennertus Pract. lib. 6. part. 8. Cap. 6.* undè *Pareus* cauſticum , & putrefacientem humorem Venenoſum ſepedonis , eſſe dixit : Ut verò Curatio inſtituatur , primò pars demor-

demorſa arctiſſimè liganda, & plaga profundè ſcarificanda, cum applicatione cucurbitulæ; poſteà utendum eſt Emplaſtro è baccis Lauri, radice Ariſtolochiæ rotundæ, cæpis, allio, ſinapi, naſturtio, pice, galbano, opoponace &c. Spongiam aceto calido imbutam morſui applicat *Ætius*, nec non Butyro cum melle mixto læſam partem illinit, & paleas unà cum terra eis adhærente exuſtas imponit; Acetum mulſum cum *Dioſcoride*, *Aldrovandus* approbat, ut & Oxymel; omniaque illa antidota, quibus Venenum Viperarum ſuperatur.

CAPUT XXXIX.

De Dipſade.

DIPSAS nomen ſuum ducit à Dipſa, id eſt ſiti, quoniam ab hujus ſerpentis læſione Ægri vehementer ſitiunt; undè *Iſidorus* Dipſadem Situlam cognominavit, & *Avicenna* Viperam facientem ſitim. Non immeritò ergo Dipſas nuncupata fuit ſerpens urens, nam percuſſorum viſcera adeò exſiccantur, ut continua aquæ potio ab illis deſideretur; *Solinus in Polyhiſtor.* hunc ſerpentem inter ſpeciem Aſpidis connumeravit; Aſt *Diſcorides*, & alii ſcriptores Dipſadem ab Aſpide diſtinguêre, ſiquidem hæc Animalia adeò inter ſe diverſa eſſe ait *Aldrovandus*, ut alterum aquatile, alterum Terreſtre eſſe feratur, unde *Lucanus Pharſ. lib. 9.*

> \- - - *Stabant in margine ſiccæ*
> *Aſpides, in mediis ſitiebant Dipſades undis.*

Accidentia conſequentia morſum Dipſadis, ſunt inflammatio, & intolerabilis, atque inextinguibilis ſitis, adeò ut licet ægri copioſiſſimum ingurgitent potum, nullum tamen inde ſentiant levamen, ſed more hydropicorum.

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiantur aquæ.

Quia tamen inflammatur etiam Veſica, id eò ut largus ille potus per urinæ vias exire nequeat, ideò in totum diſtenditur corpus, unde tumet adeò, ut nonnunquam circa inguina diſrumpatur, ægerque ſitibundus etiam moriatur.

Dipſadis morſum, qui ſequantur effectus, & ſymptomata ſic eleganter deſcribit *Lucanus Pharſal. lib. 9.*

Signiferum Juvenem Tyrrheni Sanguinis Aulum
Torta caput retrò Dipſas calcata momordit.
Vix dolor, aut ſenſus dentiſque fuit, ipſaque lethi
Frons caret invidia; nec quicquam plaga minatur.
Ecce ſubit virus tacitum, carpitque medullas.
Ignis edax, calidaque incendit viſcera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fuſum
Peſtis, & in ſicco linguam torrere palato
Cœpit, defeſſos iret qui ſudor in artus
Non fuit, atque oculos lachrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non mœſti jura Catonis
Ardentem tenuêre virum, quin ſpargere ſigna
Auderet: totiſque furens exquireret agris
Quas poſcebat aquas, ſitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanaim miſſus, Rhodanumque Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem:
Acceſſit morti Libyæ; fatique minorem
Famam Dipſas habet terris adjuta peruſtis.
Scrutatur venas penitus ſquallentis arenæ:
Nunc redit ad ſyrtes & fluctus accipit ore.
Æquoreuſque placet, ſed non & ſufficit humor.
Nec ſentit fatique genus, mortemque veneni:
Sed putat eſſe ſitim: ferroque aperire tumentes
Suſtinuit venas, atque os implere cruore.

Quæ mala oriri cogito, eo quia particulæ ſepticæ, &

Salinæ

Salinæ hujus potentiſſimi Veneni, ſanguinem fundendo, ac diſſolvendo, porroſitateſque partium internarum ſuo continuo tranſitu irritando, & per conſequens inflammationem, ac dolorem pariendo, & ſitim inexplicabilem, & tumorem Corporis totius efficiunt, non ſine vitæ diſcrimine; Dipſadis autem morſui, eadem, quæ reliquorum Serpentum, ac Viperarum ictui, conveniunt medicamenta tùm externa, tùm interna; Sic Theriaca cum vino eſt aſſumenda, cancros fluviatiles tritos, & bibitos cum lacte Caprino laudat *Ardoynis*; Vomitum proponit *Avicenna*, & Clyſmata; Laurum *Plinius* extollit, Portulacæ folia ex aceto contrita *Paulus Ægineta* commendat & *Celſus* potionem aſphodeli arefacti cum modico Rutæ admittit; & quia potus per urinæ vias non educitur, diuretica eſſe exhibenda monet *Sennertus*.

CAPUT XL.

De Natrice

NATRIX ſerpens eſt, & ſecundum loci, quem diverſis temporibus inhabitat, diverſitatem, diverſa enim ſortitur Nomina; amphibium enim cùm ſit hyeme, ac vere in paludibus, & ſtagnis degit, & tunc *Hydrus* dicitur; Autumno autem, & Æſtate tellurem ſiccam habitat, & *Cherſidros* appellatur, ſub quo nomine à *Nicandro* & *Aëtio* conſideratur; Hinc *Ælianus*, & *Solinus*, marinos quoque ſerpentes Hydros nuncupaverunt, quemadmodum Poetæ nomine Hydri omnes angues accepêre, ſic *Ovidius* de Meduſæ capillis cecinit

Gorgoneos crines turpes mutavit in Hydros.

Plura de nomine Hydri, ſive Natricis vide apud *Aldrovandum Hiſt. Serp. & Dracon. lib.* 1. *Cap.* 17.

E vulnere à natrice inflicto, primò ſanguis exit purus, paulò poſt tamen ſanies multa, putrida, fœdique coloris, ac odoris, circa locum affectum apparet intumeſcentia livida, Vomitus ſupervenit bilioſus caligant Oculi, & dolor vehemens inſurgit, tandemque viribus proſtratis mors accedit, & hic notandum, *Ælianum* ex *Apollodor* referre Cherſydri Venenum, ità eſſe pernicioſum, ut qui mortuum tantùm attigerit, ſtatim intereat, quod tamen ego difficiliter credo; Fides ergò ſit penès *Apollodorum*, & citatum *Aëtium*; Canit autem *Nicander in Theriaca* de Natrice loquendo carmina ſequentia

Peſſima, quas fecit plagas hæc ſigna ſequuntur;
Arida tota cutis circumputret, horribilemque
Elevat aſpectum, magni, ignitique dolores
Tandem hominem interimunt, mox plurima puſtula ſurgit
Ac aliæ ex alia bullæ ſe parte refundunt,
Et miſerum diris turbant affectibus ægrum.

Talia autem ſymptomata prava originem habent à ſubſtantia Venenoſa Natricis; cùm enim hæc ſcateat particulis acidis; hinc eſt, quòd coagulando ſanguinem intumeſcentiam, puſtulas, inflammationes, aliaque dira mala efficiat, quæ tandem ægrum ad ſepulchrum deportant, niſi ſtatim ope medica ſuccurratur; ad quam perragendam primò, quæ in aliis venenatis vulneribus ſerpentum, ad Veneni evacuationem & extractionem adhiberi ſolent auxilia, hìc locum habent. Propterea Origanum tritum, & aqua ſubactum, ac lixivium cum oleo permixtum commendat *Dioſcorides*; Emplaſtrum ex Origano, Radice Ariſtolochiæ, farina hordei cum melle proponit *Sennertus*; Calcem vivam cum oleo permiſceri, ac imponi jubent *Cornarius*, & *Aëtius*; Succum Marrubii *Ægineta* laudat, & Naſturtium Sylveſtre, aut aſphodeli fructum vel florem; & fœniculi ſemen; Ulteriùs utile eſt exhibitionem parare, Theriacæ, Vini mulſi, pulveris nucis cupreſſi, baccarum Myrthæ &c. Aquam vitæ proponit *Pareus*. Aſt de Hydris

dris noſtris vulgaribus talia non ſunt dicenda, cùm rarò aliquem lædant, & ſi aliquam ſaucient partem, nullum aliud ſymptomata, præter ſimplicem ſanguinis fluxum, aut levem inflammationem, patientem affligit, ut monet etiam *Aldrovandus*, quemadmodùm noſtri Ranarum Venatores multoties retulêre. Ex Hydri morſu mortuam Euridicen narrat *Virgilius Georg. Lib.* 4.

CAPUT XLI.

De Amphiſbœna, & Scytale.

QUONIAM Amphisbœna, & Scytales ſunt ſerpentes, adeò inter ſe ſimiles, ut vix diſcerni poſſint, idcircò tàm unum, quàm aliud Venenum, tùm primæ, tùm alterius in præſenti Capite luſtrabimus, quemadmodùm facit etiam *Sennertus*; in hoc enim differunt ſolum, quod Amphisbœna in utramque partem, unde & nomen accepit, anteriorem nimirùm, & poſteriorem, hæc, id eſt Scytales, ſaltem in anteriorem movetur, atque iſta illam aliquantulùm craſſitie ſuperat; Nonnulli Autores Scytalem Cæciliam dixerunt, de qua re *Aldrovandus lib.* 1. *hiſt. Serp. cap.* 9. Amphisbœna verò, & Scytalæ, non abeunt in caudam tenuem ex craſſo ſuo capite, ſed adeò æqualis ſunt craſſitiei, ut intuentes neſciant diſcernere in qua potiùs parte animalis Caput, & Cauda ſita ſit; diſcrepant verò per hoc, quod Amphisbœna in utramque partem progrediatur Scytale verò in unam tantùm; undè crededre nonnulli Authores, ut *Plinius Galenus*, & alii amphisbœnam duo capita à natura ſortitam eſſe; undè *Lucanus Pharſ. lib.* 9. Canit.

Eſt gravis ingeminum ſurgens caput Amphisbœna.

Et *Baptiſta Mantuanus* idem confirmare videtur, dum Canit.

Amphibœna biceps, *&* *formidabilis ictu*
Aſpis - - - - - - - -

Aſt *Albertus Magnus*, *Matthiolus*, & alii negant Amphisbœnam duplicis eſſe Capitis; de hac autem inter Authores curioſa quæſtione legendus eſt *Aldrovandus*; Nos verò ad Venenum iſtorum ſerpentum redeamus; Ambo enim ſimili modo nocent, & exiguum, ac vix notabile vulnus morſu infligunt; De Amphisbœna, teſte *Sennerto* poſt *Galenum* fertur, quod ſi mulier utero gerens eam transgrediatur; malè pariat, aut abortum faciat. Morſum Amphisbœnæ, & Scytales ſequitur inflammatio, dolor, ac rubedo, nonnunquam etiam apoſtema in parte affecta excitatur; Cœterùm ſymptomata, quæ iſtorum Serpentum morſum, ſequuntur, ſimilia eſſe iis, quæ in morſu Viperæ contingunt, ait *Aldrovandus Hiſt. Serp. lib. 1. Cap.* 10. cum autem acido-acris ſit venenatus humor extillans à vaginis dentium Scytalæ, & Amphisbœnæ; hinc eſt, quod ſanguini communicatus, cum coagulare vim habet; undè rubedo, inflammatioque oritur; ab acredine autem dolor, ſiquidem à particulis acribus vellicantur, & punguntur fibrillæ nerveæ partis maximè affectæ.

Curatio verò inſtituitur ab Authoribus eodem penè modo, quo peragitur curatio Veneni Viperæ, quam videbimus ſuo proprio Capite; Præptereà nonnulli volunt Semen Papaveris, & Caſtoreum optima eſſe; *Plinius* Coriandrum exhibendum ſuadet; Imò vitis in Veneno Amphisbænæ magni eſt uſus; Unde *Cælius Rhodiginus Lect. antiq. lib.* 26. narrat, quoddam dignum ſcitu, & à Græcis obſervatum ſcilicet, Amphisbænam non temerè alio interimi, quam vite; quandoquidem à *Dyoniſio* id præmonſtratum eſſe creditur, qui à Junone in furorem verſus, cùm eſſet conſopitus, & ab Amphisbæna excitatus, illi palmitem incuſſit, & peremit.

CA-

CAPUT XLII.

De Cenchri.

PENURIA nominum coacti Latini ad indicandum hunc ſerpentem voce græca ſunt uſi, quæ ſignificat milium, quoniam hic ſerpens, quibuſdam notis ad inſtar Milii ſit exornatus, vel quòd tempore tantùm Milii apareat, ut ait Etymologus referente *Aldrovando*, aut quia teſte *Aëtio* florente Milio, hic ſerpens ſit magis perniciofus, vel quia plantæ Milii colorem referat; *Avicenna* enim, & *Olaus Magnus* ſcripsêre, hunc Serpentem à citrino Milii colore denominari; undè à nonnullis Doctoribus Latinis miliaris dicitur anguis; Alii vocant hunc Leonem, alii Jaculum, propterea quod alicui allaturus damnum inſtar jaculi vibrati feratur; notandum verò cum *Aldrovando*, hunc Serpentem à Jaculo angue valde diſcrepare; De variis autem Cenchri nominibus legantur *P. Bellonius*, *Avicenna*, *Albertus Magnus*, *Geſnerus*, *Nicolaus Leonicenus*, & alii, de hoc Serpente valdè longo canit *Nicander*.

Prolixum invenies inamabile Cenchrida monſtrum,
Quem variis pictum ſquammis dixêre Leonem
Non ſtata craſſities, eadem ſpira videtur.

Notandum hîc *Diſcoridem* ex *Eraſiſtrato* referre, Serpentis hujus Venenum, Jecori, Inteſtino Jejuno, & Colo potiſſimùm infenſum eſſe; Accidentia porrò ictum Cenchris concomitantia ſimilia ſunt iis ſymptomatibus, quæ à morſibus Viperinis prodire ſolent; Verùm inter alia ſigna, unum animadverſione dignum eſſe videtur, quod *Nicander in Theriacis* recenſuit; & eſt collectio aquæ in inferiori ventre, ut in hydrope fieri ſolet; Ecce Carmina citati Authoris.

Quam facit hæc plagam nulla medicabilis arte
Tabes inſequitur, quæ diro membra Veneno
Exedit, ac turgens cruciatum ſuſcitat hydrops
Donec is effracta propè ſumen parte reſidat.

Ulteriùs è vulnere ſanies cruenta diffluit, quam vulnus putridum ſequitur pars læſa tumet, capitis adeſt gravitas, in ſomnum propenſio, ac animi deliquium; Particulæ ſiquidem hujus Veneni cùm ſint ſepticæ, atque ſanguineam maſſam liquantes, atque fundentes, hinc eſt primò, ut irritatâ parte demorsâ, intumeſcentia, & dolor ſuccedit; indè penetratis illis particulis in vaſa, ſuis reſcecanntibus cuſpidibus, fibras cruoris incidunt, ſicque ſanguinem fundunt, ex quo extravaſatio materiæ ſubtilioris habetur, undè corpus ad inſtar hydropis intumeſcit, non ſine mortis periculo. Hinc præmiſſa per ambitum vulneris profunda ſcarificatione, cucurbitularum appoſitione, partiumque ſuperiorum arcta ligatura, & prætereà Emplaſtrorum, ac Cataplaſmatum attractoriorum applicatione, exhiberi poſſunt Satureia, Ruta Sylveſtris, Radix Gentianæ, Ariſtolochiæ, Aſphodeli, Mentha, Serpillum, Centaurium minus, Caſſia lignea, Cardamomum, Caſtoreum, Succus Artemiſiæ cum aqua mulſa; Ulteriùs ex *Dioſcoride*, demorſis à Cenchro auxiliatur lactuca contuſa cum Semine lini illita; ex *Paulo Ægineta* Naſturtium, & ex *Æliano* membra Ciconiæ morſibus hujus ſerpentis opitulantur.

CAPUT XLIII.

De Dryino.

DRYINUS dicitur à Latinis *Querculus*, eo quod ad Quercuum radices degat; & adeò fœtidus eſt, ut etiamſi quis eum non videat, fætore loci cognoſcatur; Eſt duorum cubi-

cubitorum longitudinis, ac aſperrimis ſquammis munitus, teſte *Matthiolo in Diſcoridem lib. 6. Cap. 49.* De hoc Serpente cecinit *Nicander.*

Ille cavas habitat Quercus, alibi quoque fagos.

Ideòque nihilmirum, ſi Querculus, ut ſupra dixi, nuncupatur à *Scaligero*, & *Grevino*; plura circa hujus anguis nomen videantur apud *Aldrovandum Hiſt. Serp. lib. 1. Cap. 44.* Colorem tergi ſubatrum, & caput æquale Hydro eſſe ait *Edoardus Wottonus lib. 6. cap.* 113. quem ibi perbellè deſcribit; ſolummodò hîc notari liceat, *Bellonium* aſſerere, hunc ſerpentem in tantam olim molem excreviſſe, ut inventum, & in Sacco impoſitum Ruſticus per duo milliaria ferre non potuerit, quin aliquam caperet quietem; Deinde mortuo Dryino, idem *Bellonius* hujus anguis ſpolium fœno replevit, quod craſſitudinem humani cruris adæquabat; Tantæ Venenoſitatis autem eſt Dryinus, ut non tantùm morſu homines interficiat, aut hominis eum calcantis pedem lædat, ſed etiam Medici ægroto medicamina applicantis manus excoriet, teſte *Sennerto*, poſt *Æginetam* & *Galenum ad Piſonem*, Imò ſi quis eum interimat, illum pravè admodum olere, eoque ſuo fœtore, omnium aliorum odorum, quamvis præſtantium ſenſum auferre fertur: E vulnere verò, morſu Dryini inflicto, ſanguis effluit, nigricans & putridus ſequitur partis læſæ tumor, ſciſſura, & mortificatio, dolor vehemens, cutis fit ſicca, dura, & aſpera, nigræ puſtulæ circa vulnus oriuntur, accedit caligo oculorum, delirium, ſitis intolerabilis, ſingultus, vomitus bilioſus; aut ſanguinolentus, cardialgia, ventris tormina, urinæ, alvique ſuppreſſio, vocis, & reſpirationis interceptio, odorque ex ægri corpore exiens fœtidiſſimus, & moleſtiſſimus; undè *Nicander.*

Quod ſi cui prehenſum Dryinus talumque pedemque.
Læſerit, à toto ſe ſpargens corpore fertur
Triſtis odor, ſurguntque nigri, qua plaga tumores

Mæſtaque triſtitia, & lachrymabilis opprimit angor
Comprehenſam morſi quadam caligine mentem,
Et periens nimio flacceſſit forma dolore;
Uſque adeò paſcens abſumit membra Venenum
Quin etiam obfuſcans obducit lumina nubes &c.

Addunt *Aëtius*, & *Paulus Ægineta*, demorſos ab hoc angue, ritu Caprarum, vel Ovium balare, ſic *Reuſnerus* canit

- - - - - quem dente momordit
Lethifero, Capræ balat, Oviſque modo.

Cùm ergò introductæ ſint in cruoris maſſam, mediante vulnere, particulæ acido-acres, Venenum Dryini conſtituentes, ſtatim illum vitiant ſanguinem, qui in affecta parte reperitur; undè fixatus fit tumor, & mortificatis, cum puſtulis; tranſeuntes autem in circulantem humorem illum pariter ſenſim ad coagulationem diſponit; unde Caligo oculorum, cutis dura, ſitis, & urinæ ſuppreſſio, quatenùs, fixato ſanguine, ſerum nequit ſecerni; acido-acres autem Veneni particulæ circulando, & penetrando cum cruore ſingulas corporis partes nerveas fibras aggrediuntur, & figurâ ſuâ acutâ vellicant, ac pungunt; unde ſingultus, Vomitus, & ventris tormina habentur; Odor verò fœtidiſſimus dependet à ſulphure vitioſo, ac maligno iſtius Veneni, quod magis actuare videtur in malum Dryini Venenum, atque lethiferam hujus Serpentis peſtem. Quod autem ſpectat ad hujus medelam; commendant Doctores Origanum, Trifolium, & Marrubium, vel eorum Succum; Radicem Ariſtolochiæ *Sennertus* laudat; nec non Glandes cujuſcunque Quercus conciſas, & aſſumptas cum Vino generoſo; *Grevinus* Origanum in mortario contuſum, & morſui impoſitum proponit; Ariſtolochiam cum Vino potam commendat *Dioſcorides*, tandemque glandes Quercûs contuſas, & cum melle mixtas extrà plagam imponere utile putatur, & dolorem lenire aiunt etiam Ilicis radices tuſas, & applicitas.

C A-

CAPUT XLIV.

De Baſiliſco, & Harmene.

AVicenna, & *Albertus* nominantes Baſiliſcum, & Harmenem, duas hujus feræ ſpecies conſtituerunt, cùm tamen in deſcriptione nullum diſcrimen, ſed tantùm in magnitudine collocent; Quapropter hæc nomina unius, & ejuſdem Draconis Symonima eſſe arbitratur *Aldrovandus*; *Armene* enim, vel *Harmene*, ſive *Karmene* nomina ſunt apud *Sylvaticum*, quibus Baſiliſcus denotatur, cujus Animalis locum poſtremum facit in ordine Venenorum, *Dioſcorides* quia cùm in capite Coronam geſtet, tanquam Rex Anguium ſalutari debet, unde *Regulus* à multis dicitur; De nomine autem Baſiliſci translato ad homines legi meretur *Suidas*, & Eruditiſſ. *Aldrovandus Hiſtor. ſerp. & Dracon. lib.* 2. *cap.* 2. Nihil dicendum puto de fabula circa ortum huius feræ ex Ovo Galli; nam Baſiliſcus ex Ovo Baſiliſci naſci credo; quidquid enim oritur, à ſimili ortum ducit, & juxtà propriam ſpeciem; De tali verò fabula pleni ſunt libri veterum Medicorum; Certum tamen eſt, & quod ad nos facit, Baſiliſcum eſſe Animal adeò exitioſum, ut intuitu, ſibilo, halitu, & tactu etiam homines lædere valeat; quapropter *Plinius* naturam hujus Draconis, cum malignitate Catoblebæ penitùs convenire, aſſeveravit; hinc Viri non vulgariter eruditi, Catoblebam à Baſiliſco haud quaquam diſcrepare docuerunt; Illuſtris autem *Matthiolus*, cui opinioni, libenter ſubſcribo, ait fabuloſum prorsùs eſſe, quod viſu, tactu, ſibilo &c. hoc Animal Venenum emittat, ſed ſolùm ritu aliorum ſerpentum morſu Venenare credibile ſit, fretus autoritate *Eraſiſtrati*, qui non Veneni oculorum ſed morsûs tantùm venenati in Baſiliſco, meminerit. Non eſt tamen negandum à ſpiritibus manantibus ab oculo animalis Venenati, malam impreſſionem in oculo hominis poſſe

poſſe fieri, quia ex malo aſpectu ſpiritus afficiuntur; Præterquam quod meminit *Aldrovandus in Hiſt. Quadrup. digitat*; quandam Rubetæ ſpeciem tanta redundare malignitate, ut eam intuentis facies inſigni pallore ſuffundatur; his addit, citatus *Aldrovandus*, quod mulieres menſibus laborantes, ſpiritus habent inquinatos, & propterea, ex mente *Ariſtotelis*, in ſpeculum intuentes illud vitiant; Pariter Infantes à quibuſdam vetulis pertractati, faciliter in tabem incidunt, non ſolùm ob fœtentem oris halitum, qui in delicatos infantium Pulmones penetrat, ſed etiam ob inquinatos oculorum ſpiritus, qui in tenellis puerorum Carnibus facillimè imprimuntur; undè *Ficinus* ait, Pueros ab annoſa muliere, aut menſtruata contrectatos infici poſſe; & *Aldrovandus* in ophthalmia aſſerit hoc accidere, quod lippientes in aliquos ſæpè intuentes, eundem morbum communicent, quarè *Ovidius* ſic canebat

Cùm ſpectant oculi Lippum, læduntur, & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Magna eſt enim vis oculorum, & ſpirituum excellentia, quæ alteri communicata, illico per totum corpus diſſeminatur; hinc *Marſilus Ficinus Comm. in Plat. ſympoſ.* verba faciendo de faſcinatione amatoria, ſcripſit; ſanguinem Juvenum, clarum, ſubtilemque eſſe conſequenter radios ejuſdem naturæ producere, qui ſubtiliſſimi ab oculis egredientes, & hominis luminibus communicati, humoribus permixti, amorem accendunt, & id clarè expreſſit *Ovidus*, canens

Perque tuos oculos, qui rapuêre meos.

Aſt è diverticulo in viam; Baſiliſcus verò parva ſerpens eſt, teſte *Wottono de differ. animal. lib. 6.* trium palmorum longitudine, colore flavo, fulvoque, capite acuminato, & candida in eo macula, ut quodam Diademate inſignis, viribus reliquos Serpentes longè ſuperat, nec flexu multiplici, ut cæteræ corpus impellit, ſed cùm movetur, media corporis parte ſerpit,

ſerpit, media celſus, & erectus incedit; Hujus ſerpentis morſum maxima ſequitur Corporis totius inflammatio, pars affecta flavo colore tingitur, pili defluunt, & brevi mors advenit. Cùm igitur tam ſubita mortis vis ſe exerat in Ægrum; hinc eſt fatendum particulas iſtius Veneni ſummè acidas, & volatiles eſſe; adeò ut ſtatim totam cruoris maſſam coagulare valeat, unde mors evenit inevitabilis; ideoque *Aetius* ſupervacaneum exiſtimat remedia adversùs ipſum præſcribere, cum vix ullis remediis tàm repentinæ morti poſſit occurri; *Eraſiſtratus* tamen, cui ſubſcribit quoque *Dioſcorides lib. 6.* Drachmam unam Caſtorei cum Vino; vel papaveris liquorem exhibendum cenſet, & ità pariter judicavit *Avicenna.* Cùm autem priùs ſcripſerit *Plinius*, Baſiliſcum muſtela impugnari, ejus Cinerem adverſùs Venenum hujus feræ extollit; Quod idem *Carolus Cluſius* confirmat; *Galenus* Centauream laudat; De herba quadam Baſiliſca optima contrà Venenum Baſiliſcorum meminit cum *Oribaſio Ardoinis de Venenis Lib. 6. Cap. 2.* Denique *Rudius* in expugnando Baſiliſci Veneno, proponit Medicamina, quæ aliâs ictibus aſpidum utilia prædicavit.

CAPUT XLV.

De Vipera.

VIPERA *mas Echis*, fœmina *Echidna* vocatur, ab *Ariſtotele* Vivipara dicitur, *Maraſſus* à Marſis; Tyrus à *Leoniceno*, Serpens Theriacalis à *Joh. Bapt. Spunthono* appellatur; Vipera verò communiter dicitur hic Serpens, eo quod vi pariat, nam cùm Venter ejus, ſunt præciſa verba *Iſidori*, ad partum intumuerit, catuli non expectantes naturæ maturam ſolutionem corroſam matrem lacerant, & vi erumpunt; De hac autem re fides penès Autorem, Ego quidem aliter credo; Puto enim cùm *Aldrovando*, Viperam ſic dici, quaſi viviparam; hæc enim ſola in toto Serpentum genere Ova intrà alvum

concipit, deindè fœtum vivum enititur; idcircò *Nicander in Theriac.* canit

Sola etenim vivo gravidatur Vipera fœtu.
Mortua cùm reliquum paſſim genus ova reponat.

Non ergò ex ſanguine Typhæi, Gorgoniſve guttis ſtillantibus ex *Apollonio Rhodyo*, vel ex ſpinali medulla hominis putrefacta, ſed ex coitu cum mare oritur, abſque quod ſenſus delibatio capitis plectendi pœnam incurrere valeat, ut quidam credidere, dicebant enim, quod Maſculus ore inſerto Viperæ ſemen expuat, illa autem ex voluptate libinis in rabiem verſa, caput maris, ore receptum præcidit: ſicque fieret ut parens uterque periret, maſculus dum coit, fœmina dùm parturit: & hujus fabulæ meminerunt *Iſidorus*, *Herodotus*, *Albertus*, *Reuſnerus*, *Nicander*, & alii; Eſt autem Vipera animal coloris ſubflavi, pluribus maculis ornatus, rotundis longitudine cubitali, Caput gerit latiuſculum, oculos ſubrufos, dentes autem gingivis conduntur, ſed qui Canini vocantur dentes fœminis quaterni, maſculis verò bini; Hoc tamen Animal hyeme ſub Saxis habitat, non in terræ cavernis, ut cæteri ſerpentes; Definitur porò Vipera ab *Baldo. Angelo Abbatio*, Venenatus Serpens intùs concipiens, pariens, & excludens, longus ad ſummum trium cubitorum menſura, velut in Aſia eſſe teſtatur *Nicander*, qui torvo aſpectu ſaltuatim irrepit in animantem, & teſtatur idem *Abbatius*, dentes, tàm marem, quàm fœminam quatuor habere, ſed fœminas firmiores, ſtabilioreſque quippè qui pro tempore quatuor inſint, duos verò deciduos habere mares, perennes alios; *Redi* verò duos tantùm in utroque; Hujus Animalis Anatomes videatur penes *Baldum Angelum Abbatium*, *Charras*, & *Mangetum in Biblioth. Pharmac.* Ad Venenum verò, quod attinet, notandum eſt; Nonnullos Authores antiquos credidiſſe in humore felleo Viperæ Venenum conſiſtere, alios in cauda, in ſanguine multos; undè *Horatius* cecinit

Quid

Quid hoc Veneni ſævit in Præcordiis
Num Viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit.

Præter hos, alii putant cum *Charras*, quod imaginatio Viperæ; poſtquàm irritata, fuerit ab idea vindictæ, quam ſibi formavit, motum concitet ſpiritibus, qui non poteſt exprimi, & eos pellit cum violentia per nervos, & fibras verſùs cavitatem dentium, tanquam in infundibulum, qui deindè per vulnus ſanguini importantur ad producendos Veneni effectus, Quidam autem dixêre non habere Viperas aliud Venenum, quàm ſuos dentes, quos tali figura fabricatos eſſe aſſerebant, ut acumine cuſpidis, aut aciei dentium, ſauciarent fibras tenellas & ſubtiliſſimos nervos, ex quo acerbi dolores, & lethales convulſiones derivarent; Ego verò cum Clariſſ. *Redi*, aliiſque Neotericis puto, Venenum Viperæ eſſe liquorem ſervatum in veſiculis propè dentes, ità ut, quandò Vipera evaginat dentes, & morſum minatur, neceſſariò effundat ſuper vulnus humorem iſtum, ex quo prava oriuntur ſymptomata, quæ inferiùs referam. Iſte autem liquor, licet ſit venenatus ſi vulneri inſtilletur, tamen ore aſſumptus haud nocet, ut experimenta *D. Redi* clariſſimè evincunt; Non itaque erit temerarium aſſerere, quod deluſus ſit *Albertus Magnus*, cum *Mercuriali*, *Zacuto*, *Capivaccio*; & aliis, quando dixêre, Vinum, in quo Vipera ſit ſuffocata, eſſe peſſimum, ac lethale Venenum, quin imò tale Vinum remedium eſt Lepræ &c. Notandum autem, talem liquorem Viperæ venenatum, ſeparatum à vagina Viperæ, licet ore aſſumptus, non ſit nocuus, inſtillatum ſubtiliſſimâ licet puncturâ tantùm in humanas carnes, ejuſdem eſſe potentiæ, ac ſi per dentes ipſius anguis intruderetur; E vulnere autem, morſu Viperæ inflicto, ſanguis primò exit purus, quem brevi ſequitur ſanies cruenta, ſpumoſa, & ærugini ſimilis; Non ſolùm pars demorſa, ſed nonnunquam totum Corpus in tumorem attollitur; Calor adeſt magnus, cum puſtulis in parte læſa, accedunt ſin-

gultus, Vomitus, Febres, Urinæ difficultas, tremor, Lipothymia, ſudores; & *Cœlius Rhodiginus* narrat, aulicum quendam, cum demorſus eſſet à Vipera, ſtatim in colorem porraceum incidiſſe. Plura de iſtis ſignis, ac ſymptomatibus legantur ab *Aldrovandum lib.* 1. *hiſt. Serp. cap.* 2. & *Nicandrum Ardoynum*, *Sennertum*, & alios; Cujus verò naturæ ſit Viperæ virus, tanquam arcanum ſub ſilentio antiqui involvêre Doctores; Ego tamen Viperæ Venenum conſiſtere puto in Sale volatili acri cauſtico, cujus particulæ licet exiliſſimæ, potentiſſimæ tamen, cuſpidibus ſuis, maſſam cruoris citiſſimè penetrant, fibras ſcindunt, ac cruorem fundunt; unde ſudores frigidi, tremores, ſyncopes, febres, aliaque modo enarrata inſurgunt mala. Quòd ſi quis à Vipera morſus ſanguinem per nares emittat, Mors in propinquo eſt, quatenùs ſcilicet ſanguis ad ultimam fuſionem perventus à vaſis effluit, & ſpontè ſtillat, ac manat; E contrà verò ſi propinatis remediis non nihil quietis inveniat æger, tunc illum convaliturum judicat *Aldrovandus*; Tempore æſtivo, & in regionibus calidioribus Viperæ magis ſunt nocuæ, & earum virus majoris eſt potentiæ; tunc enim ejus particulæ magis ſunt actuatæ à calore, ideòque celeriùs penetrant, ac feriunt, & lacerant; *Sennertus* credit, Venenum Viperæ maris eſſe potentius, quàm fœminæ; Ego verò utrumque eandem vim habere puto. In hujus Veneni curatione *Pareus* vult, medicamenta ea omnia optima eſſe, quæ ad Canes rabidos commendantur; Verùm ſi lubet ad particularia præſidia deſcendere, in primis juxtà Chirurgiæ præcepta pars læſa ſuprà vulnus arctè eſt conſtringenda, non tamen adeò vehementer, ut torpeat, ac gangrænetur, & ſphacelo vitietur; indè è parte ſcarificata, appoſitâ cucurbitulâ Venenum eſt trahendum vel etiam opportunum erit præſidium ſugere vulnus hominis labiis; nihil enim mali poterit ſugenti ex hoc accidere; quia, ut ſuprà dixi; Viperæ Venenum ore ſumptum haud nocere poteſt, quod teſtatus eſt etiam *Celſus* ſcribendo; *Venenum Serpentis non guſtu, ſed in vulnere nocere*; idemque clarè ſuis experimentis, & obſervationibus patefecit diligentiſſ. D. *Franc. Redi obſ. de Viper.* Extrà vulnus

appli-

applicat *Sennertus* ſcillam cum aceto coctam, atque contuſam, & ſtercus Capræ cum aceto, pice, cera, & ſulphure mixtum; *Galenus* ſequens Emplaſtrum laudat.

℞. Sagapeni, Piperis, Liquoris Cyrenaici, opoponacis, ana. part. 1. Galbani, Sulphuris vivi, ana, part. ij. Arida pulverizentur, liquores in aceto ſolvantur, & aridis injiciantur, & F. S. A. Emplaſtrum.

Utile eſt etiam Emplaſtrum paratum ex allio, ficubus, & Theriaca. Internè verò exhibeatur Coſtum, cum Decocto Abſinthii, Coagulum Leporinum, Allium, Porrum, Cæpa, Vinum, Tormentilla, Radix Aſphodeli, Gentiana, Bryonia, Ruta, caro ipſius Viperæ; Anſeres etiam, & anates vi peculiari viperino adverſari Veneno ſcribit *Aldrovandus*; Cerebrum Galli cum Vino propinat *Eraſiſtratus*, & *Avicenna* fel ejuſdem Galli; Genitale Cervi maris *Dioſcorides*, Ventrem ſalitum Muſtelæ, Cancros fluviatiles, Ranas coctas, Urinam patientis ipſius, Butyrum, Biſtortam, Succum Citri, & ejus Semen, Succum Braſſicæ, Fraxinellam, Dictamnum album, Juniperi baccas, Naſturcium, Succum radicis Rubiæ, Raphanum, Zedoariam, Acetum, Agaricum, aliaque ſimplicia varia, à variis Medicinæ Magiſtris adhibita non improbo, ſed valdè commendo; ſicuti varia quoque Medicamenta compoſita, ut poſſunt eſſe Mithridatium, Andromachi Theriaca, Oleum noſtrum contrà peſtem vulgò dictum del *Caſtagna*; aliaque pura, de quibus conſulantur ſcriptores, & præſertim *Aldrovandus Hiſt. Serp. & Drac. lib. 1. cap. 2. Ardoynis de Venen. lib. 6. cap. 1. Sennert. Pract. lib. 6. part. 8. Cap. 13. Pareus lib. 20. cap. 16.* aliique tùm antiqui, tum recentes, & ſpeciatim *Miſcellan. Academiæ Curioſor.* variis in locis; ſolummodò verba facere hîc volo, de morſu Viperæ in D. Paulo, & per conſequens de præſtantia Terræ Melitenſis adverſus Viperarum Venenum, & alia etiam Venena; Notandum ergo Sanctum Paulum poſt periculum Maris ad Melitam Inſulam perveniſſe, ubi cùm accenſa eſſet pyra; ut ſe calefaceret propter imbrem, & frigus, ut *D. Lucas in Act. Apoſtol. Cap. 28.* teſtatur, & cùm Paulus congregaſſet multitudinem Sarmentorum, dum imponuntur ſu-

per ignem ab eo, Vipera ex virgultis exceſſit calore forſan exaſperata, Paulum agreſſa momordit manum ejus, de qua re ſic canit *Arator 2. lib. hiſtor. Apoſtolic.*

. . . . cui Vipera fixit
Demonis arma ferens, ſurgentibus obvia flammis,
Antiqua feritate manum, gelidique Veneni
Vulnus in igne dedit. . . . . . .

Hinc *Prudentius* quoque hanc Pauli hiſtoriam referens egregiè, & ſuo more ſolito cecinit, teſte *Bocharto de Animal. Sacr. Script. lib. 3. cap. 2. part. 2.* hæc Carmina.

Paulus dum fragiles cogere ſurculos,
Et denſare foci congeriem ſtudet,
Incautam cumulis inſeruit manum,
Torpebat glacie pigra ubi Vipera
Sarmentis laqueos corporis implicans,
Quæ poſtquam intepuit fomite fumeo
Laxavitque ferox colla rigentia,
Jam flecti facilis retulit ad manum
Vibrato capite ſpicula dentium
Hærentem digiti vulnere mordicus
Pendentemque gerens Paulus inhorruit.

Ille autem excutiens beſtiam in ignem nihil mali paſſus eſt; licet Barbari illi exiſtimarent, manum in tumorem convertendam, ipſumque ſubitò caſurum, & mori; Diù autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, dicebant, eum eſſe Deum. Hæc de Vipera D. Pauli, Barbaris admirantibus, adeò exactè, & diſtinctè Deus à Luca deſcribi voluit, ut virtus, Pauli gratia, Inſulæ illi conceſſa, magis magiſque innoteſceret, nec naturali ejus loci proprietati adſcriberetur, quod ex eo tempore fuiſſe loco illi divinitùs impertitum teſtatur *Baronius Annal. tom. 1. anno Chriſti. 58.* nimirum ut Serpentes omnes Veneno carerent, & quantumlibet

libet aliquem momorderint, nihil prorsùs inferant detrimenti; ſi enim olim à natura, ſicut aliis locis id datum fuiſſet, cur loci incolæ, tam certi erant de interitu Pauli; ſed & terra ibi ejuſdem meritò contrà Venena parat Antidotum; Terra enim Melitenſis, vulgò *Grazia di S. Paolo*, de qua egregiè locutus eſt *in ſuo opuſculo aureo de Terra Nucerina Clariſſimus D. Aloyſius à Fabra* Medicus noſter Ferrarienſis ſapientiſſimus, Lector Publicus, & Amicus meus ſuaviſſimus; valet potiſſimùm contrà omnia Venena, & præcipuè adversùs Viperæ morſum. Hæc autem de Vipera ſatis ſint, plura dabunt cupienti *Redi*, *Marcus Aurelianus Severinus*, *Schroderus*, *Baldus Angelus Abbatius*, *Woigtius*, *Johannes Baptiſta Spunthonus*, *Ardoynis*, *Sennertus*, *Matthiolus*, aliique plures tàm antiqui, quàm Recentes Autores.

CAPUT XLVI.

De Scorpione.

LATINUM *Nepæ* nomen prò Scorpione jam propè obſoletum fuit olim in uſu, undè *Plautus* ait *in Caſſia Act.* 2.

Receſſim cedam ad parietem, imitabor Nepam.

Et *Cicero de Finib. lib.* 5. *Cornibus uti videas Boves, Nepas aculeis*; ità cum *Nonio* legendum cenſet *Bochartus*, non cum aliis *Veſpas*; *Q. Serenus Samonicus* etiam inter ea remedia, quæ oculorum dolorem mitigant, ſic habet.

Viventiſve Nepæ lumen geſtatur amicum.

Scorpius autem animalculum eſt Corpore in Ovi formam obrotundo, pedibus octo, unde *Octopes* etiam vocatur, teſte *Aldrovando*, & caudâ oblongâ, vertebris multis, tanquàm articulis

articulis coagmentata, & ad ultimam vertebram præfixus eſt aculeus perforatus, undè virus exit, brachia duo habet, quæ à multis forcipes nuncupantur. *Ælianus* novem Scorpionum genera numeravit, album, ruffum, fumoſum, nigrum, viride, ventricoſum, flammeum, alatum, & alium, qui ſeptem habet internodia; Verùm iſtæ colorum differentiæ naſcuntur à diverſitate regionum, virides enim Scorpios apud Valentinos oriri dicunt &c. Nos inpræſentiarum triplex eſſe Scorpionum genus aſſerimus Terreſtre nimirùm, Marinum, & alatum; de quibus diligenter egit Ulyſſes *Aldrovandus de Inſect. lib.* 5. *cap.* 11. dubium verò eſt hodiè inter Doctores nùm ſcilicet Scorpius ſit Venenatus? *Plinius lib.* 11. ait, *viſuntur tamen in Italia, ſed innocui*; Et innocuos eſſe Scorpiones in ſuis experimentis clariſſimè demonſtrat *D. Redi*, ſolummodò concedendo Venenatos eſſe Africanos, quemadmodum expertus fuit; ſimiliter *Vidus Vidius*, plures ſe Piſis a Scorpionibus ictos obſervaſſe teſtatur, qui nullam ferè percepêre in Corpore agitationem; ut etiam mihi hîc Ferrariæ narravit nuper diligentiſſimus D. *Joſeph. Bacciocus* Pharmacopola egregius, & Botanicus præſtantiſſimus, ipſe enim amicus meus candidè ſe vidiſſe affirmavit, Ruſticum in gutturis parte exteriori à Scorpio punctum, & nullo remedio Sanatum, & nullam paſſum moleſtiam. Cùm autem *Sennertus*, & alii Scriptores, Venenatos eſſe putent; ideò diſtinguendum judico in regionibus humidis, ſimilibuſque temporibus innocuos Scorpiones eſſe, in ſiccis verò, ac calidis, ſimilibuſque ætatibus, annique tempeſtatibus illos veneno ſuo lædere quidem poſſe ſtatuo, ut obſervationes Medicorum paſſim teſtantur; ſic *Rembertus Dodoneus*, famulum ſe habuiſſe teſtatur, qui à Scorpione ictus, tàm ſubito, ac tàm frigido ſudore toto corpore erat perfuſus, ut nive ſe velut opprimi quæreretur; *Matthiolus* plures tradit ſe vidiſſe in Hetruria ictos à Scorpione, qui graves moleſtias ſunt paſſi; & meminit Illuſtriſſimus D. *Lucas Schrockius* Academiæ Curioſorum Præſes digniſſimus, ac Dominus meus ſemper recolendus *in Schol.* ad obſ. D. *Wolckameri* 224. *ann.* 6. *Dec.* 2. *Miſcell. curioſ. pag.* mihi 470. D. Joh. Theod. Schenckium retuliſſe,

elegan-

elegantem ſe Tragædiam vidiſſe Scorpionis ſe ipſum interficientis, cum igne circulari Carbonum facto, poſitus in medio; is effugere tentans, & ob ignem ſæpiùs retrogredi coactus, tandem furibundus caudam ſuam capiti adpoſuiſſet, ſeque ipſum puncturâ ſuâ interemiſſet.

Symptomata autem, quæ ictum Scorpii ſequuntur ſunt Dolor, & inflammatio partis læſæ, tumor, & circa illam puſtulæ, ſudor frigidus, ſpuma oris, ſingultus, Vomitus, & interdùm, notante *Marc. Donato Hiſt. Med. mirab.* maculæ nigræ per univerſum Corpus; quæ mala oriri arbitror ab acido-ſalinis volatilibus particulis, quæ liquorem Scorpii venenatum conſtituunt. Siquidem iſtæ ſummè mobiles, & penetrantes humores, nerveas partes mordendo, dolores, & ſanguinem fixando frigidos ſudores, puſtulas, & tandem mortem producunt; ut etiam *ego in Miſcellan. Acad. Curioſ. Dec.* 3. *An.* 1. referendo unam obſervationem Clariſſ. *D. Franc. Evangeliſti* Amici mei doctiſſimi, demonſtravi, *obſ.* 20. *pag.* 39. Ad remedia verò quod attinet, primò notandum occurrit, Scorpium vivum contritum vulneri imponi à multis ſalutem ſperando, quod, & innuit quoque *Petrus Gaſſendus in Philoſophia Epicuri*; cauſam autem aſſignat ille, quod alliſi animalis ſubſtantia rationem quandam Spongiæ habeat, dum diſtractæ contuſione partes, ſe nervulorum ope retrahunt, & Venenum adhuc cohærens ſecum reducentes, id ſimul, quod fuerat effuſum, abducunt; videtur nempè id fieri eadem ratione, quâ lixivium ex Sapone educere videtur oleum ex panno, quoniam ut particulæ olei, quæ in panno ſunt, conſociantur facilè particulis olei, quæ in ſapone, iſtæque illas unà abducunt, dum abducuntur ipſæ à ſale, cui idividuè cohærent, & ſal cum aqua exprimitur, cui eſt per minima commixtum; ita Veneni particulæ, quæ in plaga ſunt, facilè conſociantur iis, quæ in alliſo animali: iſtæ verò dùm verſùs Corpus animalis retrahuntur, illas ſimul retrahunt, & ex ipſa plaga educunt, ac veluti exugunt. Ulteriùs membrum ſuprà puncturam arctè ligandum, & cucurbitulæ parti affectæ imponendæ, ne Venenum intùs penetret; Aëtius Cochleam hortulanam præcipuè

cum teſta tritam, & vulneri impoſitam confeſtim dolorem ſedare ait; commendantur etiam Lumbrici, Calamintha aquatica, Allium, Ruta Sylveſtris, herba Scorpioides, ſi quodlibet horum ſeorſim, vel plura ex his trita, & mixta imponantur. Lac ficulneum in vulnus inſtillatum percuſſis præſenti auxilio eſſe ſcribit *Dioſcorides*, vel teſtè *Sennerto*, è radice Bryoniæ cocta, ruta trita, Semine urticæ, & pauco ſulphure cum Oleo veteri fiat cataplaſma plagæ imponendum; Antequàm autem topica reiterentur, id quod ſæpiùs fieri debet, abluatur locus affectus, aqua in qua ſulphur, Ruta Sylveſtris, Lauri folia, & alia ſuprà enumerata ſint cocta; dum autem hæc ità vulneri applicantur, ſtatim ſimul Alexipharmaca ſunt exhibenda, & præcipuè, quæ Veneno huic adverſantur, ut ſunt, Salvia, Scordium, Abſinthium, Agrimonia, Serpillum, Ocymum, Ariſtolochia, Gentiana, Baccæ Lauri, Semina fœniculi, & Raphani, quæ vel in decoctione, vel in ſubſtantia exhibenda ſunt; *Plinius* Abrotanum, in vino potum laudat; *Macer* quoque ſemper vivum adversùs ſcorpiones celebrat his Carminibus.

Taliter, & cunctis obſtat potata Venenis;
Affirmant iſtam, quæ ſecum geſſerit herbam
Hunc non affectat Læthali Scorpius ictu.

Apud *Aldrovandum* commendatur Aſſa fœtida, cum Semine Calthæ, Cæpa, Croco, Cumino, Cyano, Pulegio, Origano, Malva, Opio, Hordeo, Lactuca, Galbano, & aliis ſimplicibus medicamentis; quæ videri poſſunt penès citatum *Aldrovandum de Inſect. lib. 5.* E compoſitis etiam utilia ſunt Andromachi Theriaca, Mithridatium, Diateſſaron; Oleum Scorpionum Matthioli, Oleum noſtrum contra-peſtem dictum; & *Aetius* antidotum ſequens valdè commendat ad Scorpii ictum.

℞. Caſtorei, Succi Cyrenaici Piperis ana ℥. ß. Coſti, Spicæ, Nardi, Croci, Succi Centaurii ana ʒ. ij. mellis deſpumati q. S. M. & detur Nucis Ponticæ magnitudine.

Senner-

Sennertus verò ſequens Electuarium proponit.

℞. Aſſæ fœtidæ, Radicis Gentian. ana. ℥. ß. Ariſtolochiæ longæ, & rotundæ ana ʒ. ij. Seminis Rutæ ʒ. j. Caſtorei ʒ ß. & cum melle deſpumato fiat Electuarium, cujus doſis ſit ʒ. j. vel ʒ. ij. cum vino, vel decocto Anethi.

Utile etiam eſt menthaſtrum, Rutam, Ariſtolochiam, Gentianam, baccas lauri æqualibus partibus in vino coquere, & Decoctum ægrotanti exhibere; Lacertam inſuper diſſectam, & appoſitam Plagæ, Scorpii dolorem ſedare ait cum *Aldrovando Dioſcorides*; Cancri fluviatiles etiam commendantur, ut Cerebrum Gallinæ, Mumia, Sputum, & Urina humana; *Mizaldus Cent. 6. memorab.* ex *Joviano Pontano* refert, hominem à Scorpione graviter percuſſum, ſtatim liberatum fuiſſe exhibito thure contrito, in quo cælatum fuerat Scorpii ſiggnum, de quo ſimiliter alia extat hiſtoria apud *Joh. Heurnium Method. ad Praxim. lib. 3.* de hoc autem remedio fides ſit penès Authores.

CAPUT XLVII.

De Dracone Terreſtri, & Marino.

DE Draconis nomine egregiè, ac eruditè more ſuo ſolito egit *Samuel Bochartus in Hyerozoico lib. 3. part. 2. cap. 14.* non tantùm Arabicè, ſed Græcè, Hebraicè, & Latinè nomenclaturam iſtius Animalis tradendo, quem conſulere poteſt curioſus Lector; Nos inpræſentiarum ſolummodò aliquid de Dracone, tàm Terreſtri, quàm Marino trademus, ne quid intactum, quod ſpectet ad Venenorum hiſtoriam relinquamus; Draco ergò primò eſt Piſcis Marinus, qui & Araneus à quibuſdam vocatur; Secundò verò eſt ſerpens variæ formæ,

& magnitudinis monſtruoſæ , colore fulvo præditus, teſte *Lucano lib. 9. Pharſal.*

Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones.

Quem Poëtam imitatus poſteà *Georg. Pictorius* cecinit.

Serpunt aurato nitide fulgore dracones
Africa quos ardens parturit exitio.

Undé *Philoſtratus de Vita Apollon*; ſquammam fulvi coloris, & oculos igne ſcintillantes Draconibus attribuit; acerrimi enim eſſe viſûs, inquit *Voſſius de Idololatria lib.* 4. ex quo nomen à Græcis adeptus fuit Draco ipſe, nempè à *Derco*, id eſt, *video*; unde à Poëtis fingitur Cuſtos Theſaurorum; Hebraicè verò dicitur *Thannin* quia immanis, & monſtruoſus, teſte *P. Nicol. dù Mortier in* ſuis *Etymolog. lit. D.* Veris autem Draconibus ora parva eſſe ſcripſit *Edoard. Wottonus de differentiis animal. lib. 6. Cap.* 118. & ad morſus non dehiſcentia; ſed arctæ fiſtulæ, per quas, & trahunt ſpiritus, & linguas exerunt. Proindé neque Draconis morſus dolorem ullum, inquit citatus Autor, vehementem excitat, etiam ſi prò viribus maximè nitatur morſum infligere; ſed qualem mus mordendo efficiet, quippè non in dentibus vim, ſed in caudis Dracones habent, & verbere potiùs, quàm rictu nocent; undè *Sennertus* ait; Autores celeberrimos fuiſſe, qui Terreſtres Dracones parùm, vel nihil Veneni in ſe continere; ſcripsêre, imò è Corpore eorum quædam remedia adversùs quoſdam morbos petiverint; Hinc eſt, ut in ſummo honore apud Ethnicos Draco haberetur, & Æſculapio conſecrarent, veluti Medicinæ inventori, ac Numini; Verùm enimverò, quia è Serpentum numero ſunt Dracones, proculdubio omni Veneno non carent, præcipuè in regionibus calidioribus; undè *Lucanus loc. cit.*

\- - - - - *Dracones*
Peſtiferos ardens facit Africa. - - - -

Ex

Ex *Æliano* Dracones in ſexu ob criſtam diſcriminantur, quâ Draco mas, non autem fœmina decoratur; de Cavernis Carpathcorum Draconum à ſe viſis, oſſibuſque; ac Dentibus Draconum repertis, curioſam hiſtoriam refert D. *Joh. Paterſonius Hain in Miſcell. Acad. Curioſ. Decur.* 1. *Ann.* 3. *Obſerv.* 194. Multi aligeros eſſe Dracones dixerunt; unde S. *Auguſtinus in Geneſim* ad litteram, ait *in aërem ſuſtolli*; *& in Pſalm.* 148. *de ſpeluncis procedunt, & feruntur in aëra*; hinc *Scaliger* ſcripſit hæc veba, *genera quædam Draconum alas habent*;

Valer. Flaccus lib. 7. cecinit

. . . . *ut aligeri Circen rapuère Dracones.*

Licet ergò *Plinius*, *Iſidorus*, *Aëtius*, aliique, Draconem Venenum habere negent, tamen cum *Heliodoro* aſſerendum, Venenum habere lethiferum: ecce ſua verba è Græco in Latinum translata à BOCHARTO *in Hierozoico. Illi autem parvas quidem ſagittas, ſed Veneno Draconum infectas, conjicientes, citam, & acerbam mortem inferebant*; *Et Leo Africanus Lib.* 9. *At Lantici Dracones ſunt virulenti admodùm & ſi caſu quenquam, vel contingant vel mordeant, carnem emolliunt & debilitant, neque eſt qui mortem poſſit evadere. Vincentius Bellovacenſis* morſum Draconis parvum quidem, ſed peſſimum eſſe adſtruit, quoniam venenatos animantes, & herbas comedit, caudam quoque, ſi quem ligaverit, occidere. Undè *Geſnerus* ſcripſit propè Oppidum Nideburgum, vivos Dracones in fonte quodam ſe laviſſe, & animalia hominesſque deinceps illam bibentes aquam, alvo tumefacta mox concidiſſe & interiiſſe, quarè ille fons tanquam peſtifer, & exitioſus terra, & Lapidibus repletus eſt; Hinc, *Venenum Draconum vinum eorum* legitur in *Deuteronomio* translato ex Hebræo *Sancti Pagini Cap.* 22. *verſ.* 33.; Concludendum igitur cum *Aldrovando*, Draconem, etiamſi ſuâ naturâ Venenoſum non dicant aliqui, tamen ob naturam loci Venenoſum evadere, quemadmodùm multi ſerpentes. De Marino autem Dracone omnes ferè Authores conſentiunt, ipſum Venenoſum

eſſe cujus marini Draconis duo genera fecit *Salvianus*, magnitudine, corporis forma, colorisque diverſitate invicem differentia; horumque Animalium imagines deſcribit, atque delineat, qua de re egregiè egit *Aldrovand. Lib.* 2. *de Piſcibus cap.* 50. Marini autem Draconis ictum, non verò morſum, ut *Albertus* ait, venenatum eſſe, *Oppianus*, *Dioſcorides*, *Ælianus*, *Rondeletius*, *Matthiolus*, *Aldrovandus*, & alii plures, docent; undè ſe vidiſſe refert *Rondeletius* partem à Marino Dracone punctam in tumorem erigi, & cum doloribus vehementiſſimis inflammari, quæ ſi negligatur facilè gangræna corripitur; unde colligitur, Venenum hujus Animalis non ſolum pendere à figurâ ſpinæ, quâ ferit, ex quo dolor vehemens, ſed ab humore quodam acido-ſylveſtri, cujus particulæ coagulare valent cruorem, & primò in parte læſa, undè tumor, & gangræna poſtmodum oriuntur, non ſine mortis metu. *Plinius* ergò ait, Draconem Marinum impoſitum ictui remedium ſuum eſſe, ut & Cerebrum ejus potum; *Aetius* pariter locum percuſſum fricari jubet cum plumbo, ipſumque Draconem diſſectum plagæ imponi. Præterea commendatur ſerpillum, & lenticula in cataplaſmate impoſita, vel ſulphur cum aceto; *Avicenna* Allium proponit; *Dioſcorides* Ocymum; *Serapio* Plumbum uſtum; *Rondeletius* folia Lentiſci; Thlaſpium Genuenſem *Aldrovandus*; ſin autem gangræna partem occupaverit læſam, locus affectus tunc ſcarificandus, & Spiritu Vini, aceto, & Emplaſtris appropriatis cum Theriaca utendum eſt; Draconis autem Terreſtris Venenum infigi non ſine dolore voluit *Avicenna*, imò notat mares in vulnerando, fœminis eſſe deteriores; ſymptomata hujus morſus examinans *Nicander in Theriac.* ſic canit

Nec tamen ille graves, ut cætera turba, dolores
Si velit, infixo cum fortè momorderit ore
Suſcitat; exiguus non noxia vulnera punctus,
(Qui, ceù rodentis noctu quæque obvia muris)
Infligit, modicum tenuis dat plagæ cruorem.

Car-

Carnem verò demorſam aliquem nanciſci fœtorem, dolorem, ſtuporem, & tandem interitum, cum *Aldrovando* aſſerunt multi Medicinæ antiqui Scriptores, & hoc Ego evenire cogito; ob partes virulentas humoris Draconis, quæ, cùm acidæ ſint, fixando cruorem, eumque corrumpendo fœtorem gignunt, indè impedito motu, ob ſtagnationem factam in parte, ſtupor, & interitus oriuntur; *Avicenna* igitur embrocham ex aceto tepido ſuprà locum affectum faciendam eſſe probat; indè Emplaſtrum ex foliis Lauri, Oleum de Pyrethro, & Oleum coſtinum celebrat, per os verò ſuccum foliorum Lauri cum aceto & Andromachi Theriacam præſcribit; vel etiam Myrrhæ, Piperis & Rutæ partes æquales, cujus doſis ſit, aureus unus in vino. *Plinius* graminis ſemen proponit, deindè piſcem Mulum intrinſecè, & extrinſecè in tali Veneno non parum utilitatis eſſe allaturum promittit; *Aëtius* à Draconibus percuſſis remedia aliorum animalium ictibus conferentia prodeſſe tradit; ideòque, quæ hactenus de reliquorum Venenatorum Animalium morſibus curandis dicta ſunt, huc etiam poſſunt referri.

CAPUT XLVIII.

De Crocodilo.

MULTI ſcriptores Crocodilum ad Lacertorum genus retulêre; hinc *Palladius* hanc Beſtiam quaſi generis vocabulo Lacertum appellavit, cujus etymologiam *Iſidorus* à calore ſuo deducit, dum Crocodilum à croceo, quo refertus eſt colore nominat; Animal amphibium eſt partim in terra, partim in aqua vitam ducens, quadrupes oviparum, cujus Ovum non majus quàm anſeris, & fœtus indè excluſus proportione eſt; creſcit deindè & magnitudine excedit duodeviginti cubita teſte *Plinio* & *Wottono de diff. animal. Lib. 6.* Sunt qui

qui eum tandiù, augeri quamdiù vivat confirment; vivit autem dici, & vitam, ut dixi, habet terræ, amnique communem viſus in aqua hebes, extrà verò acerrimus; Unum hoc animal ſuperiori mobili maxillâ imprimit morſum, inferiorem enim habet immobilem cujus dentes exerti, magnique pro corporis ratione, lingua inferiori annectitur maxillæ, quæ vix ſentiri poteſt parva adeò, ut non linguam, ſed locum tantummodò linguæ habere putaveris, crura habet à latere adjuncta, & in ſumma humo expanſa, pedes parvos, cutis ejus in tergo corticea contrà ictus omnes invicta, in ventre verò mollis, tenuiſque eſt; Dies in terra agit, noctes in aqua; quatuorque hyemis menſes inedia ſemper tranſmittere dicitur in ſpecu; cujus animalis vita extenditur ad annos ſexaginta. Terribilis hæc Bellua fugientes inſequitur, inſequentes fugit; Plura de hujus animalis deſcriptione volens legat citatum *Wottonum lib. 6. Cap.* 105. Nonnulla curioſa circà Crocodilum refert *D. Stubbes apud Oldemburg. Act. Philoſoph. Angl. ann.* 1668. *menſ. Junii*; & præſertim circà lapidem, qui reperitur in ventriculo Crocodilorum, qui non eſt niſi congeries plurium lapidum deglutitorum ab hoc Animali, quod cum os habeat valdè amplum, & dentes fortiſſimos, hinc eſt, quod vulnus quoque morſu infligit ſat magnum, per quod exitiale Venenum in Corpus infundit, hujus autem morſum acerbiſſimus inſequitur dolor, ſanguiſque ob tàm manifeſtam continui ſolutionem primò quidem purus excernitur, quem paulò poſt ſanies virulenta, acris, & fœtida ſequitur; In parte demorſa tumor, & inflammatio, nec non puſtulæ aduſtæ, & nigricantes excitantur, & vomitus, febris ardens, ſudor frigidus, Lipothymia, aliaque prava inſurgunt ſymptomata; & tandem mors brevi temporis ſpatio ſupervenit. Cùm enim hoc peſſimum Venenum conſtet ex particulis acido-acribus penetrantiſſimis, hinc eſt, ut introductæ in maſſam Cruoris, partim diſſolvendo, partim lacerando, partimque coagulando, ſymptomata prædicta producunt; aciditate enim ſuâ fluidos humores promptiores ad fixationem coagulant; ſeroſitates fundunt acredine ſua incidenti: acuminibus enim iſtarum partium vellicantur fibræ, & continuum ſolvitur,

vitur; unde dolores fortes fiunt; Notandum verò cum *Solino*, Crocodilum ob dentium ſeriem, quæ pectinatim ſtringit, horribilem inferre morſum, unde *Diodorus Siculus* aſperitatem horum dentium contemplans, pronunciavit; partem dentibus Crocodili laceratam, nunquam ſanari; Aſt *Arnaldus Villanovanus* remedia morſui Canis rabidi convenientia commendat; Alii humanum Stercus ſuperimponunt vulneri ſalutem ſperantes, aliter nitrum cum Melle lævigatur, & imponitur, donec ulcus repurgatum fuerit, poſtea cum Melle, Butyro, Medulla Cervina & Adipe Anſerino adhibetur; *Aetius* lenticulam coctam cum melle contuſam laudat; deindè Ervi farinam cum melle ſubactam, aut Iridis radicem cum melle pariter mixtam ſuper ulcus ad inſtar Emplaſtri collocat. *Ægineta* demorſos a Crocodilo ejuſdem Animali adipe liberari ait; Nonnulli muriam imponunt ſequuti *Dioſcoridem*, qui Sal tritum commendat; Feles Sylveſtres ob contrariam quandam affectionem demorſos à Crocodilo ſanare ſcribit *Ulyſſ. Aldrovandus de Quadrup. digitat. Ovip. lib. 1. cap. 15.* Notare autem oportet cum *Sennerto*, virus parti affectæ communicatum omnibus modis, de quibus hactenùs ſæpè eſt dictum, eſſe extrahendum, indè vulnus ſpiritu Vini in quo diſſoluta ſit Theriaca, abluendum; internè verò exhibenda ſunt alexipharmaca jam ſatis nota cuicunque Medico Practico.

CAPUT XLIX.

De Lacerta.

ETSI Lacerta adeò Venenoſa non ſit, quia tamen à *Sennerto* ponitur in numero animalium Venenoſorum, ideò & hujus Venenum breviter examinabimus, ne aliquo præſens Tractatus deficiat; Cùm enim Lacerta dentes habeat admodùm ſubtiles, parvos, nigros, iique poſt morſum plerumque in vulnere remaneant; hinc eſt, quod vulnuſcula morſu ejus in-

inflicta curatu ſunt difficilia; ſimul etiam omni Veneno eas non carere ait *Sennertus*; ſymptomata enim quæ inducunt, id etiam docent; nam demorſi à Lacertis, vehementem dolorem ſentiunt in loco affecto, e vulnere primùm ſanguis excernitur, paulò poſt verò ſanies graveolens, & caro circà puncturam pallescit, tumet, & putreſcit; Ex quo apparet primò dentes Lacertæ, etſi exiguos, remanentes in vulnere, ſolventes continuum, dolorem excitare; indè particulas acidas humoris venenoſi Lacertæ introductas in vulnus ſanguinem fixare; undè tumor; inde fixatum cruorem putreſcere, ex quo ſanies graveolens effluit. Ut indicationibus igitur ſatisfiat, primò, dentes in vulnere relicti ſunt, extrahendi, locum affectum oleo, & aqua calida fricando; poſtea ſugendo, vel cucurbitulas ei applicando, poſtea vulnus, eo quo Viperæ morſum modo, tractare convenit; Juvare etiam tradunt, ſpongiam calido aceto imbutam imponere, partemque læſam, ſale, Butyro, & melle mixtis ſimul inungere; Commendatur igitur Emplaſtrum confectum ex Allio, & foliis malvæ coctis, & contuſis, furfuribuſque cribratis, & Oleo Roſaceo; Cataplaſma pariter parant alii ex Triticei panis medulla cum decocto Rutæ, Calaminthæ, Allii, & Gentianæ, & ſecundùm artem confectum apponunt parti vulneratæ; interim ſanè non inutile erit alexipharmaca propoſita in anterioribus Capitibus exhibere.

CAPUT L.

De Stellione.

ASCALABOTES dicitur Stellio, & eſt genus Lacertæ, vocatum, à *Ferrante Imperato* Lacerta Chalcidica antiquorum, quod Animal eo quia maculas parvas in dorſo inſtar Stellarum habet ideò Stellio nuncupatur; hinc *Reuſnerus* cecinit.

. . . . *à Stellis Stellio nomen habet.*

Poetæ hoc nomen à Puello, qui Stelles vocabatur educunt, de qua fabula legatur *Ovidii* Metamorph. *lib.* 5. hoc verò Animal non ſolùm intrà Corpus, ſed & morſu homini, & aliis etiam Animalibus nocet; morſuſque ejus perincioſiſſimus eſt, & naturali aſtutiâ Stelliones præditos eſſe ait *Sennertus*, ut nobis damnum inferant teſte *Plinio*, quoniam nullum Animal fraudolentius invidere homini tradunt, & peſtiferos Stelliones in Græcia, & innocuos in Sicilia reperiri ſcribit *Wottonus lib.* 6. *de different. Animal. Cap.* 110. in Italiæ tamen quibuſdam locis eorum morſus exitiales ſunt, ut teſtantur Authores; Si ergò Stellionis caro ſumatur, aut liquor in quem incidit bibatur, eadem in œſophago, Stomacho, & Inteſtinis ſymptomata qualia aſſumptis Cantharidibus in Veſica excitari ſolent; Nam in ventriculo, & potiſſimùm ejus orificio ſuperiore dolor vehemens deprehenditur, ardor Stomachi ægrotum afligit, vomitus excitatur, lingua inflammatur, caput dolet, & facies, *Plinio* teſte, lentigine obducitur; Demorſi autem à Stellione, dolorem in parte affecta ſentiunt contiuum, punctura liveſcit, & alia oriuntur mala, quæ accidunt demorſis ab aliis ſerpentibus, ut notat *Sennertus lib.* 6. *Prax.* Ex quibus patet, particulas iſtius Veneni acres eſſe, & volatiles, quatenùs ſcilicet ſuis Salinis acuminibus irritando fibras Ventriculi, Vomitum excitant, & pungendo, dolorem, ac inflammationem pariunt; Si ergò vel Stellio ſumptus, vel potus in quo Stellio fuerit ſuffocatus hauſtus ſit, ſtatim vomitus aqua tepida, & Oleo Violarum provocandus eſt, poſteà clyſter injiciendus confectus ex Decocto Maluæ, & Althææ, aliiſque lenientibus; pariter patienti exhibenda ſunt juſcula pinguia, Butyrum recens, Cremor Ptiſanæ, lac, emulſiones amygdalarum dulcium & ſimilia. *Aetius* autem demorſos à Stellione juvari ait, ſi Cæpæ, & Allia cataplaſmatis modò vulneri imponantur, eademque comedant, & Vinum meracum poſt eorum aſſumptionem bibant; Sin verò Venenum Stellionis hauſtum,

& ore ſumptum, ſive morſu communicatum fuerit, alexipharmaca adhibenda ſunt, ſed ea; quæ contrà ſerpentum morſus propoſita ſunt in Capitibus antecedentibus.

CAPUT LI.

De Salamandra.

SALAMANDRA ſic vocatur teſte *Iſidoro Orig. Lib.* 12. *Cap.* 5. quòd contrà incendia valeat, quæ etymologia propemodum jocoſa reputatur a *Geſnero* & *Aldrovando*, qui Salamandram dicit, quaſi Selimandram, quia inter ſpatia inania caularum, & ſpeluncarum ſtabuletur, cujus Animalis inter omnia venenata vis maxima eſt, ſi enim, ait *Iſidorus*, arbori irrepſerit, omnia Poma inficit Veneno; & ſecundùm *Matthiolum* hoc inſitum habet à natura, ut cum aſpectu horribili præditum ſit, intuentibus nauſeam pariat; igni autem reſiſtere dicunt multi, undè *Q. Serenus Sammonicus* cecinit

Seù Salamandra potens, nulliſque obnoxiâ flammis.

Verùm à Majoribus noſtris falſa, & fabuloſa afficta, & addicta eſſe Salamandris ait *J. P. Wurffbainus in Miſcellan. Curioſ. Dec.* 2. *ann.* 2. Quidam enim Salamandras non modò omninò impunè ignis fervorem ſuſtinere; ſed in eo, tanquàm in elemento proprio, vivere, & alimenti loco nutriri ſomniarunt; Alii rectiùs quidem ad tempus Salamandras in igne vivere; eumque lympha ſua extinguere quidem, ſed noviter adjectis prunis, ſufflaminataque flamma concremari credidere; * Aliique tandem rectiſſimè ſtatuerunt, Salamandras ignem planè fugere, eique impoſitas ſtatim interire, & in cineres omni-

* *Vide Tr. Phil. N.* 21. 1667. *Janv. p.* 377. *id. Abridgd. T.* 2. *c.* 6. *p.* 816. *a* 50.

omninò redigi, id quod etiam experimentum *D. Matthiæ Tilingii in obſerv. 60. Miſcell. Curioſ. Dec. 2. an. 2.* ſatis comprobat. At verò erroneam hanc inter Authores, ſub ſolius fictæ autoritatis ſpecie circumlatam inque poſteros religiosè propagatam opinionem exindè potiſſimùm enatam fuiſſe arbitratur citatus D. *Wurffbain*, quòd primæ aſſertionis aſſeclis Salamandra non re ipſa, ſed famâ tantùm & nomine cognita fuerit; hinc eam adeò monſtroſam, tàm pictam, quam deſcriptam effinxêre, mox capite ovillo, mox ſerpentino præditam, nunc cute lanuginea, nunc ſquammoſa, nunc aſpera, modò unctuoſa inveſtitam; Rectè ergò ſentiunt illi, qui aſſerunt Salamandram neque in igne, tanquam ſuo proprio elemento, vivere, neque vitam ad tempus in eo protrahere, neque ſingulari quadam proprietate flammas extinguere, ſed in eis reliquorum animalium more interire, & comburi, non ſine rationis, & experientiæ fundamento. Plura de hac re videantur in *Salamandrologia* citati *Wurffbaini* Eruditiſſimi Academici Curioſi. Salamandræ igitur Veneno infectis, niſi cita mors perveniat, membrum demorſum, calore nativo extincto nigreſcit, putreſcit, fœtidiſſimam ſaniem excernit capilli defluunt, partes internæ Corporis inflammantur, ſermo impeditur deficiunt ſenſus, corpus tumet, tremore concutitur, & tandem mors ſupervenit; Ex quo colligitur Salamandræ virus conſtare ex particulis ſepticis, Salino-lixivioſis nimirùm, quæ non tantùm eliquant humores, verùm Carnem circà vulnus putrefaciunt, ac conſumunt, undè fœdiſſima ſanies exit, pili defluunt, & inflammantur, ait *Sennertus*, internæ partes, quatenùs Salinæ particulæ Veneni acuminibùs ſuis lacerando ſolutionem continui pariunt, undè inflammatio; & cùm iſta acumina etiam nerveas partes adoriantur, hinc eſt, ut tremores, & convulſiones appareant. Ad Curationem verò quod attinet, locus demorſus quam primùm ſcarificandus eſt, venenumque vel cucurbitulis, vel aliis modis eliciendum, aut vulneri cataplaſma ex Allio, Cæpa, Ruta, Sale, ac melle confectum, imponendum, vel Stercus Caprinum cum aceto; ſi verò humor Salamandræ venenatus intùs ſit aſſumptus, ſtatim vomi-

tus, Oleo, & aqua calida, aliiſque medicinis vomitoriis, eſt provocandus, ut extra tale virus propellatur; In utroque verò caſu ſunt neceſſaria Alexipharmaca, & in ſpecie *Dioſcorides* laudat Reſinam Pini, aut Galbanum ex melle linctum; utile etiam eſt Mithridatium, Chamæpytis, Grana pini, folia Cupreſſi, Semen - Urticæ; Nucleos Pini, commendant alii, ut & Cinnamomum, Lac Vaccinum, Vinum vetus &c. & *Sennertus* ſequens Electuarium proponit.

℞. Baccarum Juniperi, Aſſæ fætidæ, Piperis nigri, ana. ʒ. ij. Caſtorei, foliorum Rutæ, Radicis Pyrethri ana ʒ. j. cum melle deſpumato fiat Electuarium a ʒ. j. ad ʒ. ij. cum hauſtu vini veteris exhibendum.

Therebinthinam inſuper, & Styracem præſcribit *in* ſuo *libro de Venenis Cap.* 20. *Ambroſius Pareus*; Carnem Teſtudinum Marinarum *Ardoynis*, & Rutam *Plinius*.

CAPUT LII.

De Hirudine.

LICET Hirudines, quæ ab hauriendo dictæ ſunt, juxtà *Charletonum* in uſum medicum veniant, & aliquando earum appoſitio venæ Sectionis vices ſupplere videatur, attamen ſi in aquis impuris vixerint, vel ſi avellantur, & dentes ſuos in carne defixos relinquant, non ſolùm ulcera peſſima, ſed & mortem etiam inferre poſſunt, ut teſtatur *Sennertus*; undè Meſſalinum è Conſularibus Patriciis, cum ad genua (alii *genis* legunt) admiſiſſet hirudines, inde interemptum fuiſſe refert Plinius; *Hiſt. Natur. Lib. XXXII. Cap. X.* Sic ergò laudantur ab Anglis, & culpantur à Belgis; Et *Walæus in Method. Medendi* eorum uſum neceſſarium non eſſe ait; ſi enim ſanguinem libido eſt evacuare, commodè id per venæ Sectionem peragitur; præter-

præterquam quod tria incommoda ab earum uſu provenire aſſerit, nempè quod ulcuſcula relinquant ſæpè maligna, id quod inprimis diebus canicularibus, dum ſyrius ardet, facere ſoleant, indè quod pro vena nervum ſæpè vicinum lædant; tertiò quod non ſufficientem copiam exſugant; Nonnunquàm etiam hirudines cum aquis impuris bibentibus, per os ingrediuntur, vel ſtatim faucibus adhærent, vel ad Ventriculum uſque deſcendunt, & excitant ſuctionem in illo valdè moleſtam, ſic de Hirudinibus Puellam necantibus hiſtoriam narrat *D. Samuel Ledelius in Miſc. Curioſ. Decur.* 2. *ann.* 2. *Obſ.* 142. quod etiam aliâ hiſtoriâ confirmat *Timæus Caſ. Med. Lib.* 7. *caſ.* 9. & de morſu hirudinis noxio ſermonem habet *D. Gothofr. Schulzius Miſcell. Curioſ. Decur.* 2. *anno* 4. *Obſerv.* 24. de hirudinibus deglutitis legatur *Ulyſſes Aldrovandus de Inſect. lib.* 7 *cap.* 11.

Externè Hirudines malæ conditionis, vel non rectè applicatæ non ſolùm, ut ſuprà dictum eſt ulcera, ſed gangrænam quandoque excitant; & hujuſmodi hiſtorias duas narrat *Schenckius Lib.* 7. primam ex *Geſnero* deſumptam, alteram ex *Laurent. Scholzio*, cujus gangrænæ curatio pari modo procedit, ac curatio gangrænarum ex morſu Animalium venenoſorum ortarum quam & in meo præſenti Tractatu, & penès alios Medicinæ Scriptores Lector habebit; Si autem faucibus adhæreat ſanguiſuga, oculis cùm pateat manuum ope tollitur, ſanguis adſtringenti liquore cohibetur, ac facilè curatur; Quòd ſi verò per os ingeſta ad Ventriculum uſque pervenerit, tunc interrogare ægrum oportet; nam, inquit *Galenus*, cùm viderem hominem integra valetudine præditum, & ſanguinem evomentem, interrogavi, quâ victûs ratione antea fuiſſet uſus; ille verò inter alia, quæ narravit, hoc quoque addidit; quod cùm nocte quadam ſitiret, miſſo puero, qui aquam afferret, ex immundo fonte bibiſſet; quibus auditis ſciſciatus ſum (ſequitur citatus Galenus) apparuiſſent nè aliquandò ſanguiſugæ in ipſo fonte; qui cùm id quoque fateretur, epoto ſubindè idoneo pharmaco, hirudinem vomitione rejecit; ſed cùm *Aëtius* cæteris pleriſque Scriptoribus de ſignis epotarum ſanguiſugarum tradiderit meliùs, ejus verba primò placuit mihi ſubnectere, indè

indè curationem indicare; hirudines ergò, inquit citatus *Aëtius*, cum aqua devoratæ faucibus adhærent, aut juxtà quempiam Stomachi locum, aut ipſi ori ventris: & primùm quidem ſenſim exugunt ſanguinem: expletæ autem, his quæ deglutimus viam obſtruunt: ſuper expletæ verò, etiam ſanguinem quem exuxerunt foras profundunt, ut imaginationem inducant tanquam ſanguis ex internis locis rejectetur. Cæterùm qui affectis contingit exſuctionis ſenſus, is ſignum eſt hirudinem eſſe deglutitam, quod idem *Aldrovandus* fatetur *de Inſect.* quomodò autem hirudines appoſitæ remedii loco, ſint evellendæ ſine damno, docet *Sennertus Inſtitut. lib.* 5. quod ſi vulnus, ut ſuprà dixi, ab hirudine inflictum non benè cadat, imponantur folia Lauri, vel Centaurium contuſum cum vino mixtum, vel fiat cataplaſma ex Allio, Ruta, Galbano, Majorana, Caſtoreo, & Oleo veteri; utilis etiam eſt Agrimonia contrita, illiniri quoque poteſt vulnus ſanguine Teſtudinis Marinæ; ſin autem ventriculo hirudo ſit infixa, æger muriam tepidam, vel acetum bibat, quibus aliquid Aloës admiſcendum, indéque provocato Vomitu excludatur; nivem, & aquam frigidam in hoc caſu commendant aliqui, ut ex *Nicandro Jac. Grevinus* cecinit

Tum fuſum patera confeſtim potet acetum
Sive nivalis aquæ gelido ſe ſe irriget hauſtu,
Sæpè, & hyperboreo concretam flamine cruſtam
Porrige. . . . .

Oxycratum per ſe tantùm non inutiliter dari ait *Aldrovandus*; Rejecta per vomitum Hirudine, commendatur Abſinthium, ut vulneri pravo & interno occurratur; ut & Naſturtium, Salvia, Gentiana, Cæpa, Myrrha, & Pimpinella; ſi autem ſanguis rejiciatur, adſtringentibus utendum eſt, ut verbi gratia, Conſerva Roſarum Antiquarum, Bolo Armena, Terra Sigillata, Syrupo Cydoniorum, Myrtillorum, Aqua Plantaginis, Portulacæ, & Burſæ Paſtoris, ſimilibuſque.

CA-

CAPUT LIII.

De Scolopendra.

SCOLOPENDRA eruca hirſuta eſt, quatuor pedibus prædita adeò exiguis, ut iis propemodum carere videatur, teſte *Aldrovando lib. 5. de Inſect. Cap. 15.* Porcus lutoſus dicitur à *Charletono in Onomaſtic. Zoïc.* quod Animal pari facilitate in partem anteriorem, & poſteriorem progreditur, & ſic quoque ex parte utraque morſu ſuo eſt noxia; ad cujus morſum, ſeu ictum, locus undique liveſcit, putreſcit, & vini rubri fœcibus ſimilis videtur; hinc demorſi à Scolopendra pruritum ſentiunt in toto corpore, ut quem urticæ puncturæ excitant, undè Oppianus cecinit.

. . . . Si quis modò cominùs illum
Attigerit, fervet fœda prurigine Corpus,
Qualem urtica facit cognomine dicta doloris.

Hanc autem non ore mordere, ſed tactu totius Corporis ait *Wottonus de different. Animal. lib. 9. Cap. 212.* Hujus itaque Animalis virus conſiſtit in ſale volatili acri, cujus particulæ inſinuatæ in partem noſtri Corporis ſuis ſpiculis continuum ſolvendo & lacerando, dolorem inflammationem, ac tandem putredinem excitant, diſperſæ autem mediante humorum circulo per univerſum Corpus, pruritum univerſalem pariunt, ac tandem compagem cruoris diſſolvendo, mortem inducunt; Ut autem ſuccurratur ei, qui ictus Scolopendræ paſſus fuerit, primò plaga acidâ muriâ, vel oleo calido eſt fovenda ex ſuaſione *Sennerti*; Prodeſt indè ex *Aëtii* conſilio Cedria cum melle & Allium cum foliis ficûs, & vino; Commendatur ab *Aldrovando* Ruta Sylveſtris, cum floribus aſphodeli, foliis menthaſtri, Mentha, Serpillo, Pulegio, Urina Pueri, Cancri Ma-

rini Cinere, farina hordei &c. Præferunt Antiquorum nonnulli denique cinerem aceto ſubactum, & vulneri illitum.

CAPUT LIV.

De Bufone.

EST Bufo animalculum greſſile quadrupes è ſuo Ovo ortum, aſpectu deterrimum, & Venenoſum. Dicitur autem Bufo, teſte *Charletono*, fortè quod in appropinquantes maximo impetu ſpiritum efflat, vel quia viſo hoſte, ſpiritu ſuo intùs cohibito, ſe ſe inflat; *Rubeta* à multis dicitur, quia inter rubos frequenter verſatur, *Veneni burſa* à *Kirchero*; *Geophagus* ab aliis nuncupatur, quia terra victitare creditur; magnitudine ranam ſuperat, corpore eſt craſſo, dorſo lato, ventre turgido, & inflato, undè ob gravitatem ſaltare vix poteſt; Cute duriſſima, & tuberculis quibuſdam veluti exaſperata, colore lurido, & nigricante, ac in ventre maculoſo; naturæ quodam inſtinctu horrorem aſpicientibus incutit; ipſoque vultu, & inceſſu, & locis, in quibus ſtabulatur, opacis, concavis, ſquallidis, & putridis, malignum, & noxium ſe eſſe fatetur; Hinc puto naturam nobis venenatorum Animalium metum ingeneraſſe, ut ea fugiamus; quis enim ad Serpentis aſpectum, non totus cohorreſcit, & ſe ſubducit? Dentes Bufo non habet, & tamen, aliquando faciem & alias hominis partes pertinaciter ſtringit, obſedit & ſugit, ut indè mortem eſſe conſequutam refert Clariſſ. *D. Chriſt. Franc. Paulinus in ſuo Bufone Sect. 1. cap. 3. §. 6.* & *Georg. Stengel. de Monſtris Cap. 7. §. 5.* Vocem, ſeù ſonum aliquandò edit, ſed obſcurum, & in Gallia Bufones cornutos eſſe ait citatus *Paulinus*: Baculo verberatus, inflato corpore, virus ſeù liquorem primò è clunibus exprimit, indè ſudat, cujus Sudoris Lactei guttæ admodùm gravis, & putidi ſunt odoris, & docuit D. *Simon. Paulli*,

hunc

hunc liquorem virulentum, inſtar urinæ fluidum, peculiari capſula, ſeù vaſculo eſſe contentum, veſicæ analogum, cui ſententiæ inhæret citatus D. *Chriſt. Franc. Paullinus.* Gaudet Bufo ſtabulare cum Salvia; undè ex iſtius incauto eſu varios fuiſſe mortuos referunt Autores; ſic non longè à Toloſa, teſte Pareo *Lib.* 20. *Cap.* 24. bini Mercatores illotis Salviæ foliis in vinum conjectis, illicò atque id bibiſſent mortui ſunt; Et ſponſus cum Amaſia juxtà Salviæ fruticem hilariter ludens, denteſque, & gingivas foliis ejus confricans ſubitò extinguitur; Sponſa autem de veneficio ſuſpecta innocentiam ſuam declaratura ex ipſamet Salvia folia decerpit oſtendens, amaſium hoc modo, quo tunc ipſa, deterſiſſe dentes, & gingivas, eodemque fato periit, ut ex *Mizaldo in Cent.* 1. *Memorabil.* habetur; Caveamus ergò neceſſe eſt, ne illotam, & inexpiatam Salviam temerè olfaciamus, in ſinu geſtemus, ac manducemus, ut fuſiùs advertit Clariſſ. *D. Paullinus in* ſua *Salvia. Sect. ultim. Kircherus de Peſt.* narrat luctuoſam cataſtrophem Monaſterii cujuſdam in Germania, qua Monachi intrà unius diei naturalis ſpatium ad unum extincti ſunt omnes, incuria Coqui, qui Carnes coxerat in lebete immundo, in quem Bufo pinguedini inhians, noctu irrepſerat, ſuoque Veneno infecerat, Similemque hiſtoriam recitat *Munſter in Coſmograph.*; Juvenis Bufonem incautè occidens, ad tantum totius Corporis devenit Stuporem, ut biduò ſterteret ſinè pulſu, teſte *Paullini. de Bufone Sect.* 1. *Cap.* 3. & Excellentiſſ. *D. Hannemannus* Collega plurimùm honorandus *in Miſcell. Cur. an.* 1. *Dec.* 2. hiſtoriam habet de Puero, Bufonem Lapide petente eundemque ſemper eadem manu reaſſumente, qui Veneno Bufonis adeò tandem infectus eſt, ut utraque manus intumuerit & totum Corpus tumidum, Aſthmate præcordiali ſubſequente; Notandum verò cum Clariſſ. D. *Schröckio in Miſcell. Curioſ. Decur.* 1. *ann* 9. *&* 10. in America Bufones veneno carere, non ità tamen in Thuringia; refert enim Eruditiſſ. D. *Paullini in Apend. Miſc. Curioſ. ann.* 5. *Dec.* 2. hiſtoriam de quodam Thuringio, qui in Sylva excurrens, offendit in agro inuſitatæ magnitudinis Bufonem, quem lapide petens, eundem à corpore beſtiolæ reſilien-

reſilientem, & jam, ut faſſus eſt, Veneno ejus madidum, eadem reaſumpſit manu jactu repetito; ſuccedit inflammatio dextræ valdè dolorifica, efflorefcentibus in ea puſtulis veſicifque viridibus lutei planè ichoris plenis; mox tota manus, cum dimidio brachio in immenſum intumeſcens horrendos peperit cruciatus, adeo ut difficulter curatus ſit; Ex quibus apparet, quanta ſit vis Veneni Bufonis, undè *Cardanus* affirmat, ſi Sal quo Bufo extinctus eſt, in aqua diſſolvatur, & in ea induſium lavetur, hominem hoc indutum graviſſimâ & incurabili ſcabie corripi. Hinc *Euſtachius Rudius*, Bufonis morſum, & pulverem tanquam Venenum teterrimum deteſtatur, & licet morſus hujus Beſtiæ dentibus carentis ſit illegitimus teſte *Aldrovando*, attamen particula gingivis compreſſa madeſcit Saliva, quæ per cutis ſpiracula ingrediens venenat, & præcipuè ſi Bufo ad iram priùs inflammatus fuerit; Quapropter venefici hoc Animal ſuſpendunt, & virga percutiunt; indeque ſpumam dimanantem, peſtiferum virus eſſe teſtantur, undè *Juvenal. Sat.* 1.

Occurrit Matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro, miſcet ſitiente rubetam.

idemque Satyr. 3.

Funus promittere Patris,
Nec volo, nec poſſum; ranarum, vicera nunquam
Inſpexi.

Jecoris enim Bufonum fibra altera pernicioſa eſſe fertur, altera veneno reſiſtere.

Hujus Veneni ſigna ſunt, referente *Dioſcoride*, Tumor, Pallor, ſpirandi difficultas, ſingultus, & invita effuſio genituræ, *Avicenna* prædictis ſignis addit gutturis inflammationem, ſingultum cum vomitu, vertiginem, dyſenteriam, & animi deliquium; Et de hujus Veneni malitia loquens *Aldrovendus de Quadruped. digitat, ovip. Lib.* 1. *cap.* 2. ait, hoc eſſe Venenum, ex quo pauci evadunt, & qui fortè curantur, juxtà *Avicennam* ut plurimùm fiunt edentuli; Iſtius autem Veneni energia

conſiſtit

conſiſtit in Sale volatili actuoſiſſimo; particulæ enim iſtius facillimè moventur, ac penetrant, undè pertimeſcendæ ſunt etiam exhalationes, ut hiſtoriæ prædictæ teſtantur, introductæ itaque vel in Chyloſam, vel in ſanguineam Maſſam ſalinæ illius Veneni particulæ ſpiculis primò ſuis partes internas pungunt, ac inflammationem excitant, & irritando fibras ventriculi ſingultum, ac Vomitum concitant, & ſpiritus animales fugando, vertigines pariunt, ac tandem cruorem fundendo, mortem inducunt; Quarè autem Bufo combuſtus non lædat, ratio in promptu eſt, ſiquidem per exſiccationem, & vſtionem, omnes, vel ſaltem majori ex parte particulæ illæ ſalinæ volatiles virulentæ evaneſcunt, & ſic abſque vitæ diſcrimine in cibum venire poſſunt Bufones; De hac re plura legantur eruditè ſcripta ab Illuſtriſſ. Domino *Luc. Schrockio* Patrono meo Colendiſſimo *in Miſcell. Curioſ. Decur.* 1. *ann.* 9. & 40. *Obſerv.* 165. *pag.* *mihi* 364. ubi de Bufone per alvum excreto curioſam obſervationem habet; Quod autem attinet ad curationem, notandum eſt, Cancros fluviatiles tritos, & potos adversùs Rubetæ Venenum laudare *Plinium*; Cinerem Bufonis commendat *Albertus*; Salivam hominis *Mizaldus*, Vomitum, ac Vini potionem laudat *Dioſcorides*, Terram ſigillatam, extollunt alii; multi Melitenſem, quam vulgus *gratiam S. Pauli* appellat, hanc enim cum Saliva ſubactam ex *Paracelſo* Rubetæ veneno utiliter imponi ait *Aldrovandus*; Inſuper commendatur Smaragdus, lapis in Capite Bufonis repertus, Theriaca, Mithridatium, Quinta Eſſentia Theriacalis Matthioli, Oleum Scorpionis Mathioli, ac noſtrum contra peſtem dictum. Nec prætereundum, *Conciliatorem* jubere ægrum in mulum recenter exenteratum ingredi, ibique morari donec Cadaver frigidum fiat, totieſque exenteratum mulum, vel equum, vel Bovem, ſi Mulus deſit, intrare, donec effuſo copioſo ſudore ægrotus liberetur; *Aëtius* verò mulis, aliiſque animalibus poſtpoſitis patientem in clibanum, vel alium calidiſſimum locum ingredi præcipit, ut evocato ſudore, nocumentum ceſſet. Antequàm verò præſens de Bufone Caput claudam, nonnulla curioſa circà Venenum Rubetæ virulentæ, ex variis auctoribus collecta

 tradam,

tradam, ne aliquid, quod ad noſtram faciat materiam, prætermittere videar. Bufonum igitur olfactum, tanquàm nocentiſſimum cavendum eſſe ait *Caſp. à Reies Campus Elyſ. Juc. Quæſt. num. 96.* cùm vaporibus ab illo expirantibus homines ſtupefaciat, intoxicet, enecet, ut *Ardoynis*, & *Ponzetus* aſſerunt; execrabilem quippè eſſe illorum halitum, ac ſummè venenoſum docent etiam *Porta*, *Libavius*, *Zacchias* & *Philip. Salmuth.*, qui ſcribit de Bufone, qui hoſpitium peſtilenti adeò halitu infecerat, ut quamplurimi ibi pernoctantes, ſequentem ſolem non viderint, quouſque tandem conſpectâ, atque interemptâ truculentiſſimâ beſtiâ, hoſpitium ab infectione liberum evaſit; quarè audiendus non eſt *Pigræus Chirurg. lib.* 7. qui negat dari poſſe Venenum, quod ad diſtans olfactu, aut odore offendat, cùm tamen hoc ſæpius viſum fuerit, ut Medicorum hiſtoriæ paſſim demonſtrant. Tale autem eſt Bufonis Venenum, tantæque malitiæ, ut Muſtelam à longe etiam ad ſe trahat, ac occidat. Bufo enim, teſte *Petr. Gaſſendo in Phyſiol. Epicur.*, emittit quaſi hamulos, cordulaſque, quibus muſtelam corripit, & in os ſuum pertrahit, tametſi invitam, reſtitantem, & quiritantem.

Ranarum rubetarum jecoris alteram fibram à formicis non attingi propter Venenum, inquit *Wottonus de Animal. different. lib. 6. Cap.* 108. hinc *Timæus*, & *Neocles* Medici, Rubetas dicunt bina jecora habere, & alterum quidem occidere, alterum alteri adverſantem ſalutem afferre; de hac autem re fides ſit penes citatos Autores; Maxima foveri anthipathia inter Bufones, & Araneos ait *Schroderus lib. 5. Pharmac.* adeò ut, ſi Bufo ſubter Araneam ponatur cum impetu illum interemptum hæc deſcendat; Notat autem *Frider. Hoffmannus*, (& jam olim *Eraſmus in Colloquiis*) ab araneis ictos Bufones Plantagine admorſa ſibi mederi; ſicuti lacerta à Vipera ſaucia ſubindè novas acquirit vires Galegæ herbæ eſu. Veneno etiam Rubetæ antidotus eſt Aranea impoſita de qua re audias fabulam Britannicam ex *Eraſmo in Colloquiis*: Scis, inquit ille, illic conclavium ſolum conſterni ſcirpis virentibus. Monachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus cùm eſſet commo-

commodum. Is quum à prandio ſupinus dormiret, Bufo ingens erepſit & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere certa mors erat, non amoveri quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt, ut Monachus ad feneſtram deferretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum eſt. Mox araneus hoſte conſpecto filo ſe librat, & Bufoni ſpiculum infigit, ac filo ſe recipit in telam. Intumuit Bufo, ſed non eſt avulſus. Repetitur ab araneo magis iutumuit, ſed vixit. Tertio ictus abduxit pedes ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus, retulit hoſpiti ſuo. Sunt qui putant, lapidem Bufonis præſente poculo venenato colorem mutare, ac ſudare; verùm de hoc fides penès exprimentum ſervatur. De hoc autem Bufonis lapide, licet *Braſavolus* ſcribat, ſe in capite hujus Animalis Lapidem inveniſſe, credo potiùs fuiſſe frontis os in lapideam duritiem concretam, cùm Animal terrâ ſæpè alatur; quo circa *Geſnerus* ſibi perſuadere nunquam potuit, ſolidiſſimum lapidem in Bufone generari poſſe, quia ſumma durities à ſummis cauſis efficientibus dimanare debet. *Porta* quoque fatetur; ſe dilaniaſſe multas Rubetas, nec unquàm lapidem ullum inveniſſe, propterea illum, qui pro lapide Bufonis paſſim oſtenditur, mineralem eſſe exiſtimat; *Aldrovandus* verò lapidem, quem ſub hoc nomine venire volunt oſſeæ potiùs ſubſtantiæ ad mentem *Braſavoli* & *Geſneri* eſſe opinatur. Alii verò dixere talem lapillum naſci ex illa ſpuma viſcoſa, quàm Bufones hyberno tempore in cavo congregati in caput magni Bufonis afflant; Hinc *Chriſtophorus Salveldenſis* hunc lapidem in quadam ſpecie Rubetæ, apud Gallos, & Hiſpanos tantummodò oriri dicit; quæ Rubeta cornuta eſt, maculis croceis, & nigris liventibus inſignita, nomine *Borax*; Lapillus verò ejuſdem nominis, magnitudine mediocris fabæ, annulis includi poteſt. De hac re plura apud *Mizaldum*, & *Aldrovandum*.

CAPUT LV.

De Mure Araneo.

DICITUR hoc Animal Mus, ob magnam muris ſimilitudinem, & Araneus, quia edita petit inſtar Aranei, quocircà *Spuntonus* ait ſic dici Murem propter figuram, & ob agilitatem Araneum, cum ſuper tenſum filum vel gladii aciem impunè ambulare poſſit. *Geſnerus* verò putat Araneum vocari, ob veneficam poteſtatem, quam habet. Mus ergò Araneus, Muſtela multò minor eſt, cinerei coloris, dentes habens tenues, brevem ac gracilem caudam, roſtrum verò longum, & acutum, os illi oblongum, & dentes in utraque maxilla duplici ordine ſunt digeſti, indeque fit, ut à mure Araneo morſi facillimè dignoſcantur, nam quadruplici ordine morsûs impreſſio cernitur; & notat *Wottonus de different. Animal. Lib. 5.* hoc Animal plerumque teſtes impetere, non hominis modò, ſed etiam aliorum animalium. Venter hujus albicat, pedes poſteriores planè in poſtrema corporis parte hærent. Totum hoc animal graviter olet, & vel odore Venenum ſuum prodit; & habet oculos nigros, & minimos, paulò majores, quàm talparum, ità ut ab aliquibus cœcum eſſe ſit judicatum Cœco Inteſtino caret; aliaque plura de hujus Animalis deſcriptione legantur apud *Geſnerum*; Solummodò notandum cum *Willughbeo*, murem Araneum à mure domeſtico differre per multa, id eſt, quia minor, quia roſtro porrectiore ſit porci inſtar, quod quinque digitos in pedibus habeat, oculos minores, auriculas breviores, ungues albos, longiores, & dentes inciſores à molaribus non differentes; & notat Sapientiſſ. D. *Mangetus in Biblioth. Pharmac. lib. 12.* poſt *Geſnerum.* Murem Araneum feles quidem capere, & occidere, ſed non edere tanquam Venenoſum, ſic fortè à natura edocti. Morſum ergò infert

infert periculoſum, & mediante illo introducendo liquorem Salivalem exitialem corpori humano Venenum communicat; & non ſolùm venenoſa iſtius animalis qualitas in eo vivo invenitur, ſed etiam in ejus mortui partibus venenum eſſe dicendum eſt; Siquidem ſanguinem Muris Aranei defæcatum & ſiccatum, atque in pulverem nefariè propinatum Pthiſim inducere volunt aliqui. Vulnus autem, quod Mus araneus infligit, ob dictam dentium multitudinem ſat manifeſtum eſt, & ab eo ſanguis primò purus effluit, paulò poſt verò ſanioſus, & putridus, dolor adeſt vehemens, inflammatio, & ulcus; Circà plagam emergunt puſtulæ plenæ pure virulento, quo excreto, caro ſubjacens livida, qualis in Cancro conſpicitur; ſudores frigidi ſuperveniunt, cum torminibus Inteſtinorum, & difficultate Urinæ; ex quibus liquet, hujus Veneni particulas acido-acres eſſe, irritando enim ſuis acuminibus fibras affectæ partis, dolores & inflammationem pariunt, & vitiando ſanguinem in parte læſa ſaniem efficiunt, indè penetrando in maſſam cruoris, eum coagulando, difficultatem Urinæ, & ad fibras Inteſtinorum proreptantes eorum dolores excitant; ad quæ ſymptomata tollenda, ut curatio inſtituatur, primò danda opera, ut Venenum Corpori communicatum foras eliciatur illis modis, qui ſuprà fuêre propoſiti; indè imponatur vulneri Emplaſtrum è Galbano in aceto diſſoluto; vel ex Allio, foliis Ficûs, & Cumino contuſis, ac cum oleo mixtis; ulcera verò è puſtulis ruptis oborta, acida muria eluere *Aëtius* jubet, arenam, ſeu terram ex rotarum tranſitu, ſeù orbita ſumptam, & vulneri impoſitam, optimam eſſe ſcribit cum *Æliano Sennertus*, undè *Q. Serenus Samonicus* cecinit

Sin autem Muris nocuit violentia cæci;
Quæ ſola ſignavit volvendis orbita plauſtris,
Illinc; mira datur vili de pulvere cura.

De hoc remedio etiam lege *Plinium*, *Ælianum Philan*, & *Robert. Keuchenium in notis ad Samonicum pag. mihi 267.* nec non *Aldrovandus de Quadruped. Digitat. lib. 2. Cap. 33.* Decoctum in-

inſuper cùm vino Abſynthii, Abrotani, & Serpilli laudatur à *Sennerto*; Multi coagulum Leporis cum aceto vulneri imponendum exhibent; Cineres ungulæ arietinæ; Allium, Siſymbrium, Cyclamen, Braſſicam, Salviam, Erucam, Semen Apii & alia, ab aliis laudantur, ut videre eſt penès *Aldrovandum loc. cit.*

CAPUT LVI.

De Araneo.

ARANEUS, notiſſimum eſt Animal, ab aëris nutrimento cognominatum, quod exiguo corpore, longa fila deducit, & telæ ſemper intentum, nunquam deſinit laborare perpetuum ſuſtinens in ſuo labore ſuſpendium, ut verbis utar *Iſidor. Origin. lib.* 12. *Cap.* 5. cruſculis, ut plurimùm incedit Octonis, quibus omnibus inter nodia terna; cum coire volunt, fœmina deductam Araneam trahit, mas eandem mutuò trahit, quod ubi ſæpiùs fecerint coeunt, & averſis clunibus copulantur, qui modus iis propter alvum orbiculatam convenit; Generatim dividuntur Aranei in noxios, ſeù Phalangia, & innoxios, qui ſubdividuntur in domeſticos, & ſubdiales, & utrique rursùm in retiarios, telarios, & varios; De Araneæ nutrimento aëreo ità ſcribit D. *Chriſt. Frider. Garmannus Miſcell. Curioſ. Decur.* 1. *Ann.* 1. *Obſ.* 120. Incluſi vitrô Araneas, ait ille, clauſôque exactè foramine, omnem ferè aëris uſuram, iiſdem abſtuli; Decreverunt de die in diem, adeò ut grandiores quamvis anteà, vix piſum æquarent minimum; ad incitas cùm eaſdem putarem redactas, acu foramina quædam operculo induxi, & illicò tanquàm famelicæ foraminibus iſtis ſe applicabant, & poſt unum, & alterum diem notabilem ſumebant incrementum, ut etiam modò locus fuiſſet commodùs à textura non abſtinuiſſent; ſignum evidens araneum ex aëre materiam nutritionis haurire; de hoc animali ſic canit Poeta apud *Wottonum.*

Eſtque

Eſtque caput minimum toto quoque corpore parvo eſt.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent,
Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit,
Stamina . . . .

Dicitur ab *Hannemanno* burſa magnetica Veneni aërei ictu enim per exiguum vulnuſculum, Venenum in corpus infundit, vel in eſculenta, & potulenta illapſus, & ingeſtus homini nocet; undè *Mercurialis* è *Nicolao Florentino* refert, in Monaſterio quodam Heremitanorum multos Monachos fuiſſe peremptos potu Vini, in quo fuerat extinctus; Araneus peſtifer vel etiam combuſtus ſuo fumo nocet; ità legitur apud *Sennertum*, quendam Lombardum Florentiæ in hoſpitio Coronæ, quandam Araneam nigerrimam, & magnam combuſſiſſe flamma Candelæ, & cùm fumum illius naribus excepiſſet, ſtatim incepiſſe debilitari, & incidiſſe in Lipothymiam, & totà nocte paſſum eſſe pulſum cordis, & pulſum ejus ità minutum eſſe, ut vix perciperetur; Curatum verò fuiſſe Theriaca, Diamoſcho, & Pulvere Zedoariæ mixtis. Si autem Araneus intrà Corpus ſumptus ſit, ſive Venenum ſuum ictu corporis immiſerit, accidunt ſtupor in parte læſa, horror, Ventris tumor, flatus Inteſtinales, pallor in facie, involuntaria lachrymatio, tremor partium extremarum, convulſio, ſudor frigidus &c. Cùm enim particulæ hujus Veneni ſint Salino-nitroſæ, hinc eſt, quod iſtæ tùm extrà, tùm intrà corpori communicatæ pungendo fibras dolorem, ſtuporem, tremorem, ſpaſmum, involuntarias lachrymas, & ſudores efficiunt, & fundendo humores pallorem, ac tandem mortem accelerant; Quòd ſi Araneus intrà Corpus ſumptus fuerit, curatio à vomitu auſpicanda erit, qui emeticis remediis eſt excitandus; poſt vomitum offerenda Alexipharmaca, quibus ſumptis ægrum ad ſudorem ſe debere in cubile componi ait *Sennertus*; utilis eſt in hoc caſu Theriaca, cum aqua Cardui Benedicti, Scordii, aut Vino generoſo; Item Bolus Armena qua cum aceto exhibita *Fracaſtorius*, quendam, ab Aranei veneno

neno penè ſtrangulatum, ſanavit; *Dioſcorides* commendat ſemen Abrotani; Ariſtolochiam, Aniſum, Cicer Sylveſtre, & Cuminum Æthiopicum, cujuslibet ſeorſim ſumpti ʒ. ij. cum vino; Utilis eſt & reſina ſicca Abietis, cujus uſu Mulierem araneo venenatam, ab omni malo, liberatam fuiſſe, refert *Geſnerus*, Commendantur etiam *Serpillum*, Baccæ Lauri, Calamintha, Gentiana, Meliſſa, Aſſa fœtida, Myrrha, Allium, Caſtoreum, Trifolium, Ruta, Centaurea, Sanguis Teſtudinum, Cerebrum Gallinæ. Si verò morſu Araneus nocuerit, locus demorſus ſæpè aqua ſalſa eſt abluendus, aut ſpongia aceto calido, vel Malvæ decocto, plena fovendus; optimum eſt lac manans è foliis ficus inſtillare; Cataplaſma quoque ictui imponendum poteſt parari ex Lauri foliis, Ruta, Porro, Farina hordei, cum aceto coctis; prodeſt etiam Allium; & Cæpas contuſas, Stercus item Caprinum cum vino, ut & ficus pingues imponere; Addit *Sennertus* ægrum in balneo ſæpiùs ſudare bonum eſſe, & allium frequenter comedere, vinumque liberaliter bibere. Plura de hujus Veneni curatione vide apud *Aldrovandum*, *Sennertum*, *Adroynum*, *Matthiolum*, & alios Autores.

CAPUT LVII.

De Tarantula.

HOc Animal Tarantula nuncupatur, non quia Tarenti hoc Animal virulentius ſit, quàm in reliquis Apuliæ regionibus, ſed forſan, teſte Clariſſ. D. *Baglivo* Amico meo plurimùm colendo, quia Græcorum, & Romanorum temporibus civitas illa cæteris erat, aut frequentior, aut nobilior, & ideò exiſtentibus ibidem majori numero ægrotis hoc veneno laborantibus, nomen exindè Animalculum deſumpſiſſe credo; eſt autem Tarantula de genere Araneorum octo pedes habens, & in ſingulis pedibus terna ſunt internodia; Corpus ejus in duas

duas partes dividitur principaliores, Thoracem ſcilicet, & ventrem, quæ quamvis ab invicem ſejuncta videantur, tenui tamen ligamentô, ſeù nodulô Thorax Ventri unitur; Caput à Thorace, & Humeris nullo diſtinguitur ſegmento. In Capite occurit os, à quo prodeunt duo tela ſimilia forcipi, quorum apex acutiſſimus eſt & hac de cauſa facillimè cutim penetrant, ſuntque quaſi duo veneni emiſſaria; Hos forcipes egregiè delineatos habebit Lector *in Micrographia* viri Celeberrimi *P. Philippi Bonanni* S. S. octo oculos habet, & in ano nonnullas prominentias, quæ ſunt veluti emiſſaria filorum ad retes texendas; Piloſum eſt Animal Tarantula coloris varii; fuſam verò deſcriptionem, & anatomen partium internarum, ut & ejus delineationem dabit curioſis Illuſtriſſ. & Sapientiſſ. D. *Georg. Baglivus* omni virtutum genere inſtructus, & noſtrûm amiciſſimus *in* ſua *Diſſertatione de Tarantula*; Nos, de ejus Veneno, prout ad noſtrum ſpectat inſtitutum, gradum faciamus; & in primis audiendus eſt *Thom. Willis Patholog. Cerebr. Cap.* 7. qui ait; Animalculum hoc in æſtate valdè frequens incolas incautos ſæpè mordere, atque ictû venenato afficere; undè ſtatim dolor in parte læſa, cum pruritu, dolore, tumore, convulſione, ac tremore accidit; Succedit etiam, teſte *Ardoyno*, Vomitus, Melancholia, Urinæ difficultas, & aliquandò mors feſtina; Diligentiſſimus verò *Baglivus* ſequentia ſigna proponit; Dormientes ait ille, & incautos ut plurimùm, mordent Tarantulæ; Demorſi, ſi vigilant, ſentiunt ictum, veluti a formica, aut ape inflictum; demorſa pars quandòque dolore, quandoque ſtupore inſigni prehenditur, circulo livido, nigro, aut ſubflavo, ſtatim coloratur, paulò poſt in dolorem, & tumorem cedit, qui poſt inſtitutam muſicam, & uſum remediorum ſpontè cum aliis recedit ſymptomatibus, Paucis elapſis horis à morſu, patientes ingenti cordis angore, grandi mœſtitia, & ſpirandi difficultate primò corripiuntur, mœſta voce conqueruntur, oculis turbatis inſpiciunt, & ſi Adſtantes incedant veſtibus eo colore diffuſis, qui Tarantatis ingratus eſt, neceſſe eſt, ut ab eorum aſpectu recedant, nam ad intuitum moleſti coloris, angore cordis corripiuntur. Ægri tandem

deſinunt in Melancholiam ſui generis, donec vel ſaltatione, vel Muſicâ, vel ætatis mutatione virulenti caracteres, è ſanguine, & fluido nervorum penitùs eliminentur, quæ felicitas de rarò contingit; nam Semel demorſi, in poſterùm non ſanantur ampliùs, ut certò conſtat, & innumera confirmant ſymptomata depravatæ phantaſiæ naturam redolentia, multi enim Tarantati, ſepulchra & ſolitaria loca deſiderant, in feretris mortuorum ſe extendunt tanquàm mortui; In puteum aliquandò ſe projiciunt; Virgines & Mulieres, cætero quin honeſtæ ſolutis verecundiæ habenis, vehementer ſuſpirant, ululant, indecorè moventur, partes obſcœnas patefaciunt, motum penſilem amant &c. Nonnulli volutantur in limo tanquam ſues; alii verberibus cædi optant, alii curſû delectantur, generalitèr verò loquendo ſymptomata Tarantatorum primo Veneni inſultu ſimilia ſunt iis, quæ in febri maligna ex coagulatione obſervari ſolent, qualia ſunt angor cordis, ſpirandi difficultas, omnimoda ferè pulſus oppreſſio, & animalium, atque vitalium actionum jactura, Hoc autem Venenum conſiſtere puto in particulis acidis volatilibus, quæ præcipuam ſuam ſedem in liquido nervorum ſivè in ſpiritibus animalibus figunt, non excluſa etiam ipſius ſanguinis virulentâ & acidâ indiſpoſitione; hinc eſt, quod *Willis* putat, ab Animalculi hujus morſu miaſmata quædam venenata Corpori humano infigi, quæ tamen ſanguini, & Spiritui vitali minùs infeſta, quamprimùm ex ipſo in liquorem nervoſum tranſierint, per totam ejus maſſam fermenti inſtar ſtatim ſe explicant, atque ſpiritus Animales ubivis in ea ſcatentes inficiunt; ità quidam, ut ipſi ab invicem diſtracti; & huc illuc inordinatè agitati, affectiones ſpaſmodicas inducant, quas partium continentium modò contractura, modò languor, & reſolutio, comitantur; Cur autem, quæ à Tarantulæ morſu convulſiones dolorificæ ſuſcitantur, ſtatim à Muſica ſedatæ in ſaltationem commutari ſolent, non ità planè conſtat; Quod nonnulli aſſerunt, Animalculum hoc ſiquidem teſte *Ariſtotele* Muſica delectari; atque ea propter Venenum ejus homini inditum humores fermentando, partim Muſicæ amorem inducere, hæc conjectura animo veritatis avido minus

minùs ſatisfacit, utpotè, quæ, ait *Willis*, in Araneo naturam philomuſicam, eandemque poſtea cum homine per metaſtaſim communicatam ſupponit; quæ quidem utraque & gratis dicta ſunt; & minùs arrident, quin potiùs dicendum videtur, Venenum à morſu Tarantulæ liquori nervoſo inflictum, mitius eſſe, quàm, ut ſpiritus animales penitùs extinguere valeat, aut diſtractos prorsùs diſſipare & in exploſiones immaniores cogere, ſed eos tantùm in fugam conjicere, fugatoſque hinc in ſpaſmos leviores, ac ferè tantùm dolorificos incitare; At verò Muſicam blanda mulcedine ſua ſpiritus ità diſſipatos facilè una congregare; ac mutuò aſſociare; Quapropter cum iidem ſpiritus, ob miaſmata virulenta ipſis adhærentia, uſque in motus involuntarios, & convulſivos apti fuerint, melodia eos ſimul allectos in tales ſpaſmos diſponit, ac dirigit, ut ſeriè ac ordine quodam nervorum: corpora ſubeuntes certis velut in cancellis, ac orbitis ferantur, donec tandem Veneni particulis penitùs evaporatis, atque ſpirituum furore, ut phraſi utar citati *Williſii*, ac impetu delaſſato œſtrum illud omninò excuſſerint; enim verò Muſica homines ſanos & ſobrios etiam invitos, aut aliud cogitantes in actiones modulaminis auditi æmulas facilè rapit, ut primò ſtatim Tubicinis inflatu adſtantes manus, & pedes agitare incipiant, & vix à ſaltando ſe contineant; ne quis ergò miretur, ſequitur ipſe *Williſius*, in hominibus à Tarantula demorſis, ubi ſpiritus Animales, velut ſtimulis agitati hùc illùc ſponte exilire, & divagari coguntur, ſi citharæ impulſu in ſaltationes, & motus compoſitos excitentur, adeò ut in hiſce affectibus Muſicæ ſpiritus debacchantes, velut incantans, eorum motus convulſivos quodammodò regens, atque commutans antidoti loco habeatur, in quantum ſcilicet Animales ſpiritus ad hunc modum diu, ac multùm exerciti, copulam elaſticam à Veneno, aut alias contractam penitùs excutiunt, ipſique plurimum defatigati demùm ab œſtro, ſeù incitatione ſua conquieſcunt; Hinc *Cardanus de ſubtilit.* ait remedium palàm eſſe ex Muſica, quòd ad ſaltandum incitatur, nam ſaltando veternus diſcutitur, ac cum eo ſimùl Venenum quod naturâ frigidiſſimum eſt; non igitur muſica, ait,

ait ipſe, ſed labore Tarantulæ Venenum diſcutitur; Notandum verò cùm *Jul. Cæſare Scaligero de ſubtilit. ad Cardan. Exerc.* 185. Læſos à Tarantula omnes ſimiliter non affici, non omnes enim oblivione, vel ſomno premuntur; Alii autem Vigiliâ perpetuâ corripiuntur, alii flent, alii rident, quidam currunt, nonnulli ſedent, ſunt qui ſudant, qui vomunt, qui inſaniunt, quarè non defuêre Philoſophi, qui putarunt Tarantularum tot eſſe ſpecies, quot hæc agnoſcerentur accidentia. Aſt aliter videtur citato *Scaligero*, quemadmodùm ebrietas non unius eſt modi, ſed ſua cuique pro natura, nam quis flet, quis ridet, blaterat alius, alter dormit &c. Ità ex hujus Animalis morſû evenire ille putat; Hoc autem Venenum ſingulis annis, & potiſſimùm circa illud tempus, quo patienti illatum fuit, infallibiliter recrudeſcere inquit Clariſſ. *D. Baglivus* Amicus meus ſingularis, & eruditiſſimus, quod ſi parroxyſmus inopinato ægrum invadit, tunc ille, veluti fulmine tactus, humi concidit ſemimortuus, manus, facies, aliæque extremitates denigrantur, ſuffocatione, & ſpirandi difficultate corripitur, & ità jacet donec veniant Citharedi, quorum conſueto modulamine audito, ſenſim in vitam reſtituitur, ad choream diſponitur, atque artus primò, mox verò univerſum Corpus movet; Si debito tempore æger non ſaltaverit, toto illo anno graviſſimis eum urgeri ſymptomatibus ait Clariſſ. *D. Baglivus* ſupra citatus, icteritiô ſcilicet cutis colore, cordis anxietate, inappetentia, & febricula, imò ſi Tarantati vervecina carne, cucumere, aut citrullo utantur, ſtatim dolore Ventriculi moleſtiſſimo aggrediuntur; At ſi ſingulis annis conſueto tempore ſaltaverit, ſudaverit, & muſices ſono Veneni ſeminia foras eliminaverit, toto illo anno optima fruitur valetudine, nec ullis ſubjacet ſymptomatibus modò recenſitis. Curioſam refert hiſtoriam *Epiphanius Ferdinandus* de ſene Octuagenario majore adeò debili, qui non niſi ligno innixus ambulare poteſt, & poſtquàm demorſus fuerit à Tarantula, audita Muſica, velùt Cappreolus ſtatim ſaltare incepit; Malum autem hoc periculo non vacat, & niſi medicamentis curetur idoneis poteſt eſſe lethale: At licet Tarantulæ morſus periculoſus ſit, non eſt tamen

tamen morbus acutus, ut ictus Aſpidum, Viperæ, ſed tardi m otus eſſe hoc Venenum aſſerit *Sennertus Prax. lib.* 1. *part.* 2. *Cap.* 13. Raro talis affectio lethalis eſt, ut ex centum Tarantatis, ſi convenientia remedia adhibeantur vix duo emoriantur; pro ratione tamen loci; qui pungitur, malum nunc mitius, nunc periculoſius eſt; Periculoſum quoque eſt, ſi Tarantula jejuna hominem jejunum mordeat, notante citato *Sennerto.* Cùm autem ad Muſicam Tarantati velut ad ſacram anchoram confugiant, non ſecùs faciant, ac Saul, qui Citharam dum David pulſabat, meliùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus, de quo in 2. *Lib. Regum.* Cùm verò ad duo communiter genera reducant Autores Venenorum effectus, ad coagulantes ſcilicet, & diſſolventes maſſam ſanguineam; Ex ſymptomatibus ſuprà dictis colligo, Venenum Tarantulæ acidum eſſe, atque diſponere humores ad coagulum; idque indicant, oppreſſio pulſus, ſpirandi difficultas, rigor, horrorque univerſalis, ſopor gravis aliaque. Indicationes ergò curativæ ſunt diſſolvendi humores per medicamenta Theriacalia, alexipharmaca, Bezoardica, & reliqua parùm diverſa ab iis, quibus utimur in demorſis à Vipera. Primò igitur locus affectus ſcarificandus eſt lanceola, & quoniam magnus ſtupor affectam partem interdùm occupat, patientes dolorem ſcarificationis non ſentiunt; Facta ſcarificatione; Cucurbitulam applicant ad extractionem multi Medici, exindè Theriacâ, & Allio contuſo fovent, ad debilitandum, ut verbis utar *D. Baglivi*, Venenum; qui Doctor demorſum locum candenti ferro ſtatim aduri jubet, ignis namque cùm ſit de genere ſtimulorum, iſque ſtimulus vehementiſſimus, excitat in fibris loci affecti, & ſucceſſivè in toto ſyſtemate fibrarum corporis humani oſcillationem quandam, ſivè motum vividum continuatum, & vehementem, quâ ratione humores, qui ſunt ad contactum ſolidorum ità oſcillantium, ſolvuntur, & attenuantur, & à Veneno coagulante vix unquam figi poterunt, præſertim in affecto loco, ubi ſtimulus ignis eſt potentior, & humorum ad coagulationem major inclinatio; Quoniam verò felices hos ignis effectus citatus *Baglivus*, non eſt expertus, ideò ſuperſedet à majori

jori illorum præconio, Idcirco Medici poſtquàm demorſum à Tarantula locum, & Scarificaverint, & alexipharmacis inunxerint, ad interna demum remedia ſe convertunt; inter hæc locum habent potiſſimùm ſequentia, Aquam Reginæ-Hungariæ, Cancer fluviatilis tritus, & bibitus cum lacte Aſinino, Decoctio baccarum Lauri, Radix Croci; Agaricum, & aliâ, quæ videri poſſunt apud *Ardoynum de Venen. lib.* 8. *cap.* 5. *pag. mihi* 483. *Epiphanius Ferdinandus* ſequens Electuarium, quod antiphalangium vocat, tanquàm ſummoperè utile proponit, quod ſequens eſt.

℞. Baccar. Myrt. Tamariſc. ana ℥. j. Semin. Paſtinac. Nigell. Agn. Caſt. Dauci, Aniſi, Cumini, & Origani ana ʒ. j. Terræ ſigillat. Bol. Armen. Orient. ana. ʒ. ij. cum Syr. totius Citri q. ſ. f. Electuarium S. A. de quo ſumat quotidiè manè ʒ. ij. ſuperbibendo brodium alteratum herbis, & Radicibus alexiteriis.

Cæterùm fruſtranea propemodum ſunt, tùm hæc, tùm alia remedia, quæ proponi poſſent, niſi præſto ſit, & adhibeatur Muſica, ut conſtans, & infallibilis evincit experientia; ſiquidem Muſica, ut etiam innui ſuprà præcipuum eſt Tarantatorum antidotum, quâ quidem auditâ, quamvis ad inſtar Apoplecticorum jaceant Patientes, ſenſim movere incipiunt manus, pedes, & exindè reliqua membra, donec tandem in pedes erigantur, erecti verò ſuſpirant, & ſaltationes longo tempore abſolvunt; Modum autem ſaltandi Apuliæ familiarem optimè deſcribit Eruditiſſ. D. *Georg. Baglivus Diſſert. de Tarant. cap.* 9. additque plures hiſtorias variorum Ægrorum tali Veneno affectorum exquiſito ſtylo depictas more ſuo naturali: quas conſulere poterit curioſus Lector.

CAPUT LVIII.

De Cantharidibus.

CANTHARIDES, quas in plures ſpecies diſtinguit *Schroderus in Pharm. lib.* 5. à multis Muſcæ Hiſpanicæ nuncu-

pantur,

pantur, & ſunt Animalia inſecta, volatilia, aureum, & ſplendentem colorem habentia, quorum deſcriptionem exhibet curioſis eleganter *Aldrovandus de Inſect. lib.* 4. *Cap.* 4. Horum Animalium geneſim ex vermiculis, erucis ſimilibus, haberi voluerunt multi, qui vermes originem traxerint ex humore foliis arborum nonnullarum, verbi gratiâ, Fraxini, Populi adhærente, ſed perperam, nam Cantharides, ut & reliqua Animalia, ex proprio Ovo, id eſt, Semine oriuntur; Ex apertis enim Cantharidibus innumera ovula oblonga, pellucida, ſubalbicantia obſervavit D. *Theodor. Caroli Miſcell. Curioſ. Dec.* 2. *Ann.* 5. *Obſ.* 36. quæ duriùs paulò tractata cum tantillo fragore deſiliêre. Venenata eſſe, tùm ex fœtore imprimis, tùm ex morbis excitatis, hæc animalia jam certum eſt; undè Veneno Cantharidum plures obiiſſe legimus. Caius Carbo accuſante Lucio Craſſo Cantharides ſumpſiſſe dicitur, & hoc genus necis *Ovidius* inimico ſuo imprecatur *in Ibim* his Carminibus

Utque nepos dicti noſtro modo carmine Regis],
Cantharidum ſuccos, dante parente, bibas.

Hinc Coſſinum Equitem Romanum, narrante *Plinio lib.* 29. *cap.* 4. amicitia Neronis Principis notum, cùm is lichene correptus eſſet, vocatus ex Ægypto Medicus ob hanc valetudinem ejus à Cæſare, cùm Cantharidum & Pareus *lib.* 5. ſcribit. Scortum quendam Juvenem lauta Cœna excepiſſe, additis etiam condimentis pulvere Cantharidum conſperſis, qui cùm poſtera die ſanguinem, ano, & virga rigida redderet, & cùm fruſtranea Medicamina exhibita eſſent, vehementia Veneni victus interiit. *Samuel Ledelius in Miſcell. Curioſ. Decur.* 1. *Ann. IX. & X. Obſ.* 148. de Pſeudomedico quodam notat, qui ad ʒ. ij. Cantharides cum Scinco Marino, & Satyrionis radice, nobili cuidam pro medicamento aphroſidiaco, & Venereo exhibuit; aſt pro Veneris ſtimulis irritavit ſpicula mortis, præter enim inſatiabile coëundi deſiderium, acceſſit Scroti tumor, & deficiente ſemine, ſanguis exibat, ægro undecimâ die mortuo: Cæterum Cantharides etiam foris ap-

 plicatas,

plicatas, mictum cruentum, & ſtranguriam excitare ſcribunt Autores multi.

Quibus datæ ſunt Cantharides ſigna eveniunt graviſſima; ab ore enim, uſque ad veſicam cuncta erodi ſentiuntur, piccem, aut ſimile quidam cedriæ reſipiunt, inflammantur præcordia, urinam ægrè reddunt, & ſubindè cum lotio cruorem emittunt; Febris ardens excitatur cum nauſea Dyſenteria, Lipothymia, Vertigine, aliiſque pravis ſymptomatibus; Prout verò Cantharidum vis cauſtica in dubium revocari nequit, ità non immeritò dubitatur, utrùm ea in ſale aliquo alcalico lateat, an verò acido debeatur, quale acidum mordicans in Formicis, Apibus, Veſpis reperitur, de qua re elegantèr diſſerit *Joh. Bohnius Diſſert. Chym. Phyſ.* 1. §. 16. Certum tamen eſt particulis acuminatis ſcatere Cantharides, quarum acuminibus continuum ſolvunt, ac inflammationem cauſant, quòd verò iſtæ particulæ acido ſulphure ſaturentur, evincit odor picis, & cedriæ, quem perſentiunt ab hoc Veneno affecti, unè *Nicander in Alexipharm.* cecinit

Nec tu frugi ſecam, piceum, quæ redolit odorem;
Cantharidem pota.

Irritatis itaque fibris à cuſpidibus iſtius Veneni, torquentur Inteſtina, unde tormina, ac dyſenteria: vellicantur pariter Ventriculi tunicæ, undè vomitiones, ac dolores: feriuntur, ac lacerantur partes Veſicæ urinariæ à ſepticis Cantharidum particulis, undè primò mictus cruentus, indè inflammatio, poſteà ſphacelus, indè mors ſuccedit, tanquàm finis omnium malorum hujus Mundi. Cur verò Cantharides magis infenſæ Veſicæ, quàm cæteris ſint partibus quærit Clariſſ. *Ramazzinus* Dominus meus, & Amicus perpetuò colendus *in ſuo* egregio *opere de Morb. Artificum Capit.* 14. & id fieri ait, eò quòd ſalia volatilia Cantharidum ſerò ſanguinis Sociata, ſicque ad veſicam cum urina delata, eandem Veſicam denudatam, nulloque mucore oblinitam, pungunt, & excoriant, quod in cæteris partibus, non tàm promptè efficiunt, dùm

non

non vehuntur in ſolo ſero, ſed unà cum ſanguine, & pituita à quorum liquorum mixtura illarum particularum vis retunditur. Licet autem nos cum citatis Doctoribus Cantharidem Venenatam eſſe aſſeramus, nonnulli tamen ſunt Practici, autoritate *Hippocratis* freti, (qui hydropicis propinaſſe legitur in *IV. de Ratione. victus in Morbis acutis*,) qui prò remedio in variis affectibus exhibent; Sic *Galenus* ad Urinam provocandam Cantharide utitur, in exigua tamen quantitate, ità ut centeſimam Drachmæ partem in medicamentum urinam provocans imponat; Et quamvis aliqui aſſerant, Cantharides ſecum habere antidotum in alis, & pedibus, de hoc fides ſit penes ipſos, nam ego & alas, & ventrem pro venenatis agnoſco; ita ut de Vincentio Crema Chirurgo noſtro refert *Ant. Muſa Braſavola Comm. in Hippocratem de victûs ratione in acutis*, qui Rhabarbari pulverem deglutivit, quam quidam in mortariolo contuſerat, in quo priùs Cantharides in pulverem redegerat, hic vir egregius ab ore ad anum excoriatus eſt, & per plures menſes ſanguinem minxit, veſica enim, ut ſuprà innui, à Cantharidibus ulceratur, ſi etiam extrinſecè applicentur, ut contigiſſe quondam Bonaventuræ Piſtophilo refert ſupra citatus *Braſavola*, qui hujuſmodi medicamentum exhibere nunquam auſum fuiſſe fatetur; De graviſſimo effectu Cantharidum exteriùs adhibitarum pariter hiſtoriam notat *Gul. Fabritius Hildanus Cent. 6. Obſ. Chir.* Sunt, & improba Scorta, quæ fœtum tenellum iis perimunt, & exturbant, teſte Clariſſ. *Mangeto in Biblioth. Pharmac. Med. Lib. 3.*

Hujus Veneni Curatio conſiſtit in educendo, quantò citiùs fieri poſſit, è corpore per Vomitum Veneno, ne ejus partes ſepticæ feriant fibras partium internarum, vel in hebetando, atque inviſcando cuſpides particularum Cantharidis, ſicque ſuam actionem impediendo, quod ſequentibus remediis fieri poteſt, nempe primò danda opera, ut Vomitus excitetur Oleo Violarum, & aqua tepida, vel ſimilibus Vomitoriis; poſt Vomitum Clyſteres injiciantur ex lacte, decocto Hordei, Oryzæ, Parietariæ, Malvæ & ſimilium: Internè verò propinandum lac, Decoctum Althææ, Juſcula pinguia, Butyrum

recens, aliaque pinguia, & oleoſa; à *Sennerto* commendatur emulſio quatuor Seminum frigidorum majorum, cum aqua lactucæ parata, & mucilago Seminum Pſyllii, cum Terra Lemnia; Muſtum Cantharidum naturæ adverſari ait *Ardoynis*, ut & Sapa, id eſt, Vinum coctum & *Petr. Aponenſis* decem grana alkekengi optima eſſe pro curando Cantharidum Veneno edocet.

CAPUT LIX.

De Bupreſte.

BUPRESTIS (oleris etiam ſpecies, ut *Galenus* docuit, & *Theophraſtus* innuit) definitur Animal Venenatum ex Cantharidum ſpecie, quod in herbis latitans ſæpè à brutis devoratur, & ipſum nomen indicio eſt; Bovum certè Venenum eſſe, quos diſſilire deguſtata fatetur *Aldrovandus lib.* 4. *de Inſect. Cap.* 6. Hoc Animal eſt rarum in Italia, & eſt ſimile Scarebæo longipedi ſi *Plinio* credamus. Diligentiorem Bupreſtis deſcriptionem exhibet Curioſis citatus *Aldrovandus*; ſive ab homine, ſive à Bruto inter paſcendum fuerit hæc Beſtiola deglutita, ſequitur, teſte *Sennerto*, totius Corporis inſtar tympani inflatio, ſtomachi, Ventriſque dolor magnus; urina ſupprimitur, & in ore ægroti adeſt nitri ſapor; ex quibus ſymptomatibus liquet; particulas hujus Veneni eſſe corroſivas, & inflammantes; ſpicula enim earum vellicant fibras primò partium internarum, indè inflammatione excitatâ necem inducunt; quia verò Bupreſtes magnam cum Cantharidibus habent cognationem, eandem quoque cum eis curationem poſtulant. In ſpecie autem ad Bupreſtis Venenum fugandum, monente *Dioſcoride lib.* 6. conferunt ficus aridæ comeſtæ, vel Decoctum illarum cum mero, Dactyli, lac bubulum, Caprinum, pyra omnia, ſi autem virus in totum Corpus jàm ſe diffuderit, ſudor in balneo eſt provocandus juxta *Sennertum*.

CA-

CAPUT LX.

De Pini Erucis.

PINI Erucæ tripliciter homini nocent, videlicet morſu, attritu ad partes nudas, & denique intùs aſſumptæ; In parte, quam Erucæ momorderunt, aut alio modo attigerunt, excitatur pruritus magnus, rubor, dolor, ac tumor; Aſſumptæ verò, in lingua, Palato, & Ventriculo inflammationem, Vomitum & in toto Corpore vehementiſſimum excitant æſtum, ex quibus ſymptomatibus evincitur, iſta inſecta, Veneno acido-acri abundare, cujus moleculæ acres vellicando, & externas, & internas humani Corporis partes, dolores, inflammationes, atque pruritum excitant: Ad Curationem quòd attinet; Primò parti Erucæ morſu, aut attritu læſæ, remedio ſunt Cepæ aceto tritæ, item cum melle, & Sale. Erucæ autem intrà Corpus aſſumptæ, quam primùm vomitu ſunt rejiciendæ, & ſi ad Inteſtina deſcenderint Clyſteribus eſt utendum; Hinc ut Veneni iſtius acrimonia retundatur, propinandum Lac Caprinum, vel Emulſio quatuor Seminum frigidorum majorum, Amygdalarum dulcium, Seminis Papaveris albi cum aqua Hordei parata, Optima quoque eſt comeſtio Oryzæ cum lacte cocta; Pro Antidoto commendat *Sennertus* Terram Lemniam, Corallum rubrum præparatum, cum mucilagine Seminis Cydoniorum exhibitum.

CAPUT LXI.

De Muſcis, Apibus, & Veſpis.

NON omnes Muſcæ Venenatæ ſunt, ſed grandiores interdum virulentiâ non carere ſcribit *Sennertus Pract. Lib. 6. part. 8. Cap. 29.* præſertim ſi anteà ſteterint ſuper Cadavera

Anima-

Animalium Venenatorum ſicuti *Plinius* Veſparum ictus, periculoſiores eſſe, ſi illæ anteà victitarint ſerpentibus, aſſeruit *Lib.* 11. *Cap.* 53. Aculeus Apis ſanè nocet, ut & Veſparum; ità ut iſtorum Animalium ictum conſequatur in parte affecta dolor, rubor, tumor &c. De quo ictu, ejuſque efficacia; ſic olim cecinit ſuaviſſimus, & incomparabilis noſter Homerus *Ludovicus Arioſtus in Satyr.*

Ma non ſe dire oltraggio, o t'apparecchia
Cento udirne per uno, e che ti punghi
Più, che punger non ſuol Veſpa, ne Pecchia.

Homines, & alios Animantes ictibus apum interiiſſe, ait Erudit. *Aldrovandus de Inſect. Lib.* 1. & *Franciſcus de Roſiers* refert, quendam in Gallia, dum ligna cæderet, tàm acriter à Veſpis punctum eſſe, ut biennio inſaniverit. In aliis regionibus Veſpæ ſunt Venenoſiores, quam in noſtris, ut quas in Niceſia Inſula reperiri notat *Ortelius*, quarum punctio uſque adeò eſt nocua, ut mortem afferat. Horum Animalculorum Veneni partes eſſe Salino-acidas puto; Ex acuto dolore enim ſpicula ſalium concipio, ex tumore, ac inflammatione verò, acidum cruorem ſtagnans agnoſco. Si aculeus in vulnere ſit relictus, ille antè omnia eſt extrahendus, quod ſi fieri nequeat, locus demorſus primò terrâ mundâ fricetur, & Emplaſtrum ex Cinere, Oleo, & fermento imponatur, vel iſtis nihil proficientibus, fortiter ſugi ſuadet *Sennertus*. Plaga inſuper abluatur aquâ ſalsâ; & uti debet Cataplaſmate è farina hordei; Malva, Plantagine, & aceto parato, vel ſtercore bubulo cum aceto mixto; Naſturtium Aquaticum, Lenticulam paluſtrem, Salivam humanam, Sulphur vivum, Rutam, atque ipſa Animalcula, quæ vulnus intulêre trita, & impoſita commendant nonnulli Practicæ Medicinæ Magiſtri; Theriacam laudat *Aldrovandus*, ut & Bufonis Lapidem, ſuccum Rutæ Bolum Armenam, Calaminthaṁ, Camphoram, Aſparagum cum melle illitum, & alia de quibus apud ipſum *Lib.* 1. *de Inſect. Cap.* 6.

Quod ſi aliqua in toto Corpore ſentiatur mutatio, ſtatim exhi-

exhibere oportet Coriandrum cum Saccharo, quod *Ardoynis lib. 8. de Venenis*, ait Bezoar eſſe puncturæ Veſpæ, & Apis; At ſi calor aliquis morboſus in toto ſupervenerit Corpore, curatio tunc, ut in febribus malignis inſtituatur, monente *Sennerto Pract. lib. 6. part. 8. cap. 29.* nam tunc particulæ ſalino-acidæ in maſſam ſanguinis ſunt penetratæ, ejuſdemque cruoris compagem in pravam fermentationem primò concitant, mox ſanguinis moleculas coagulant, ex qua coagulatione maligna febris inſurgit; Ego enim, omnes febres malignas, nec non omnia Venena, vel à coagulatione, vel à diſſolutione humorum dependere ſemper cogitavi.

CAPUT LXII.

De Veneno Canis Rabidi.

DARI Canes Rabidos ipſa rerum magiſtra experientia demonſtrat, & de hydrophobia pleni ſunt libri, & licet alia Animalia quoque in rabiem agantur, ut Lupi, (integrum enim libellum ſcripſit *Bauhinus* de hoc Animali Rabido) Sues Boves, Aſini, Vulpes, Muli, Urſi & alia Bruta, ut & feles quemadmodùm me obſervaſſe notavi apud *Tom. 4. Biblioth. Med. Clariſſ. Mangeti lib. 15. pag.* 428.; attamen, ut magis commune, Venenum Canis rabidi in præſentiarum tantùm conſiderabimus, iſtius enim Curatio morſus aliorum curat Animalium rabidorum. Canis ergò rabidus toto Corporis habitu, & temperamento immutatur, gracilis, ac ſiccus evadit, ſiticuloſus eſt, & tamen non bibit, plerumque anhelat oculis rubentibus, ac inflammatis, horrendo, & torvo aſpectu, cauda, & auribus demiſſis, ore aperto, ac ſpumante lingua exerta ac bilis colore infecta, contractis naribus, caput in alterutrum latus inclinat, triſtis, ac ſolitarius oberrat; in obvios ſine latratu irruit, eoſque mordet, modoque tandem huc, atque illuc intempeſtivè, ac inordinatè vagatur; An Veteres notitiam habuerint de hydrophobia quærunt ali-

qui, & ſunt qui negant; Ego verò Antiquos cognitionem de Cane rabido habuiſſe colligo ex eorum monumentis, *Hippocrates* enim, & *Aſclepiades*, referentibus *Aureliano*, & *Plutarcho* hanc affectionem agnovêre; Prӕtereà juxtà citatum *Aurelianum* Comicus Menander inducens ſenem iraſcentem iſtius paſſionis imaginem vinolentis adſcripſit dicens, non poſſe bibere eos, qui Vinum uſque ad vexationem potant. *Plinius* quoque ex *Epicharmo* Braſſicam Sylveſtrem laudat contrà morſum Canis Rabidi, atqui Epicharmus Hippocrate Senior fuit, utpotè Pythagorӕ Auditor, ejuſque meminêre *Cicero*, & *Horatius* cum *Diogene Laërtio*; undè liquet tale Venenum cognitum fuiſſe Antiquis.

Variis modis hoc Venenum Homini communicatur, primò, & communiter morſu, aliquandò autem aliis modis, ut tangendo Canis rabidi Salivam; Ità legimus apud *Joh. Matth. de Gradibus*, quendam infectum fuiſſe ex ſola impoſitione manus in os Canis Rabidi, licet eum Canis ipſe non momorderit; *Matthiolus* ſe duos vidiſſe notavit, qui ſputo Canis Rabidi perfuſi, nullo accepto vulnere, rabiem contraxere; *Schenckius Obſ. lib.* 7. refert, Puellum apud Nobilem fortè fortuna inveniſſe gladium, quo ante non nullos annos, Canis Rabidus confoſſus fuerat, eumque ut ſibi donaretur, petiiſſe, quo impetrato, cùm enſem ferrugine obductum extergere vellet, improvidus digito inflixit vulnuſculum leve, ex quo tamen rabie percitus periit. *Cӕlius Aurelianus*, quendam Hydrophobiâ affectum vidiſſe ſcribit, ex ſolo odòre Rabidi Canis. Aſt non tantùm extrà Corpori communicatum, ſed etiam ore admiſſum hoc Venenum nocet; Hinc *Cardanus* ait, quendam oſculaſſe Canem Rabidum, & hinc rabiem contraxiſſe, ac mortuum eſſe; *Fernelius*, ait Venatores quoſdam Lupum trucidatum in varia obſoniorum genera apparaſſe, & coxiſſe, & omnes, rabie correptos poſt eſum, alios periiſſe, alios ſanatos fuiſſe; In veſtibus per plures annos fomes hujus peſtis latitare poteſt; ſic *Sennertus* de fœmina narrat, quӕ cùm Veſtem Sarciendam ſumpſiſſet, atque ore ſtamina componeret, & lingua ſuturas lamberet, tertiâ die in rabiem venit.

Vene-

Venenum hoc nunc tardiùs, nunc citiùs ſe exerit, prout diſpoſitio, ac vires Corporis, & humorum patientis tolerant, in hoc enim affectu, ut & in aliis, agentis ad patiens varia aptitudo, vis, & energia varios itidem effectus producere norunt, ità ut ſæpè, ſi adſit partium robur validè Veneno reſiſtens, nec humores in vitio ſint, per plures menſes, imò annos virus Latitet; Verumtamen ſenſim ſemper, & quaſi clanculum ſe ſe inſinuans cum totius ſubſtantiæ diſſidio, occultaque pernicie, & malignitate, humores vitiando, ſpiritus inficiendo, temperiemque nativam immutando, in humanum Corpus agit, donec tandem Victor ſalutis humanæ factus, ſuæ perniciei profert indicia, quæ præſertim in facultatum principum læſione apparent; Nam dùm Rabies Canina altas egit radices, correptus iracundus evadit, nec ſtare, nec quieſcere ullo modo poteſt, quin potiùs hùc & illùc jactatur, manibus ora dilacerat, nonnullos quandoque petit, & cùm ad hunc furoris gradum pervenerit, in Notos, atque Ignotos juxtà fertur, ac debacchatur, oculos habet torvos, & horribiles, &, ut ait *Galenus de Theriac. ad Piſon.* inareſcit ejus Corpus, interdumque convellitur, febri acri intùs exæſtuat, imò animo delirante ſymptomata gravia patitur, quippè aquam timet, ac propter calorem adurentem, quamvis, humidi, refrigeriique teneatur deſiderio à potu tamen abſtinet, quia mente alienatus, id quod poſſet auxiliari non conſiderat & ſic aquam fugiens, miſerrimo mortis genere interire cogitur, ut ait Clariſſ. D. *Joh. de Muralto in Miſcellan. Curioſ. Decur.* 2. *Ann.* 7. *Obſ.* 118. Hoc Venenum in multis poſt plures annos ſe ſe prodit, ut ſuprà dixi, ut *Fracaſtorius* poſt quinquennium obſervavit. *Albertus Magnus Lib.* 3. *hiſt. Animal.* ſcribit, ſe vidiſſe hominem morſum à Cane Rabido in brachio, & anno ſeptimo poſt incepiſſe inflari cicatricis locum, & mortuum eſſe intrà duos dies; Poſt tertium annum Virum à Cane rabido morſum in rabiem agi ſe vidiſſe teſtatur *Amatus Luſitanus Cent* 7. imò ad quadrageſimum uſque annum hujus Veneni ſeminarium latuiſſe notavit *Horſtius*; Poſt tres menſes effectum rabidi morſus vidit *Guil. Fabricius Hildanus*, & hiſtoriam curioſam ſequen-

tem retulit in *Centur.* 1. *Obſer.* 86. quæ talis eſt. In via mulieri obviam venit Canis Rabioſus, qui, Veſtem ejus dentibus arripiens, hùc, & illùc trahebat, donec tandem veſte lacerata, cute tamen mulieris illæſa, & intacta Canis aufugit; Illa verò neſcia, Canem rabioſum fuiſſe, laceratam Veſtem filo, prout Sarcinatrices factitare ſolent, dentibus abſciſſo, reſarcire cepit; unde nullum quidem per tres menſes ſenſit incommodum; Poſteà verò ſenſim melancholica facta, imaginationibus, viſionibus horribilibus, & pavoribus agitari cepit, & paulò poſt, aquam, & Vinum odiſſe, & quod pejus eſt, inſtar Canum latrare, domeſticos non agnoſcere, dentibus arripere, atque modò hunc, modò illum mordere tentans, donec tandem in ea miſeria Animam efflavit.

Eſſentia iſtius Veneni talis eſt in ſævitia, ac malignitate, ut hominis judicio comprehendi non poſſe ait citatus *Hildanus*; illam in proprietate occulta conſiſtere volunt *Sennertus*, & alii plures; in calido, & ſicco *Ardoynis*; In maligna, venenata, & inexplicabili qualitate *Martinus Liſter*; In clandeſtina quâdam proprietate cordis ſubſtantiam appetente, & ad Cerebrum tendente, ubi rationem peſſundat, docet *Anton. Menjotius*; adeò ut *Joh. Fortis tom.* 2. *Conſ. Cent.* 4, aſſerat hoc Venenum occulta vi agere, & nobis ignota. Clariſſ. autem *Chriſt. Franc. Paullini* Acad. Carioſ. Eruditiſſimus, occultas qualitates deſerens, tanquam ignorantiæ aſylum, ad clariorem explicationem eſſentiæ Veneni Canis Rabidi accedit, aſſerendo *in* ſua *Cynograph. Curioſ.*, veram, & genuinam eſſentiam hujus Veneni in putredine animata conſiſtere, hoc eſt in vermiculis; Ex capite enim Canis Rabidi aperto, plurimos ſe obſervaſſe vermiculos ait, quod Vermes rabidos appellat. Nos verò in ſale volatili acerrimo, ac urente, eſſentiam Veneni hujus conſiſtere putamus; ſiquidem iſtius particulæ ſummè mobiles, cuſpidibus ſuis penetrantes nervoſarum partium fibrillas, dolores, ac convulſiones excitant; fugando ſpiritus Animales, deliria; ſanguinis fermentationem augendo, febrem; ac demùm ipſam ſanguinis maſſam ſepticè ſpiculis ſuis inciſivis liquando, ac diſſolvendo, mortem inevitabilem cauſant. Quarè autem

à

à Rabioſis Canibus demorſi, magnam cum aqua, ac fluidis omnibus antipathiam habeant, non tàm facilè explicatur; Putabant aliqui, patientes tales aquam fugere, eo quia delirantes, Canum imaginem in aqua; velut in ſpeculo vident, cujus adſpectu terrentur. At ſi, ut ſuprà dixi, eſſentia iſtius Veneni in urente igneo, ſale volatili, ad naturam ignis accedente conſiſtit, ideò aquas fugit, tanquam à contrario; Aqua enim & ignis adverſæ ſunt naturæ, nec poſſunt manere ſimul, & ſic metum aquæ, ob contrarietatem particularum Veneni, cum particulis aquæ accidere cogito; Cùm enim Canis incipit ad rabiem concitari, optimum remedium eſſe, Canem ipſum confeſtim in aquas projicere, juxtà præceptum, *Contraria Contrariis curantur*; Ideò aſſerendum puto Canis Rabioſi virus omninò contrarium eſſe Aquæ, utpotè accedens naturæ ignis, ratione particularum ejus ſummè volatilium, ac urentium, & quemadmodùm in panificio fermenti nonnullæ particulæ inficiunt contagio ſuo acido, totam maſſam farinæ fermentandæ, & in ſuam naturam illam tranſmutant: Sic pariter etiam Saliva Canis Rabidi Sale volatili acerrimo copiosè prægnans in minima quoque quantitate, mutando humores, alterando ſpiritus, partes, & per conſequens actiones hominis, inducit hydrophobiam, nam ante morſum ſpiritus hominis erant pacati, adveniente verò fermento hydrophobico, in Saliva Canis gliſcente, deſtruuntur hominis fermenta, & in illorum vicem ſubintrat Canis fermentum prædictum, pro cujus natura, commorſus aſſumit Canis mores, geſticulationes, latrando &c,

Quæritur autem quare Venenum hoc nunc citiùs, nunc tardiùs actuetur, ut ſuprà innui; Sed iſtud ego provenire cogito, reſpectu virium patientis, & potentiæ Veneni, cùm enim in aliqua parte ſolida corporis hæreat, carceres ſuos adeò velociter frangere, in ſanguinem prorumpere, ibique novas fermentationes inſtituere nequit, ſecùs verò ſi maſſæ ſanguineæ ſtatim immergatur, ut, verbi gratia, Venenum Variolarum aliquandò in infantia, pueritia, adoleſcentia; nonnunquam in ſenio, aut virili ætate prorumpit; quia ſeminale

ejus principium in materia lenta, & tenaci quaſi ſopitum diù latet, tandémque ſolutum ſuas edit actiones ; ſanè docente, *Paullino loco citato* conſiſtit cauſa diverſitatis operationum in diverſa Venenorum natura, in varia hominum, & climatum, ſub quibus vivunt, conſtitutione, membrique læſi nobilitate, ac præſtantia, victuſque ratione ; cùm enim alia Venena plus ſalis fixi, alia plus volatilis contineant, alia ex Venereis, alia ex Mercurialibus magis, vel minùs conſtent principiis, hinc etiam diverſæ videntur operationes ; illa enim, quæ ex ſale fixo, adjunctaque materia terreſtri, & aquea ſunt compoſita, minùſque Veneris, vel Mercurii admixtum habent, tantis non pollent Viribus, quantis illa, quæ ex ſale volatili, vel ex Venere, aut Mercurio magis ſunt conflata. Ingeniosè Veneni Canis rabidi naturam effectus ejuſque proprietatis exponit D. *Joh. Petr. D'Apples apud. Bonet. Medicin. Septentr. tom.* 1, *lib.* 1. *Sect.* 20. ejuſque ſiſtema tale eſt. Supponit igitur primò in Ventriculo duo eſſe fermenta, unum quod Cibos, reſque ſolidiores, alterum potum, liquidaque omnia diſſolvit ; hoc poſito, ait ipſe, per univerſum Corpus Veneni Canis Rabidi pernicioſa Lues, & præſertim in Ventriculum diffunditur, eò cùm pervenerit Venenum, fermentum, quo liquida præparantur, peſſundat, ſua acrimonia Ventriculum vellicat, & continua præternaturali effervesçentia, ſitim, & anxietatem parit ; hinc partes Veneni fermentativæ, liquida nimis exagitant, & juſto volatiliora reddunt, undè infenſa redduntur ſpiritibus Animalibus, qui ſenſum illum ad Cerebrum deferunt, undè fit, ut primò liquida, tanquam ſibi noxia detrectent, non ſecùs, ac illi, quibus Ventriculus humoribus pravis ſcatet ; qui ſolitum, ac neceſſarium ciborum uſum negligunt.

Suprà dixi ; Doctiſſ. *D. Paullinum* Acad. Curioſ. eſſentiam iſtius Veneni ponere in Vermibus, quo circà recordor me legiſſe apud *Thom. Burnetum in Theſaur. Med. Pract. Lib.* 3. obſervationem de fœmina quadam honeſta in forum eunte, cui Canis Rabidus obviam venit, illiuſque pedes furenter petit, ipſa periculum hoc, ut evitet, ſe ſe inclinat, & genua paululùm

lulùm flectit, undè Canis Veſtem, & quidem hujus potiſſimùm fimbriam mordicùs arripit; Mulier de rabie ſuſpicatur, & domum reverſa ſub tecto veſtem laceram ſuſpendit ligno; Poſtquàm verò eam quarto die repetit, ac reſarcire cogitat; res mira, Vermes capite catulis prorsùs ſimiles, iis in fimbriæ locis, quibus Canis dentes inflixerat, enatos reperit, eoſque, ceù miraculum, vicinis convocatis conſpiciendos præbet.

Sic in Urinis demorſorum à Canibus Rabidis effigies Canum percipi ait *Petr. Borellus Obſ.* 28. *Centur.* 1. & hoc accidit, ait ipſe, ob ſeminis æſtuantis quandam portionem per Canis ſpumam morſu communicatam, quæ etiam Cerebrum inficiens, eos in Canum naturas mutat, latrant enim, & mordent, ut Canes; quin & etiàm accedente Phantaſiæ vitio, talis Canina verminatio urinæ communicatur referente *Paullino*; De Corpuſculis autem Catuliformibus in lotio conſpectis plura Curioſis dabunt, *Avicenna*, *Borellus*, *Ardoynis*, *Schenkius*, *à Reyes*; *Sennertus*, *Salmuthus*, & alii tàm Antiqui, quàm Recentes obſervationum medicarum collectores. In Equis, Bobus, & Ovibus rabie affectis vermes in capite deprehenſos notat *Thom. Bartholinus*, & poſt eum *Bonetus in Sepulchret. Anatom. Tom. primo pag. mihi* 211., nec eſt igitur, quod cum *Seneca Lib.* 2. *Quæſt. natur.* putes, *Nullum Animal venenatum verminare, niſi fulmine priùs ſit tactum*; ſiquidem plura ſunt Animalia, quæ Veneno pereunt, quorum Cadavera verminantia obſervantur.

In Cura iſtius Veneni duo tempora ſunt obſervanda, primùm morſûs; & vulneris, ſecundùm rabiei ſupervenientis; In priori Venenum illicò poſt morſum eſt extrahendum, in quem finem vulnus eſt ampliandum, ut cùm ſanguine ſaliva exeat; hinc alii ſcarificationem inſtituunt, & Cucurbitulas imponunt, ut virus extrahant; alii hepar Animalis imponunt, referente *Ettmullero in Prax.* Multi Columbas vivas laceratas applicant, vel Theriacam cum Succo Rutæ; Quidam, ligaturas laudant, & Cauteria tùm potentialia, tùm actualia; ſi panis vulneri applicitus, & ejuſdem ſaniæ tinctus Cani offeratur, is Rabioſus evadit, monente *Marc. Marci in Philoſ. vet. reſtit. part.* 4. *Sect.* 3. De Pilis mordentis Canis, Rabidi morſui

illato

illato imponendis feliciter legantur *Balduinus Ronſeus*, *Porta*, *Wolfius*, & alii. Nonnulli commendant admotam Clavem S. Bellini. Notandum autem non debere negligi talia vulnuſcula, mortem enim ſanè portendunt; undè *Baldus* eximius ille Juriſconſultus à Caniculo ſuo in labiis morſus, neglecto morſu, poſt quatuor menſes rabidus periit.

Quoad alterum tempus verò, rabiei ſcilicèt, id unicè agendum, ut particulæ ſalino-volatiles Veneni edomentur, ac à corpore expellantur; quocircà varia à variis Doctoribus laudantur remedia; Oculi Cancrorum ſpecifici ſunt, undè Bezoar Rabidorum dicuntur ab *Ettmullero*; Demerſio in aquam frigidam optima eſt; ut & Theriaca, Mithridatium, hinc Oleum noſtrum Contrà peſtem; Cornu Cervi uſtum, Rutam, Cepam acrem, Syrupum Citri, Abrotanum, Hypericum, Tincturam Bezoarticam, Terram Sigillatam, Stibium Diaphoreticum, Corium Hyænæ, ac Urſi, & Lupi, Radicem Cynosbati, & alia commendant Doctores varii; Porrò Alyſſum geſtatum, manibus detentum aut ſaltem viſum, Canis Rabidi morſum ſanare ſcribit *Wolfius*; Pulvis Viperinus, & Sal Theriacale, exhibetur à *Joh. Petr. D'Apples* referente *Boneto in Medic. Septentr. tom.* 1. Orvietanum exhibendum ſuadet *Wedelius in Amœnit. Med.*; *Cornelius Celſus* unicum Rabioſis remedium eſſe putat Balneum, dulciſque aquæ potum. Inter reliqua præſidia acidus Rumex primatum tenet, referente *Zacuto*, cujus ſemen epotum, aut Decoctum etiam à Scorpione commorſis opitulari affirmat *Dioſcorides*; At cùm Rumicis quatuor ſint ſpecies, illam intelligere oportet, quæ cum hortenſis ſit cæteris altior eſt, Latioribus foliis conſtans, & radice crocea, qua, loco Rhabarbari aliqui utuntur, quæ valentiſſimè purgat, de cujus viribus adverſùs plures venenoſas ægritudines eleganter ſcripſit *Ruellius lib.* 2. *de Natur. Stirp.* Apud *Julium Palmarium* Pimpinella commendatur, quâ, Henrici Secundi Galliarum Regis Venator, Joh. Fernelio præceptori ſuo amantiſſimo narravit, hydrophobiam tolli; Alyſſum mirificè prodeſt in curatione Veneni Canis rabidi, ut & Scordium, Artemiſia, Cinis Cancrorum, Gentiana, & alia, quæ apud *Senner-*

Sennertum Practicum noſtrum inſignem leguntur ; *Macer in Lib. de ſimplicip. Cap. de Urtica* ſic Canit

Cum ſale de foliis ejus factum cataplaſma
Ulceribus prodeſt, & ſordida vulnera purgat,
Et contrà morſus valet hoc cataplaſma Caninos.

Ad morſum Canis Rabidi folia Cucumeris longi, & folia Citrulli cum vino, nec non urinam hominis mixtam cum Nitro, & ſparſam ſuper locum demorſum ſummè commendat *Ardoynis lib. 7. de Venenis Cap. 2. pag. mihi* 380.

De uſu Hellebori, lactis, ac Peponis in curatione iſtius Veneni meminit *Joh. Fortis Tom. 2. Conſult. 94. Cent. 4.* An verò in Hydrophobia vena ſit ſecanda, & quando quærunt nonnulli; aliqui enim in morſu Canis Rabidi venæ ſectionem minimè convenire exiſtimant, quippè quæ Venenum per totum Corpus trahat in venas. *Avicenna* tamen *lib. 4. fen. 6. tract. 4. cap. 9.* ait poſt quartum diem ſanguinem mittendum eſſe, & non ſemel, ſed bis, præſertim ubi à vulnere in initio non fuerit extractus, in eo maximè, qui ſanguine abundat; Alii tamen Medici poſt *Avicennam* in demorſo à Cane rabido, ut præcaveatur rabies, ità à ſanguinis miſſione abhorrent, ut omninò vitandam eſſe affirment, utque exinanitis venis, altiùs penetrare virus permittat; ſed ii videntur exiſtimare rabioſi morſus Venenum non eſſe per totum Corpus ſparſum, niſi cum advenit metus aquæ, quod tamen falſum eſſe docent graviſſimi Autores, *Avicenna*, *Celſus*, & *Dioſcorides* quoque, dùm poſt primos dies ſcalprum, & uſtionem in loco demorſo perindè, ac inutilia rejicit; Sudores autem ante Cibos, ac poſt etiam imperat, hinc palàm oſtendit Venenum per Corpus eſſe diffuſum, quod confirmare videtur, dum Dropaces, & Sinapiſmos, alternatim per Corpus totum adjicit; Imò *Avicenna* inquit, non ſolùm fieri poſſe, ut poſt quartum diem Venenum ſparſum ſit, ſed etiam minori temporis ſpatio; ideò hac in re adeò neceſſaria diſtinguendum eſſe ait *Rubeus* referente *Boneto in Mercur. Comp. Lib. 8.* quia ſi in primis diebus ſi-

mus, cum adhuc in vulnere Venenum, aut indè non procùl contineatur, tunc ſanguinis miſſio nulla ratione adhibenda eſt, militantque rationes iſtorum, traheret enim à circumferentia ad Centrum, à venis Capillaribus citiùs ad majores; Si verò jam ſparſum eſt, tunc mittendus eſt ſanguis, ut monet *Celſus*, neque verò è loco viciniore ipſi morſui, quia tunc minimè convenit, uti docet *Avicenna*, Dioſcoridem imitatus; Nulla enim tunc iſtius rei eſt occaſio, aut utilitas, ſed incaſſum Corpora doloribus ſternerentur, ſed è brachio, ut è majoribus venis virus jam diffuſum detrahatur; Undè benè aiebat *Santacruz de Magnorum Auxiliorum Impedimento lib.* 3. ſanguinis miſſionem in principio nullo modo convenire, proùt convenit Veneno jam in humores propagato. In morſu Animalium non convenit Venæ ſectio, niſi Venenum per univerſum fuerit ſparſum, aut plenitudo adſit, teſte *Jacobo Pons*; ſin autem acuta febris accedit, non intrà dies 40. educendum legitur apud *Bonetum loco citato* ſed inferiorum partium ſcarificatione, etiam venarum apertione in partibus à morſu remotiſſimis. Eadem doctrina valet in purgatione de qua re videas *Sennertum*. Quia verò ſuprà diximus in Hydrophobia cauteria valere, ideò exacto morbi principio poſt duos vel quatuor dies non inurendum eſſe Cauterium aiebat olim *Heurnius*, quia altiùs ſe Venenum inſinuavit. Hinc monet Chirurgos *Hildanus*, ut diligenter proſpiciant, ne nimis leviter, & ſuperficia itèr inurant hujuſmodi morſus, ſed ut potiùs in exceſſu, quàm in defectu peccent, cùm enim morbus ſit extremus, extremum quoque petit remedium; Unicum remedium in tali Veneno eſſe, non opinantèr in piſcinam ægrum conjicere ait *Celſus*, quod auxilium tanti in hoc morbo fieri à ſuis ſcribit *Tulpius Lib.* 1. *Cap.* 20. ut eo ſolo contenti, vix aliud expetant, nec ſanè injuria ſanat quippè mare quoſcumque, neque vidiſſe dixit quempiam, cui tempeſtivè in mare projecto, quidquam ſiniſtri evenerit; ſed hoc remedio, tardè, vel timidè adhibito, multi pœnas incuriæ dederunt.

Sin autem demorſus ab Animali Rabido, antequam Venenum invaleſcat, & Cerebrum invadat, neceſſaria adhibeat reme-

remedia, ſervari poteſt; Si verò hydrophobia acceſſerit, vix quiſquam ſervatur, & evadit; *Avicenna* ait, quod ſi aliquis à Cane rabido morſus, aquam timens, in ſpeculum intuens ſemetipſum agnoſcat, huic ſpes non tollitur ſanandi; Contrarium tamen ſe vidiſſe fatetur *Euſtachius Rudius*; ſi ſingultus accedat, inquit *Sennertus*, mors in propinquo eſt; adeò ut, vel eadem, vel poſtera die moriantur ægri.

Curioſam refert hiſtoriam *Borellus Centur. 3. Obſ.* 68. de quodam viro, qui cùm à Canis rabidi morſu petitus fuiſſet, ejus Veneno non ſolum Rabidus eſt factus, & Canis Venenum in eum non modò inſeruit, ſed etiam odoratum, & ſagacitatem ſuam Venenaticam illi communicavit, adeò ut accedentes Amicosè longinquo, licet eos non videret, olfactu venire perciperet; Quidam id Diabolo tribuebant, ut ſolent ignari omnia quæ non intelligunt, ad cauſas ocultas, ad magicam artem, ad Dei Omnipotentiam referre; At hæc tantùm ex ſagacitate ſua proveniebant; Canis enim Domini ſui odorem è longinquò percipit, odoremque perdicum, Leporum, aliorumque Animalium diſtinguunt, idque variis ſignis venatoribus indicant, ſi autem eorum odoratum haberemus non dubium eſt, quod odoratu, inſtar eorum, res detegeremus, & rerum emiſſiones, effluvia, ſpirituſque per aërem tranſpiratione ab individuis effuſos, naſo diſtinguere valeremus; ſed de Veneno Canis Rabidi uſque adhuc dicta ſufficiant.

CAPUT LXIII.

De Cerebro, & ſanguine Felis.

CEREBRUM Felis inter Venena connumeratur à *Matthiolo*, *Ponzeto*, & *Sennerto*; ſumptum enim pro Cibo vertiginem excitat, ſtupiditatem, & aliquandò Amentiam; De ſanguine pariter ſcribit *Martin. Weindrichius de Monſtr.* quod Puella quædam Uratislavienſis cùm publicè ſpectaret latronem Capite truncari, ſpectaculo triſti territa in Epilepſiam incide-

rit; Cùm verò multa adhibita fuerint remedia incaſſum, quis ex vulgò ſuaſit, ſanguinem felis utilem eſſe, ſuſcipit infelix, ſed infelici ſucceſſu; paulò poſt enim felis naturam induit, voce, geſtu, ſaltu, veſtigiis, cùm mures in ſilentio venaretur; Anhelitu etiam feles noxias eſſe, & ſpiritus, humoreſque inficere volunt *Avenzoar*, *Pareus*, *Matthiolus*, & *alii plures*.

In Appendice Ann. 6. Dec. 2. Miſcell. Curioſ. D. Chriſt. Franc. Paullini refert, quendam nomine Ludolfum poſt alicujus partiunculæ cerebri Felis aſſumptionem, cepiſſe multa inſolita contrà morem agere, & planè ineptire, cum tanta memoriæ amiſſione ut nec templum, nec panem, nec Scamnum ampliùs ſuo nomine vocare ſciret. Cauſam iſtius Veneni in ſulphure, & Sale volatili fœtido ponit Illuſtriſſ. Dom. Lucas *Schröckius* Patronus meus ſemper colendus *in Schol. ad Obſerv. 50. Miſcellan. Curioſ. Ann. 2. Decur. 2.*; Particulæ enim Salino-Sulphureæ, ſuis cuſpidibus ſpiritus animales fugant, undè delirium, & Oleo ſuo glutinoſo inviſcando òrganorum memoriæ poroſitates internas impediunt functiones, quo minùs memoria exerceatur.

Pro curatione; primò ſi ſciatur felis cerebrum adhùc in Ventriculo hærere, ſtatim Vomitus eſt concitandus; ſi verò à Ventriculo ad aliàs tranſiverit partes, ſolventem potionem exhibere laudant nonnulli; *Sennertus* Antidoti loco agnoſcit Moſchum; Terram Sigillatam commendat *Petrus Aponenſis*, & Confectionem Diamoſchi omni die ſummo manè aſſumendam *Ardoynis lib. 4. de Venenis Cap. 21.*

CAPUT LXIV.

De Sanguine Menſtruo &c.

SI *Plinio Hiſtor. Natural. Lib. VII. Cap. 15.* credendum eſt Mulierum Sanguis Menſtruus eſt Venenatus, ab eo enim aceſcunt ſuperventu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus Arborum,

rum, quibus inſedêre, decidunt: Speculorum fulgor, aſpectu ipſo hebetatur, acies ferri præſtingitur, eboriſque nitor alvei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinùs corripit odorque dirus aëra; & in rabiem aguntur guſtato, Canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur, &c. Verùm *Plinii* pace; quantitate tantùm peccare poſſe, non qualitate catamenia puto. Si enim menſtrualis ſanguis venenoſam induerat naturam, intrà venas, & arterias innoxiè contineri non poſſet, imprimis ergò Mulieres enècaret; nam ſi extrà Corpus; ſuadente *Plinio*, tot prava induceret ſymptomata, cur non idem intrà Corpus præſtaret? Similiter dicendum videtur de Taurino ſanguine; ac de lacte coagulato, quæ omnia ex ſe, & propriè Venena non ſunt, ſed tantùm nocere poſſunt, quatenùs ex acido Ventriculi fermento concreta, ac coagulata concoctioni reſiſtunt, & nocent, pravamque in ventriculo induunt naturam, quod ſi accidat, diſſoluta reddantur, indè èvomantur oportet; & hæc eſt ratio, propterquam Medicus, quando crudum lac propinat, tanquam remedium, illud ſemper cum pulvere Sacchari fini permiſcet; hujus enim ſalis dulcis ope, lac in Ventriculo à coagulatione defendit, ſicut autem acidum ſanguinem fixat, ita ſal eum diſſolvit; Certum tamen eſt, prava ſymptomata ex lacte coagulato acidere poſſe, ut plures referunt Autores, & Ego notavi *in Ann.* 8. *Decur.* 2. *Miſcell. Curioſ. Obſ.* 202. de quodam Adoleſcente, cui regio Stomachi intumuit, cùm forti cruciatu poſt maximam quantitatem lactis vaccini aſſumptam; Dubium verò movetur, an vomitoria, ad illud è Ventriculo ejiciendum conveniant. Negat Matthiolus, quia, ſi quis id ſic excludere conetur, in gutture faciliter hærere, & ægrum ſuffocare poſſit; Verùm *Sennertus* vomitoria ſuadet, ſed præmiſſis lac coagulatum diſſolventibus, quemadmodùm ego feci propinando Allium Adoleſcenti ſupradicto, quo Lac coagulatum diſſolvi; cùm enim allium multo ſale volatili alcalico præditum ſit, ut ipſa acredo ejus, oculos, nareſque feriens edocet, hujus ſalis virtute lactis coagulatio emendatur,

quemadmodùm docet Illuſtriſſ. D. *Luc. Schröckius* Acad. Curioſ. Præſes digniſſimus *in Scholio Obſerv. meæ nuper* citatæ *pag.* 505. *Sennertus* laudat Mumiam, Sperma Ceti. *Ardoynis* Vinum purum cum pipere commendat, idemque *Petrus Aponenſis*, & *Avicenna.*

CAPUT LXV.

De Torpedine.

TORPEDO ſic dicitur à torpore, quem in vicina ſibi Corpora inducit, ut docent *Albertus Magnus*, *Geſnerus*, *Salvianus*, *Ariſtoteles*, *Jonſtonus*, *Ælianus*, & alii. An verò hæc virtus in univerſo Torpedinis corpore, aut in una ſola parte reſideat, quæſierunt Doctores; Solertiſſimus autem *Steph. Lorenzinus* reſidere ait hanc Veneni ſpeciem in muſculis falcatis, in dorſo, & pectore ſibi correſpondentibus; idque clariſſimè oſtendit in ſuis obſervationibus de Torpedine, cujus Anatomiam exactiſſimè delineavit, atque poſt eum fecit *Oliger. Jacobæus in Act. Phil. Bartholini. tom.* 5. Hoc Animal tanquam Venenoſum, ne in foro piſcario vendatur. Præfecti ſanitatis autoritate cautum eſſe ait *Charletonus in ſuo Onomaſt.* Genuæ tamen, Liburni Maſſiliæ, & alibi à tenuioris fortunæ plebe eſui expetitur: credidere veteres Medici, etiam à longe Torpedinem ſuum emittere virus, ita ut haſtam, & funem retis pertranſeat, & manum Piſcatoris invadat, ut legitur penès *Sennertum*, *Euſtachium Rudium*, & alios; Ego verò, niſi immediatè tangatur, Torpedinem lædere haud poſſe cogito, edoctus ab experimentis *D. Lorenzini*, *Redi*, & *Jacobæi.* Si immediatè autem tangantur, tunc cruciatur manus adeò vehementer, ut dolor uſque ad cubitum pertingat. Dolor verò à Torpedine productus, provenit à Corpuſculis ex ipſa exeuntibus, & in manum tangentis intrantibus, quæ Corpuſcula non ſpontè exeunt, ſed impelluntur, & vibrantur à contrac-

contractione fibrarum componentium muſculos falcatos iſtius piſcis, de quibus anteà mentionem feci. Cùm enim particulæ iſtius Veneni penetrant manus poroſitates, viarum iſtarum figuræ mutantur, ſicque vim faciendo, moleſtam quandam ſenſationem inducunt, quam primò ſtupefactionem, indè dolorem eſſe dico. Plura cupienti de Torpedine, præter citat. *Lorenzinum*, dabunt *Miſcellan. Curioſ. Annus ultimus primæ Decuriæ pag.* 401.

Ad Curationem hujus Veneni quod attinet, dico, ſi membrum ſtupidum, ac dolens fricetur pannis aſperis, & foveatur Vino, in quo Salvia, Ruta, & Hypericum bullierint, curabitur. Illiniri etiam poteſt pars affecta, Oleo Rutaceo; & Coſtino; *Sennertus* internè propinat ſequentem Pulverem.

℞. Semin. Urticæ, Naſturtii, Dauci ana. ʒ. j ß., & Semin. Piperis nigri, Caſtorei ana. ℥. j. M. f. Pulvis, cujus ʒ. j. cum Vino generoſo aſſumatur.

Alexander Aphrodiſæus, Carnem Triglæ, quam Mulum vocant, Torpedinis Veneni remedium eſſe refert; Alii commendant Theriacam Andromachi, Vinum Abſinthii, Gentianam, Folia Lauri, & Allium; *Ardoynis* denique, Salivam hominis Piſcis hujus Venenum id eſt, Torporem ſedare ſcribit *in lib.* 6. *de Venen. Cap.* 34.

CAPUT LXVI.

De Murœna.

SEMPER tanquam fabulam cogitavi id, quod de Murœnis docuit *Simon Majolus in Dieb. Canicular. Colloq.* 9. nempè in Murœnis nullum eſſe Maſculum; Omnia enim Animalium genera, ex maribus, & fœminis conſtare puto. Hic piſcis perlongus eſt, & ſerpentis potiùs, quàm Piſcis ſpeciem refert: Pinnas nullas habet, ſed flexuoſo impulſu corporis ad natatum ita mari utitur, ut terra Serpentes ad greſſum. Lampetræ ſimulitudinem habet, latior tamen, dentes habet longos,

gos, acutos, & introflexos, coloris eſt fuſci, ſubalbis maculis diſtinctus, duorum longitudine Cubitorum. Muroenæ autem diligentiorem deſcriptionem curioſo dabit Lectori *Edoardus Wottonus Lib.* 8. *de different. Animal.* Veteribus erat iſte Piſcis in deliciis, ut ex *Plinio*, *Athæneo*, *Rondeletio*, & ex *mea Epiſtola Italica de Vitro*, *Venetiis*, *impreſſa in Muſæo Minervæ.* Muroenæ morſus Venenoſus eſt; eademque parit ſymptomata, quæ Viperæ morſus infert; Imò, ait *Rondeletius* partem à Muræna demorſam, niſi tota abſcindatur, à morſu Liberari non poſſe, ob uncinatos dentes, maximéque in os recurvos; undè Piſcatores Murænæ maleficam vim reformidantes, vivam non niſi forcipe arripiunt, & vulnera ipſius non minùs periculoſa ſunt, quàm ea Viperæ. Murænæ morſum ſequitur dolor, & tumor partis affectæ, atque ſymptomata; quæ Viperæ morſum ſequi ſolent, accedunt; ex quo colligitur, Venenum hujus Piſcis ſimilis eſſe naturæ illius, Viperini ſuperiùs deſcripti Cap. 45. Conſtat enim ex ſale volatili, acri, cauſtico, cujus Corpuſcula licet exiliſſima, potentiſſima tamen, cuſpidibus ſuis maſſam ſanguinis citiſſimè penetrant, fibras ſcindunt, ac Cruorem fundunt, undè prava oriuntur ſymptomata, quibus occurritur, adhibendo ipſiſſima remedia, quæ adversùs Venenum Viperæ valent; Præterquam quod *Plinius* Murænæ morſum, capitis ipſius cinere ſanari poſſe ſcribit, Familiaritas autem Muroenæ cum Vipera tanta eſt, ſuadente *Ambr. Pareo*, ut illa relicto natali aquæ elemento in terras inſiliat, Viperamque in ſua uſque latibula perquirat; de qua re videatur *Schottus in Phyſica Lib.* 10.

CAPUT LXVII.

De Marino Lepore, & Barbo.

PULCHERRIMAM deſcriptionem tradit de Marino Lepore *Rondeletus de Piſcib. Lib.* 12. *Cap.* 11. quam videat Curioſus Lector. Nobis tantummodò in præſentiarum liceat, & ſufficiat

ſufficiat aſſerere, iſtum Piſcem eſſe ex mollium genere, & Venenatum, ut ex *Nicandro*, *Galeno*, *Dioſcoride*, *Ægineta*, *Plinio*, *Aëtio*, & *Matthiolo* aliiſque Authoribus didicimus; Imò Plinius cibo datum non ſolùm, Leporem Marinum Venenoſum eſſe tradit, ſed etiam viſum; quâ de re fatetur *Sennertus*, hunc Piſcem captum, cùm attentè nonnulli conſpicerent, nauſeam omnibus ſenſibilem moviſſe. Tetrum, ac piſculentum odorem ſpirat Lepus Marinus, nec alibi degit, quam in limo, & ſordibus, ex quo teſtimonium perhibet de ſua prava, ac venenata qualitate. Qui verò hunc Leporis Venenum intrà Corpus ſumpsêre, ut *Dioſcorides*, & *Aëtius* teſtantur, Piſcium virus olere videntur, & ſaporem in ore ſimilem putrefactis Piſcibus: Poſteà ſupervenit Ventris dolor cum icteritia primò flava, mox plumbea. Facies intumeſcit, atque pudendum pariter tumefactum urinæ cohibet exitum; Vomitus biliosus cruore permixtus adeſt, ac denique Mors accidere poteſt, quorum ſymptomarum cauſa refertur à vi Veneni hujus Marini Leporis, quod Venenum conſtare videtur ex acido ſulphure, cujus particulæ fœtidæ nauſeam ex ſe pariunt, & ob aciditatem ſuam coagulantem, introductæ in cruoris maſſam circulantem, tumorem in internis, & externis corporis partibus generant; unde dolores, & urinæ ſuppreſſio habentur; tandemque toto coagulato cruore, ſanguinis motus impeditur, undè Mors evenit; ſunt nonnulli, qui aſſerunt hoc Venenum ſolummodò Pulmones exulcerare, ob peculiarem qualitatem, & ut aiunt proprietatem occultam; Ego verò cum *Aëtio*, qui omnia ferè ſua ex *Galeno* tranſtulit, ac ab eo mutuavit, puto, non tantùm Pulmones, ſed omnes alias Corporis humani partes hujus Veneni perniciem lædere quemadmodùm *Dioſcorides*, *Rondeletius*, & alii Doctores exiſtimant.

Quam primùm, ſi fuerit aſſumptus Lepus Marinus, vomitu eſt rejiciendus, vel ſi ad Inteſtina deſcenderit, purgante Medicamento eſt utendum, priuſquàm in maſſam cruoris pernicies Veneni permeet. Cedri reſinam cum Vino aſſumptam pro remedio laudat *Sennertus*; *Athenæus* verò hujus Veneni

bezoarticum Triglum eſſe ait. Lac aſinæ commendat Rondeletius. Alii commendant Mala Punica, Decoctum Malvæ, Sanguinem Anſerinum, vel Gallinaceum, Cancros fluviatiles: Cæterùm ſi æger Piſces coctos aſſumere incipiat, tunc ſpes ſalutis inſurgit.

Nunc de Piſce Barbo, ejuſque Ovis venenatis, aliquid dicere convenit, antequàm præſens caput ad umbilicum deducatur. *Hieronimus Cardanus*, Barbum vilem piſcem eſſe tradit, & apud nos parvi æſtimatur, imò me ſuadente à Magiſtratu à foro Piſcario pluries tanquam nocuus Barbus projectus eſt. De hoc Adagium legitur apud *Aldrovandum lib. 5. de Piſcibus Cap.* 16. quod neque frigidus, neque Calidus, neque elixus neque aſtatus ſit bonus. Hujus Piſcis Ova Venenata eſſe dicuntur, adeò ut ſi largiùs comedantur, eos qui hauſerunt in magnum vitæ periculum adducant, ut notavit *Charletonus* ex *Rondeltio*; undè *Schroderus* ait, Ruricolas aliquos hæc Ova Piſcis Barbi aſſumere ad ciendum Vomitum, & alvum ſollicitandam, quod ſat violenter perficiunt. *Platina* docuit vim illam emeticam, & ſolutivam præſertim habere Maio. Atque *Anton. Gadius* apud *Aldrovandum* ſcribit, cùm experiundi gratia duos duntaxat de Ovis iſtis bolos comediſſet, nihil indè aliquot horis poſteà noxæ percepiſſe. Demùm ſub horam Cænæ plurimam in ore Ventriculi ſenſiſſe inflammationem, quam ut diſſolveret, aniſum ſumpſit, ſed fruſtrà. Poſt horam faciem apparuiſſe tanquàm in ſyncope, ita ut de ſalute valdè timendum haberet. Tum ſuperveniſſe paſſionem Cholericam cum magno vitæ periculo. *Rondelitius*, & *Salvianus* hæc aiunt Ova maleficia eſſe, cùm ſalicum, qui ad fluviorum ripas ſunt, floribus in aquam decidentibus veſcuntur; quod tamen an verum ſit; dubito, potiùs enim putandum ſua natura propria hæc Barbi Piſcis Ova venenata eſſe, quia verò tale Venenum, Vomitum, & Alvum movet, dicendum erit, particulas talia componentes Ova, eſſe acres, & ſimiles naturæ illarum Scammonii non præparati, ac Gutti Gummæ: Spiculis enim propriis iſtæ particulæ ingeſtæ, & fibras Ventriculi, & Inteſtinorum lancinando, ac feriendo, nauſeam, Vomitum, dolores, ac dyſenterias, nec non Cardialgias ex-

citant, quæ mala niſi celeriter à valida ægri natura, & à Medica arte tollantur, de vita eſt dubitandum, quemadmodùm Medicorum hiſtoriæ teſtantur. Ergò, quanto citiùs fieri poſſit, remedia erunt adhibenda, ut ſunt Theriaca, Mithridatium, Philonium Romanum, omniaque demùm alia remedia, quæ præſcripta ſunt pro curatione veneficæ virtutis, & ſcammonii, & Seminum Ricini, ſimiliumque.

CAPUT LXVIII.

De Paſtinaca Marina, Scorpione Marino, Dracone Marino, & Pelle Piſcis Canis.

PASTINACÆ nomen æquivocum eſt, & vel Plantam ſignificat, vel Animal aquatile Venenoſum, de quo præcisè aliquid in præſenti capite dicendum. Paſtinaca igitur ſic dicitur ab eo, quod cauda iſtius Piſcis, colore, ac rotunditate radici Paſtinacæ ſit ſimilis; Cæterùm Raiam æmulatur, de cujus Piſcis deſcriptione legatur *Aldrovandus Lib. 3. de Piſcib. cap.* 46. Habet aculeum; ſeu radicem in cauda tam mortiferum, ut brevi tempore animalia ictu perdere valeat; imò aiunt *Ælianus*, *Plinius & Nicander in Theriacis*. Arborem virentem emarceſcere, cui radius iſte ſit priùs infixus; & Autor antiquiſſimus *Dictys Cretenſis* in fine ſui Operis narrat, Telegonum Ulyſſis filium, Patrem vulneraviſſe radio Paſtinacæ Marinæ ipſi a Circedato; ex quo vulnere triduo poſt, mortuus eſt; undè *Oppianus* cecinit.

Nil tàm peſtiferum, ſævo nil vulnere majus.

Verùm Venenum hoc licet a multis Autoribus vehemens, & validiſſimus dicatur, attamen ex *Rondeletio* colligitur tantæ potentiæ non eſſe, ut ſtatim interimat; Feliciter enim Ruſticum ab hujus Piſcis ictu Sanatum vidiſſe fatetur; ſigna, & ſymptomata iſtius Veneni ſunt ſoluta unitas, & dolor in parte

læſa; Carnem in læſa parte nigreſcere ait *Sennertus*, & ſi digito compreſſa ſit, ſaniem atram exire; ſi nervi ſint læſi, convulſio oritur &c. Cæterùm quia talia ſymptomata etiam vulnera comitantur parùm Veneni judicare conjicio; Attamen nonnulla addam remedia à Doctoribus decerpta ad hoc vulnus curandum; licet ego ſolo ſpiritu vini ſanandum poſſe ſperem; hepar Paſtinacæ, vel radii cinis cum aceto, ſi vulneri imponantur, ſunt multæ virtutis, referente *Sennerto*; poſt *Rondeletium*: *Aetius* furfures aceto coctos, & pro cataplaſmate impoſitos prodeſſe ait. Coagulum Leporis, vel Hædi, vel Agni ad ʒ. j. cum vino commendat *Plinius*; Scordium laudat *Matthiolus*, & Mithridatis Antidotum; Sulphur vivum urina veteri irrigatum, Marrubium, Lauri foliæ, Salviam, Stercus Columbinum, aliaque hujuſmodi præſcribit *Aldrovandus lib. 3. de Piſcib. cap. 46.*

Scorpium Marinum unum, & idem Animal eſſe ait *Ardoynis lib. 6. de Venen. Cap. 38.* cum Scorpæna, licet docuerit Athenæus diverſos eſſe Piſces, attamen horum Piſcium ſpinarum vulnera pro venenatis enunciant Doctores; ſiquidem Scorpium multas ſpinas in capite, & dorſo venenatas, unamque tantùm in dorſo Scorpænam geſtare autumat *Sennertus*. Hinc non ſpinam tantum ex ſua natura Venenatam agnoſcit *Ardoynis*, ſed propter humidum quoddam circa dictam ſpinam exiſtentem in Salivæ formam, quam feriendo introducit in vulnus eodem penè pacto, quo Scorpio terreſtris feriendo ſuum transfert in vulnera virus; De iſtius Animalis hiſtoria legatur Eruditiſſ. *Aldrovandus lib. 2. de Piſcib. cap. 24.* Nos in præſentiarum ſolummodò pauca de Veneno ſcribamus. Ex horum Piſcium namque punctura graves inſurgunt dolores, & ulcera depaſcentia; atque ſi *Avicennæ* credamus; ventris inflatio ad formam hydropis; Accedunt convulſio, ac motûs partis læſæ ablatio; quæ prava ſymptomata oſtendunt, naturam hujus Veneni, mediante punctum introducti, acidam eſſe, particulis enim ſuis irritando fibras, dolores; continuum ſolvendo, ulcera; ac humores coagulando, tumores excitat;

ciiat; & ſi acidæ hujus Veneni particulæ nervoſas partes tetigerint, tunc convulſiones excitabuntur, quatenùs acidum nervis inimicum; cuſpidibus enim ſuis feriendo nervorum fibrillas, ſpiritus animales in præternaturalem motum concitant, unde ſpaſmodicæ motiones oriuntur.

Prò curatione autem adhibenda primò ſunt omnia ea, quæ in aliorum venenatorum Animalium morſibus, & ictibus ſunt à Doctoribus præſcripta; nimirùm Venenum è vulnere, quanto citiùs fieri poſſit, eſt evocandum, indè Alexipharmacha ſunt exhibenda. Simplex Plumbum tritum, & ſuperunctum ictus Scorpii Marini, & Draconis mitigare ait *Ardoynis Lib. 6. de Venen. Cap. 38.* Mentham laudant multi, Serpillum alii *Rondeletius* refert hiſtoriam de Puello ab hoc Piſce vulnerato, dum eum in ſinum condere vellet, & eum curaviſſe ait mullo diſſecto, & impoſito, cum ejuſdem Scorpionis hepate, adhibito ad vulneris ambitum Lentiſco contuſo; Sulphur commendant *Galenus*, & *Sennertus*; *Dioſcorides* Abſinthium, & Salviam; Urinam Pueri, *Hali Abbas*, *Ægineta*, & *Aldrovandus*.

Duo genera Draconis Marini deſcribit, & exhibet *Salvianus* de cujus nomine, ac differentiis videatur *Aldrovandus de Piſcib. lib. 2. cap. 50.* iſtius ictum Venenatum eſſe *Oppianus* docet ejus enim puncturam ſequuntur dolor tumor, inflammatio, Febris, tandemque gangræna, partis affectæ; ex quibus ſymptomatibus facilè colligitur, Venenum hoc pollere acidis particulis, quæ continuum ſolvendo, primò dolorem excitant; indè cruorem fixando, intumeſcentiam, & inflammationem; & cùm particulæ illæ ſpiritibus vitalibus infenſæ in maſſam cruoris ingreſſæ fuerint, fermentationem ſanguinis præternaturalem, hoc eſt, febrem concitant. Ad Curationem quod attinet, primò pars affecta in aqua calida eſt immergenda, ſuadente *Sennerto*, indè Cucurbitulæ ſcarificatæ apponendæ ad virus extrahendum; Ipſe Marinus Draco impoſitus ictus ſuos ſanat, monente *Plinio*. Lenticulam coctam prò cataplaſmate imponit *Aldrovandus*; Allium commendat *Avicenna*, & *Serapio*

ſecundùm *Dioſcoridem*; ſcribit *Rondeletius*. Patriæ ſuæ Piſcatores in tali veneno ad Lentiſci folia, velut ad Sacram Anchoram, confugere, eiſque partem affectam affricare.

Fel denique Canis Piſcis tam Venenatum, ac lethiferum eſſe inquit *Ardoynis*, ut unius tantummodò grani pondere aſſumptum, intrà ſeptem dies mortem afferat, niſi debitè, & citò Medicus opem ferat; Aſſumptum enim hoc fel in ſequitur fœtor oris graviſſimus, flavus color Corporis, & Seminis involuntaria effuſio, ſi *Sennerto* fides habenda; ex quibus ſignis, ac ſymptomatibus colligi poteſt, particulas hujus fellis ſalino-ſulphureas volatiles ſummæ efficaciæ eſſe, atque penetrantiſſimas; ex oris enim fœtore ſulphur pravum dignoſcitur, quæ autem particulæ in ſanguineam maſſam penetratæ, circulando per univerſum Corpus illud proprio tingunt ſulphure; atque ad partes ſpermaticas delatæ ſalinis ſuis cuſpidibus, eas feriendo, ac ſtimulando, involuntariam ſeminis excretionem inducunt, Ad hujus Veneni Curationem facit radix Gentianæ; Butyrum vaccinum, Cinnamomum, & coagulum Leporis pro remedio feliciter uſurpantur. Corpus inungi poteſt oleis odoriferis, & Aromaticis; ægerque debet victu tenuiſſimo uti quemadmodum ſuadent *Ardoynis*, *Sennertus*, & *Matthiolus* *Avicennam* ſecuti: Vomitus cum *aqua*, *oleo roſaceo & butyro excitari debet juxtà Ferdinandum Ponzettum.*

CAPUT LXIX.

De Venenis Plantarum, & primò de Opio.

TENUI ſtylo, & pro viribus breviter conſideratis Venenis deſumptis ab Animalibus, proximum eſt, ut de Plantis agamus, quatenùs à vegetabili regno copioſa Venena colliguntur; De Opio itaque primò ſit ſermo tanquam veneno conſiderato.

Nonnulli putant Opium, & Meconium eſſe unum, & idem, ſed perperam; Meconium enim ab Opio differt, nam Opium

Opium eſt ſuccus elicitus ex capitibus Papaveris; Meconium verò eſt ſimilis ſuccus quidem, ſed ex integra planta expreſſus. Multi lac, & Lachrymam Papaveris Opium dicunt, quatenùs ſtillat ex capitibus Papaveris Albi leviter inciſis. Scatet Opium, notante *Ettmullero*, ex partibus Oleoſis, ſive ſulphureis cum Sale volatili combinatis, undè rectè inter calefacientia, non verò inter frigida, ut tradunt multi, numeratur; illis ergò particulis ſale volatili imbutis correctum, ac ritè præparatum & debita doſi, ac tempore propinatum Opium, quemcunque inordinatum ſpirituum motum coërcet; & præternaturales humorum agitationes compeſcit, ſicque dolores ſiſtit, ac placidè ſomnum inducit; hinc & deliria, ex motu inordinato ſpirituum orta, ſedare pluries in praxi medica exercenda notavi; Quocircà maximum eſſe remedium nemo negat; imò *Silvius* dixiſſe fertur, notante *Ettmullero*, ſe nolle Praxim medicam exercere, ſi careret Opio; licet verò innumera ſuggerat bona ad ægrorum beneficium; non eſt tamen per hoc, quod Opium nunc deſcribam, ut plerique Autores, ſed ut Venenum, nam meritò in ſerie Venenorum ordinis vegetabilium refertur & reverà non rectè præparatum Opium, atque non benè correctum, vel intempeſtivo tempore exhibitum, ac incongruè propinatum, aut in excedenti Doſe, nimiaque quantitate ſumptum, lethalia producit ſymptomata. Notandum tamen Opium ob admirandas operationes hactenùs non leves inter Medicos altercandi obtulit occaſiones, dum alii, ut ſuprà innui, frigidum ſtatuerunt cum *Dioſcoride*, & *Scribonio Largo*. Alii calidum cum *Matthiolo*, *Libavio*, *Sala*, & *Doringio*; Alii nec à calida, nec à frigida qualitate vires ſuas habere, ſed ſpecifica totius ſubſtantiæ proprietate operari contendunt. Admiratione verò dignum eſſe, ait *Philipp. Jacob. Schas in Ann. 2. Miſcell. Curioſ. Obſ. 69.* quod apud Europæos, ſi Opium aſſumatur, ſpiritus ſopiat, figat, & ſoporem; ſomnumque, imò ſi doſis aliquatenùs augeatur, mortem inferat. Apud Orientales verò Populos ſpiritus excitet, & ad Venerem ſtimulet; ideoque ad Martis, Veneriſque Caſtra commeatum præbeat familiariſſimum. Ex Opio,

Opio, inquit *Joan. Jac. Saar.* Novennali Indiæ Orientalis peregrinatione celebris *in ſuo Itiner. Indiæ Orient.*, parant Indi in *Bantam* Electuarium, vocantque *Affion*, coloris Cinerei, dulco-amari Saporis, cujus uſu feroces fiunt: Chinenſes verò in Batavia eo utuntur ad Venerem excitandam, cujus uſu adeò Veneris æſtro irritantur, ut per totam noctem Veneri litent, ſæpè aufugientibus, nec ulteriorem vim ſuſtinentibus ſcortis; Apud Perſas, & Indos crebrò opium adhiberi oculatus eſt Teſtis *Olearius in itiner. Perſic.* & cùm Nobiliſſimus Mandeslou apud Cham in Urbe Amadabat convivio intereſſet, variæ oblatæ fuêre præparationes Opii in aurea ciſtula, de qua convivæ ſumpſerunt ad Venerem excitandam. Mulieres Perſæ Opio utuntur, præſertim illæ, quæ cum Maritis non conveniunt, ut moriantur, inquit quidem *Olearius*, ſed quid ſi alia ſubeſſet cauſa, nimirùm ſi fortè ad Venerem ineptiores hujus remedii ope excitatæ in Maritorum amplexus fervidiore raptu irruentes Maritorum amorem ſibimet arctiùs præ reliquis concilient, atque devinciant. Notiſſimum eſt Turcas; ut præliorum pericula eo magis eludant Opium frequenter devorare, ut teſtatur *Petr. Bellonius*, & eadem de cauſa pariter contingere, quod ante paucos annos obſervatum fuit poſt pugnam in Hungaria commiſſam, ubi Chriſtiani Milites Turcas occiſos ſpoliantes, pleroſque Priapiſmo fœdatos invenerunt; de hac re plura apud *Garmannum de Miracul. Mortuor. Lib.* 1. *Tit.* 11. *pag.* 102. Verùm, ut ad Opium tanquam Venenum redeamus ſciendum Hannoviæ Dyſenterico injectum eſſe à quodam Empyrico Enema, teſte Clariſſ. *Dolæo Miſcell. Curioſ. Decur.* 2. *Ann.* 6. in quo ℥. j. Opii Thebaici fuerat diſſoluta, cui ægro ſtatim Apoplexia, & Mors ſubſequuta eſt. De alio ſcribit *Schelhammerus Miſcell. Curioſ. Decur.* 2. *ann.* 5. qui ex errore Pilularum Opiatarum quarum compoſitio erat hæc: ex maſſa Pilularum de ſtyrace ℥. iij. & Opii ℥. ß. ſingulæ verò Pilulæ ponderabant gr. 1. ß. poſt novem aſſumptas Pilulas, ſomnus confeſtim gravis, & turbulentus, mox motus linguæ impeditus, cum magna oris ſiccitate inſurrexit, ut vix verba proferre poſſet; Supervenit vertigo, & delirium, exhibito enim aceto,

aceto, nihil acredinis habere dicebat; tamen ope præſidiorum & dato tempore ſanus evaſit. Inter Venena ergò, & meritó, Opium refertur, quod non ſolùm *Sennertus*, ſed alii quoque Medicinæ Scriptores fecerunt, ut *Dioſcorides*, *Galenus*, & *Plinius Lib. XX. Cap.* 18. qui Licinii Cecinnæ Viri Prætorii Patrem in Hiſpania Bilbili eo interemptum ſcribit, & apud *Galenum de Theriaca ad Piſonem legitur*, actionem Opii tàm vehementem eſſe, ut ſi abſque aliis medicinis propinetur, interficiat; nam Opium intrà Corpus aſſumptum ſine eo, quod à corpore immutetur, illud immutat, & corrumpit; De Opii venenata potentia plura cupienti dabit *Tilingius de Laudano Opiato pag.* 82.

At quia ſuprà dixi, conſtare Opium ex ſulphure, & ſale volatili, nunc quærendum, an ejuſdem vis narcotica, & venenata ſulphuri primariò, an verò ſali volatili ſit ad ſcribenda; argui poſſet pro ſale volatili, primò activitas, agit enim in minima quantitate, & virtutem ſuam, quàm ociſſimè in Corpus vibrat. Secundò quia figitur acidis, quæ ipſa in genere ſoporoſis affectibus proſunt. Tertiò, quia in diſtillatione non minùs, quàm ſulphur apparet, & oculotenus ſe ſiſtit: Verùm enimverò plurima ſunt, ex quibus ſal volatile copioſum educi poteſt, & quorum vires ab illo ſale volatili dependere creduntur, quæ tamen longè diverſos ab Opio effectus in corpora noſtra edunt. Nunquam talis effectus à ſale volatili antiſcorbuticorum, quæ id eminenter poſſident, obſervatus eſt; nemo id à volatilibus Cephalicis unquam evenire notavit; quin contrarium potiùs viſum eſt; obſervavimus in quam plurimis ſcorbuticis volatilia ejuſmodi varia ſymptomata potiùs excitàſſe, niſi in quibus fixi humores volatilia indicarunt, & quod palmarium eſt obſervavit *Clariſſ. Mangetus in Bibliotheca Pharmaceut. Lib.* 14. in ſoporiferis affectibus longè præſentiùs ſe gerere urinoſa volatilia, quàm ulla alia medicamenta. Veriùs ergò, & rectiùs narcoticum illud omne in ſulphure principaliter quæritur, quod Opiatum ſulphur in corpore humano reſolutum, ſpiritus vaporoſos, & ſulphureos cum ſanguine, & Cerebro communicat, qui Cerebri concep-

tacula oppilantes, ut loquitur *Kircherus de Peſte*, Cerebri ventriculos opplentes juxtà *Quercetanum*, ſeù poros potiùs ſecundùm *Carteſium*, ſoporem inducunt. Nunc autem ad Opium tanquam Venenum redeamus, & primò ſymptomata, quæ ab Opio ſumpto producuntur, videamus. Sumpto autem Opio, ſequitur ſopor gravis cum vertigine, & pruritus totius Corporis ità vehemens; ut hominem quandoque à ſopore excitet; è toto Corpore gravis odor, Opium referens, exhalat; Labia intùmeſcunt, ſingultus accidit, reſpiratio fit parva, Oculi obſcurantur, convulſiones ſuccedunt, tandemque Mors. Elevantur enim ab Opio particulæ ſulphureæ, & ſalino-volatiles, illæ narcoſim producunt, & ſpiritus animales torpidos faciunt, ac ligant; Secundæ autem Corporis humani pruritum, ſingultum, vertiginem, & convulſiones pariunt; Tanta autem hujus Veneni vis eſt, ut ſtatim, & intra paucas horas hominem, niſi idoneis remediis occurratur, jugulet.

Curatio primò conſiſtit in Vomitu procurando, at ſi ad Inteſtina jam penetraverit Venenum, Clyſteres etiam acres injiciantur; Poſteà Opii antidota exhibeantur; Aſſæ, & Caſtoreum laudantur à *Sennerto*; Utilia ſunt Ruta, Origanum, Acetum, Mel, Theriaca cum Vino generoſo nigro; De Artemiſia ſic *Macer Lib. de ſimplicib. Cecinit*

Hæc Opium nimiùm, ſi quemquam læſerit, hauſtum;
Subvenit eximiè, ſi vino juncta bibatur.

Ad Comedendum exhibet *Ardoynis lib. 3. de Ven.* nuces, & Allium cum Butyro, & Hordeo, & pro potu Vinum purum in quo ſit poſitum Cinnamomum; Plura apud citatum *Ardoynum.*

C A-

CAPUT LXX.

De Fungis.

NOn ſine ratione Fungos voluptuarium Venenum nominavit *Seneca*, ex horum enim comeſtione plures mortuos obſervaverunt Practici; ſic Antiſtitem quendam cum duobus ex familia ex eſu fungorum interiiſſe narrat *Cardanus lib. 2. de Sanitate tuenda*; extat apud *Dempſterum Comm. ad Roſinum lib. V. Antiquitatum* inſcriptio, quæ fungorum Venenum affert, & talis eſt. *P. Actilio. Ruffo, &. Actiliæ. Beroni. ce. Vx. vixer. ann. 24. ſed. Publi. menſ. X. ante. natus. eſt., & eadem. hora. Fungorum eſu. ambo. mortui. ſunt. ille. acu., iſta. Lanificio. vitam. agebant., nec. ex. eorum. Bonis. plus. inventum. eſt. quam. quod. ſufficeret. ad. emendanm. Pyram., & picem., quibus. Corpora. cremarentur. &. Præfica. conducta. &. urna. empta. atque. Indulgentia. Pontificum. locus. datus eſt.* Undè fungus à funere derivatur juxtà non nullos, quia Veneno ſuo veſcentes ad funus deducit; Sic *Athanaſius Kircherus* ait, fungum ſemper malignum eſſe, & ſemper exitialium qualitatum apparatu inſtructum: Abſint ergò pernicioſa iſta gulæ blandimenta; An uſque adeò, exclamat *Raius in Hiſtor. Plantar.* vitæ tædet, ut eam tam vili offa permutemus, mortemque ſemper in procinctu ſtantem ultrò ſollicitemus. Ridendi ergo ſunt *Tranquillus*, qui Deorum cibum fungos dicit, & *Porphyrius* qui, non cibum, ſed filios Deorum fungos, & tubera vocat; Nam certum eſt, fungos aliquos lædere, & pro Veneno haberi, & præcipuè, qui in locis putridis, fœtidis fimoſis, & Venenoſis oriuntur, & maximè circà illas regiones, ubi varia animalium venenoſorum habitacula ſunt, ubi ſæpè, ex rerum vicinarum putredine, ex ſerpentum, Bufonum, & aliorum Animalium venenatorum afflatu, vel contactu, Venenum aliquod contrahere poſſunt. Valdè neceſſarium eſt ſcitu quinam fungi ſunt optimi, hi creſcunt una nocte, in fimo equino, mediocriter

craſſi caſtaneæ inſtar, carnoſi, in parte ſuperiore albi, in inferiore rubicundi, compacti, medulloſi, fragiles, odoris & ſaporis grati; Pernicioſi verò ſunt illi, qui in terra nimis diu manentes, ſunt coloris nigricantis, cærulei aut rubri: ut & arboribus innati. Sic Mulierem ex eſu Fungorum in gravem incidiſſe morbum, narrat *Foreſtus*, & ab eo inſanam permanſiſſe; *Joh. Kenodæus* quinque adoleſcentes litteris operam dantes, Lutetiæ ex eſu fungorum mortuos notavit. Plura exempla eorum, qui ab eſu fungorum ad Charontis Cymbam delati ſunt inveniet curioſus Lector in *Obſervat. Medic. Jo. Schenckii Lib.* 7. Fungi igitur Venenati per ſe, ſeù nimia copia ingeſti, ſuffocationem, & ſtrangulationem inducunt, ventriculum inflant, ſingultum excitant, inteſtina exulcerant, dolores pariunt, Corpori pallidum inducunt colorem, urinam remorantur, præterea horrorem, ac ſudorem frigidum, pulſum parvum, ſyncopem, interdum, & Epilepſiam excitant, nonnunquam ſomnum profundum inducunt, cujus rei exemplum habet *Vidus Vidius* in quodam Antiſtite, qui ex nimio fungorum eſu ſomno oppreſſus, & adeò redditus eſt attonitus, ut neque excitaretur à candente ferro ad verticem admoto. De Fungorum pravis ſymptomatibus legantur *Foreſtus*, *Botallus*, *Epiphanius*, *Ferdinandus*, & *Sennertus*; Cauſa iſtorum ſymptomatum, ſunt particulæ ſalino-ſulphureæ volatiles, quæ ingeſtæ ſalinis ſuis cuſpidibus irritando & feriendo fibras tùm Inteſtinorum, tùm Ventriculi, dolores, ac ſingultum, exulcerationes, & convulſiones excitant; Sulphure verò ſuo narcotico ad Cerebrum delato ſomnum profundum, pariunt Fungi manducati; Si verò cum tali ſulphure ſociatæ ſint Salinæ particulæ, tunc Epilepticos inſultus cauſant cum horrore, & ſudore frigido.

Curationem, quod attinet, primò vomitu ſtatim fungi rejiciendi ſunt, vel ſi jàm ad Inteſtina deſcenderint clyſtere utendum, poſteà ſpecifica conveniunt; qualia ſunt Pulvis ſtercoris Gallinæ, vel Cinis Sarmentorum vitis, addito nitro, & aqua mulſa referente *Sennerto*; Sinapi non inutilis eſt cibus contrà Venena fungorum notante *Ardoyno*; Oleum commendat

dat *Oribaſius*; *Galenus* Nitrum; Abſinthium, *Macer.* & Porrum, Lilium, Urinam humanam, Stercus hominis, Pyra Sylveſtria, Rutam, Mel, Myrthum, Origanum, Allium, Hyſſopum, Naſturtium, alii Medicinæ Magiſtri laudant: Vinum alii extollunt vel acetum cum pauco ſale: qui ex fungorum virulentorum eſu male habet, ſuadente *Tabernæmontano Herbar. p.* 4. & experientia *Michaelis Not. in Schrœd. Pharm. p.* 607. utatur ſucco abſinthii cum aceto, & ſanabitur.

CAPUT LXXI.

De Napello, Aconito, & Doronico.

IN hoc capite de Napello, & Aconito, utpotè duobus potentiſſimis Venenis tractabimus, maximè quia, tàm Aconitum, quàm Napellum pro una, & eadem Planta ſumunt aliqui, ſed perperam; differt enim Napellus ab Aconito, licet *Chabræus* aſſerat Napellum *Avicennæ*, & Arabum eſſe ſpeciem Aconiti, & hoc apud omnes fermè in confeſſo eſſe; Aconitum ergo multiplex eſt, cujus undecim ſpecies agnoſcit *Chabræus*, omnes venenatas: Duo tantùm verò juxtà *Dioſcoridem* ſunt iſtius Plantæ genera, primum *Pardalianches* dicitur, alterum *Leucoctonon*, cujus genera rursùs tria eſſe contendit, quamvis alias Aconiti ſpecies depingat, atque deſcribat *Matthiolus*; De Aconito ſalutifero meminit *Schroderus in Pharmac. Lib.* 4. quod etiam nomine herbæ Paris inſignitur. Oritur ut plurimùm Aconitum in nudis, & arduis Montium ſummitatibus, folia habet Cucumeris foliis ſimilia, ſed majora, ad ſummum quatuor, ſubhirſuta; Caulem edit palmarem pariter hirſutum, Florem Doronici emulum, & Chryſanthemi ſimilem, ſed minorem. Radix ejus eſt ſplendens, Alabaſtri modo, dum recens eſt, craſſitudinis digiti unius, ex lata origine in acutum deſinens, incurva, geniculata, & tota facie Scorpii caudam æmulans, & hæc eſt deſcriptio principalis Aconiti *Pardalianches* dicti;

Cæteras aliarum Aconiti ſpecierum deſcriptiones Botanicis lubens relinquo, Aconitum enim ego ſolum tanquam Venenum conſidero ; ſcripſit de hac Planta diligenter PLINIUS *lib.* 27. *Cap.* 1. Sic inquiens ; "*ſed antiquorum curam diligentiamque quis* „ *poſſit ſatis venerari , cùm conſtet omnium Venenorum ociſſimum* „ *eſſe Aconitum : & tactis quoque genitalibus fœminei ſexus Ani-* „ *nimalium , eodem die inferre mortem ? Hoc fuit Venenum , quo* „ *interemptas dormientes à Calphurnio Beſtia uxores M. Cæcilius accu-* „ *ſator objecit; Hinc illa atrox peroratio , ejus in digito mortuas. Fabulæ* „ *narravere , à ſpumis Cerberi , canis , extrahente ab Inferis Hercule , ideò-* „ *que apud Heracleam Ponticam ubi monſtratur is ad Inferos aditus ,* „ *gigni. Hoc quoque tamen in uſus humanæ ſalutis vertêre , ſcorpionum* „ *ictibus adverſari experiendo datum in vino calido. Ea eſt natura ,* „ *ut hominem occidat , niſi invenerit quod in homine perimat. Cùm* „ *eo ſolo colluctatur , velut pari intùs invento. Sola hæc pugna eſt ,* „ *cùm Venenum in viſceribus reperit , mirùmque , exitialia per ſe* „ *ambo cùm ſint , duo Venena in homine commoriuntur , ut homo* „ *ſuperſit ; Imò verò etiam ferarum remedia antiqui prodiderunt , de-* „ *monſtrando quomodo venenata quoque ipſa ſanarentur. Torpeſcunt* „ *Scorpiones Aconiti tactu ſtupentque pallentes , & vinci ſe confitentur.*

Nunc id , quod de Aconito ſcripſit Clariſſ. noſtrùmque Amiciſſimus *Mangetus* addamus , ut clariùs Aconiti brevem hiſtoriam in hoc capitulo tradamus ; Primò igitur Aconitum , ſic dicitur , quia ut ſuprà memini creſcit in nudis cautibus ; quam Etymologiam probâvit *Ovidius* , cum cecinit

Quæ quia naſcuntur durâ vivacia caute
Agreſtes Aconita vocant.

Alii nomen quidem à cautibus deducunt, ſed diverſam ejus rationem aſſignant, quoniam ſcilicet huic Plantæ eadem vis in morte eſſet quæ cotibus ad ferri aciem deterendam ſtatimque admota velocitas ſentiretur. Aconitum vulgò dividitur in Aconitum magnum purpureo flore , & Aconitum folio Platani , flore palleſcente luteo; & datur etiam in hoc ipſo genere aliud flore purpureo ; hîc autem

tem notandum, Aconitum magnum purpureo flore, vulgò eſſe Napellum; idcircò in hoc capite de Napello etiam ſermonem habere decrevi, licet haſce plantas ſeparaverit *Sennertus*. Dixi ſuprà, in jugis montium ortum, vires valdè noxias habere, quia delatum in hortos parùm operari ſuis venenis. Napellum ait *Mart. Bernard. à Bernitz. in Ephemer. Germ. ann.* 2., & *Petr. Joh. Faber. in Panchymici lib.* 1. Non ita tamen tutum erit experiri Napelli, ſeu Aconiti magni in hortis culti vires. Botanici aiunt, referente *Abbate Rouſſeau* in ſuo Tractatu gallico, cui titulus eſt *Remedia Secretiora* &c. quod ſi manu tractetur Napellus, id eſt Aconiti prædicta Planta, per aliquod temporis intervallum, mors indè pervenire poteſt. Aconitum autem platani folio, Napelli excedit malitiam, notante *Joh. Bauhino*; quodcumque enim Animal, vulneratum telo, vel alio inſtrumento ejus ſucco illito intrà horam moritur; negant tamen multi mortiferum eſſe hunc ſuccum, ſi bibatur, aut devoretur, ut apparet etiam in Viperæ Veneno, tametſi abſque noxa id non fiat. Hîc autem notandum eſt, aliquos Doctores Aconitum, Napellum, & Doronicum confundere, & accipere unum pro alio, undè credidêre Aconitum Venenatum non eſſe, quia Doronicum ingreditur aliquas compoſitiones inſignium remediorum in Pharmacia; alii è contrà, & Aconitum, & Doronicum pariter venenoſas eſſe Plantas autumant; undè legitur apud *Caſp. Hoffmannum de Medicament. officinab. Lib.* 2. *cap.* 4. quendam olim ſumpſiſſe mixturam, in qua Doronici radix fuit mixta, & hic per octo quidem horas bene ſe habuit, verùm illis elapſis ventrem, & Stomachum inflari ſenſit, & circà os Ventriculi imbecillitatem quandam, & Corpus totum infirmius, ità ferè, ut aliàs ſemel, ac iterùm ex nimio frigidæ potu perceperat, quæ ſymptomata cum biduo durarent, & non viderentur ſpontè ceſſura; ingreſſus tamen hic æger aquæ calidæ ſolium, & curatus fuit. Simile exemplum narrat *Geſnerus*. De quæſtione autem Doronici, & Aconiti legatur *Sim. Pauli Quadripart. Botanici. claſſ.* 2. Licet verò concedatur Doronicum Canibus, Felibus, & Lupis

Lupis deleterium, ac funeſtum eſſe, tamen indè concludi nequit homini etiam deleterium, ac funeſtum eſſe, differt natura à natura, alimentum ab alimento, ut docet *Frider. Hoffmannus Clav. ad Pharm. Schroder. Lib.* 4. Aloe enim interficiuntur Vulpes, & homini medela eſt; Mures herbæ Helenii decocto necantur, & homini remedio eſt. Nux Vomica Feles, canes &c. necat, & tamen ingreditur Electuarium de Ovo Maximiliani Primi Imperatoris. Certum tamen eſt hujus Doronici radicem in nimia doſi exhibitam etiam nocuiſſe. Ut autem omnes ſuſpiciones tollantur pro Doronico in compoſitionibus Pharmaceuticis Galangam cum corticum Citri parte nonnulli ſubſtituunt, eo quod, ut dixi, Autorum quorumdam diverſa opinio Veneni ſuſpicione id apud pleroſque infame reddiderit; id enim ab aliquibus inter Aconita repoſitum, ac Toxicis adnumeratum, & prò deleterio paſſim habitum, & proclamatum à medicamentorum compoſitionibus aliquantisper exulare coactum fuit, verumtamen Doctiſſimorum, & in remediis verſatiſſimorum Virorum gravia teſtimonia, quinimò, & uſus ipſe Doronici vulgaris innocentiam detexit, quo argumento Pharmacopœa Auguſtana, quæ priùs pro eo Zedoariam ſubſtituebat, nunc Doronicum in medicum uſum reaſſumpſit. Nobis autem hoc in loco, nec de Arabum Doronico nec de Aconito *Pardalianches* ſermo eſt; ſed de vulgari tantùm Doronico, de quo plura apud *Biblioth. Pharmvc. Med. Mangeti*, & apud *Hermannum in Mater. Medic.*

Nos verò ad Aconitum redeamus, & undè diſceſſimus, gradum faciamus. Succus ergò Aconiti, præſertim radicis, Venenum eſt validiſſimum, non ſolùm aſſumptus, verùm etiam telis, & ſagittis illitus læthalia infligit vulnera teſte *Sennerto.* Imò *Pareus* ait, ſolo odoratu mures interficere. Aſſumptum itaque Aconiti Venenum, ſtatim in lingua inter ſumendum quodammodo dulceſcit, paulò poſt ſonticus ſapor oritur; Caput perturbat, cum gravitate; inſequitur vertigo, convulſio Muſculorum Temporum, delirium, tremor, lachrymæ involuntariæ, ſpirandi difficultas, Ventriculi morſus,

&

& totius Corporis tumor ſequuntur ac niſi quam citiſſimè ſuccurrarur, Mors inevitabilis accidit; ex quibus ſymptomatibus colligitur, tale Venenum conſiſtere in particulis acido ſalinis, ſulphureo-volatilibus quæ ope caloris nativi exaltatæ, & ut ità dicam; in actum deductæ ſpiritus animales primò agitando, Vertiginem, Delirium, tremorem, & convulſionem pariunt; indè ſpiculis ſuis ferientibus Ventriculi tunicas, dolores fortes; atque aciditate ſua fixando humores, atque fermentatione præternaturali in illis introducta; totius Corporis intumeſcentiam excitant,

Uti in omnibus aliis Venenis, ita & in hoc potiſſimùm Medicus in primis agere debet, ut Venenum, ſi ore ſit aſſumptum, vomitu ſtatim ejiciatur, & ſi jam ad inferiora Inteſtina deſcenderit medicina purganti, vel clyſtere evacuetur; Poſteà exhibenda ſunt Ruta, Abrotanum, Origanum, Marrubium; Chamæpitys, Ariſtolochia longa, Leporis coagulum, Caſtoreum, Theriaca, Mithridatium, & Opobalſamum. Extrà Corpus utendum Oleo Scorpion., & noſtro Contra-peſtem. Prò potu exhibendum Vinum Abſinthites, vel Vinum in quo Aurum candens, aut ferrum exſtinctum ſit, ſuadente *Sennerto*. Lac Capræ Napelli antidotum eſſe ait *Grundelius in Miſcellan. Curioſ. Decur. 3. Ann. X.*

CAPUT LXXII.

De Toxico, & Pharico.

Dioſcorides *Lib. 6.* meminit de Pharico, & Toxico, Venenis ſcilicet, quibus Antiqui Barbari ſagittas illinebant, ut hoſtes vulnerati perirent Veneno. Iiſdem quoque venatores ad feras capiendas uſos fuiſſe ait *Sennertus*. Pharicon quibuſdam ab Inſula Pharo: aliis ab Arcadicis Pharis: aliis à Phæris Theſſaliæ: aliis à Phæride Lacedæmoniæ: interpreti Nicandri ab inventore Pharico, Cretenſi, venefico. Toxicum verò undè dicatur *Plinius Lib. XVI. Cap.* 10. his verbis oſtendit,

dit, *Similis his etiamnunc aſpectu eſt, ne quid prætereatur, taxus minus virens graciliſque, & triſtis, ac dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola baccifera. Mas noxio fructu. Lethale quippè baccis, in Hiſpania præcipuè Venenum eſt.*

Hanc *Sextius* ſmilacem a Græcis vocari dixit, & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, ut qui obdormiant ſub ea, cibumve capiant, moriantur. Sunt qui & taxita hinc appellata dicant, venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tingantur.

Unde Plautus in Mero. cecinit

. . . *Ibo ad Medicum, atque me ibi Toxico morti dabo.*

Quæ autem præciſè fuerint hæc Venena non ſatis eſt explicatum, & plerique ſtatuunt adhuc non ſatis cognitum eſſe, quæ antiquis hæc Venena fuerint. Equidem *Guilandinus de Papyro* acriter hac de re in *Matthiolum* invehitur, & ipſum ignorantiæ arguit, quod non animadverterit; quod ipſe *Dioſcorides* Pharicum inter Plantas ſimpliciaque venena refert; verum etſi certum ſit, quod & Toxicum, & Pharicum, Venenum è Plantis ſit, quo tela Antiqui inungebant, hoc tamen incertum, nec à Dioſcoride expreſſum, è quo Plantæ ſpecie hoc Venenum petitum fuerit. Sunt enim tales Plantæ plures, Napellus, Aconitum Pardalianches, Helleborus Albus, & ſimiles, & quædam etiam Indis hodie in uſu, nobis nondum notæ. Dubium etiam eſt, ait *Sennertus*, an ſimplex, vel compoſitum fuerit. & quod tale fuerit, nempè compoſitum, aut quodammodo præparatum patet ex *Heſychio*, & *Scribonio Largo*. *Foreſtus* autem Pharicum Plantam eſſe docet, ac toto guſtu nardum repræſentare, idemque ſentit *Bruno in Lexic. Med.* Hinc pariter Toxicum, Plantam fuiſſe credidêre nonnulli; Sic *Manardus* noſter ait, id Antiquis fuiſſe Toxicum, quod Arabes Napellum vocant, quæ quidem ſententia, teſte *Matthiolo*, non omninò iis videtur refellenda, qui plura de Toxico non inveſtigaverunt, quandoquidem (ut *Avicenna* Author eſt) non defuêre, qui ſagittas Napello inficerent, conſtatque Napellum hauri-

haurientibus Linguæ, & Labiorum inflammationem excitare.

Ex *Dioſcoride* collegit *Zacutus*, Toxicum eſſe omne Venenum, quo jacula tinguntur ut *Aëtio* placet, & *Virgilio*, qui eleganti metaphora, ac duplici translatione, quàm notavit *Quintilianus Lib. 8. Cap. 16.*

. . . . . quo non felicior alter
Ungere tela manu, Ferrumque armare veneno.

Et *Lucanus Lib. 8.*

. . . . Sed multo ſaturantur tela veneno.

Atque *Ovidius Lib. 4. Triſt. Eleg.* 1. ſic cecinit

Hoſtis habens arcus, imbutaque tela veneno.

Neque putandum eſt à Taxo animali ſomniculoſo deducendum eſſe hoc vocabulum Toxicum; licet Taxi morſum Venenoſum eſſe ſcribat *Olaus Magnus Lib. 6.* quia reverà morſus hujus Animalis non ità eſt Venenatus; Toxicum autem ità eſt exitiale, ut vel contactu citiſſimè interficiat teſte *Zacuto.* Alii ex Taxo Arbore cum *Plinio* Toxicum dicunt, illius enim plantæ ſuccum eſſe exitiale volunt, de quo intelligendus eſt Poeta *Lucretius Lib. 6.*

Eſt etiàm magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore homines tetro conſueta necare.

De hac re plura apud *Cælium Rhodoginum*, *Langium*, & *alios.*

Retuli uſque adeo ea, quæ de Pharico, & Toxico ſentiunt Doctores, verùm de re non ſatis cognita plura non addo, niſi hoc, quod ex *Athenæo Lib.* 3. affertur, & ab aliis etiam confirmatur, ut ad alia Venena, ità in primis contrà Toxica optimum eſſe remedium Malum Cydonium, ita ut ad quoque ſua præſentia, & fragrantia Venenum hoc ignavum, & langui-

dum reddat; quod cùm accidat & veneno parari ſolito ab Hiſpanis, ex albo veratro, tingendis in venatu ſagittis, *Guilandinus* Hiſpanicum id Venenum Pharicum eſſe ſuſpicatur. Referunt nonnulli Milites Hiſpanos contra Afros pugnaturos, mala Cydonia ſecum ferre, ut à venenatis telis fortè læſi, ea tanquam antidotum ſalubre comedendum in promptù habeant; fides autem de hoc penès *Sennertum*.

CAPUT LXXIII.

De Cicutæ.

HIc primò mihi liceat referre meam de Cicuta brevem Diſſertationem impreſſam in *Tom.* 3. *Sepulchreti Anatomici Theophili Boneti Lib.* 4. *Sect.* X. *pag. mihi* 491. quæ talis eſt. Cicutam Venenum eſſe naturæ humanæ infenſiſſimum, & Antiqui, & Recentes referunt Scriptores. Sic de Cicutæ malignitate plena ſunt Hiſtoricorum volumina; Hinc ope Cicutæ occiſi fuêre Demoſtenes, & Seneca, teſte *Sim. Paulli Claſſ.* 3. *Quadrip. Botan.* & Socrates, cujus mortis hiſtoriam *Plato in Phæd.* expoſuit, quàm non ſine Lachrymis legebat *Jul. Cæſar Scaliger*; nec non veneno Cicutæ præter alios multos, necatus eſt *Franciſcus Trapolinus* Præceptor Pomponatii, ut monet *J. C. Scaliger de ſubtil. ad Cardan. exercit.* 152. Undè Athenienſes maleficos homines Cicuta necare ſoliti erant, ut paſſim teſtantur hiſtoriæ; & *Plinius Lib.* 25. *Hiſtor. Nat.* hanc inviſam Athenienſium pœnam fuiſſe ait Cicuta variè à variis appellatur; undè à multis Ægynos, aliis Ethuſa, Apoleguſa, Dolia, Amacroſis, Aphro, Cæten, Abioton, Timoron dicitur, aliaque plura etiam habet nomina, ut videre eſt apud *Tragum Lib.* 1. *Hiſtor. Stirpium.*

Naſcitur ipſa herba ſponte incultis, atque umbroſis locis, caulis quandoque tricubitalis eſt, Fœniculum imitatur, geniculatus, ac nodoſus, è cujus ſinubus ſurculi prodeunt, florem album facit, ſemen aniſo reſpondet, infeſto tamen odore,

&

& Myrrhidi admodùm ſimilis eſt Cicuta, & ab ea tantùm differt viroſo, ac maligno ſuo odore. Floret autem Julio, & Semen habet Auguſto. Duplex eſt, nimirùm Cicuta major, atque Cicutaria vulgaris; prima apud nos Ferrarienſes haud naſcitur, altera paſſim adinvenitur, eamque manducatam Aſinos inebriare putat Vulgus noſter; De hujus Plantæ deſcriptione, & differentiis plura tradunt *Bauhinus*, *Dioſcorides*, *Mathiolus*, *Tragus*, *Hoffmannus*, *Fuchſius*, *Ruellius*, *Chabræus*, aliique Botanici. Frigidæ hanc herbam eſſe temperiei narrant multi; *Cardanus* autem eam calidâ eſſe imbutam temperaturâ ait *l.* 1. *de Venen.* 5. Primi ex ejus frigiditate Venenatam qualitatem deducunt; qui tamen refelluntur à *Sennerto*, nam aqua, & nix eâ longè frigidiora ſunt, & tamen non ſunt Venena; Ex eo verò, quod ſit amara, deducit citatus *Cardanus loc. citat.* Cicutam eſſe calidam; *Sennertus Pract. Lib.* 6. *part.* 7. *cap.* 6. ait, totam illam actionem, quâ, ut Venenum agit, eſſe ab ejus occulta proprietate. Ego verò cum *Sim. Paulli*, *in Quadripart. Botan. Woſſio de Idololatr. lib.* 3. & *Frider. Hoffmanno*, *Clav. in Schrôder.* aſſero, Cicutam meritò inter Venena referri à tota ſubſtantia agentia: De Cicutæ frigiditate tractarunt *Matthiolus in Dioſcorid*, *Fuchſius in Hiſtor. Plantar. Caſp. Hoffmannus de. Medicam. Officinal* aliique plures; De Cicutæ caliditate *Cardanus lib. de Venen.* & *Hermolaus Barbarus in Corollar. Cap.* 694. Cicutam aquaticam frigidam eſſe, Terreſtrem verò calidam ait; Quidquid verò ſit de ejus primis qualitatibus, de quibus penès Authores, certum eſt, eam eſſe Venenum, & Corpori humano inimicum, & qui ab hac herba venenati moriuntur, incipiunt algere ab extremitatibus Corporis, quemadmodum accidit *Socrati* monente *Platone*, & hìc notandum, quod quandò hæc Planta cum Vino eſt pota, irremediabilis putatur. Potentiſſimam eam eſſe Cicutam ait *Plinius* cum *Matthiolo*, quæ oritur in Partha, Laconia, Creta, Aſia, Megara, & Athenis in Græcia; in Italia verò non apparet tam venenata, innocens tamen non eſt; hauſta cicuta oculorum caliginem inducit, cum Vertigine, furore, ac amentia, difficultate reſpirationis,

ſtrangulatione, ſingultu, corporis tumore, frigiditate, atque virium exſolutione, tandemque morte, tanquam *ultima Linea rerum*. Ob ſalvandum illum, qui fuiſſet venenatus à Cicuta, præmiſſo priùs vomitorio, ut in omnibus fit Venenis, vel etiam purgante, aut clyſtere, ſtatim alexipharmaca adhibenda ſunt; verbi gratia Dictamnus, Ruta, Gentiana, Semen Urticæ, Abſinthium, & Mithridatium, vel Theriaca ad ʒ. j.; Vinum generoſum valdè commendo, debile enim tanquam vehiculum Veneni agnoſcit *Sennertus*, unde Athenienſes, dum aliquos Cicutæ Veneno volebant occidere, pauxillum Vini debilis ei admiſcebant, ut ſua tenuitate, Venenum ad Cor citò deduceret. Totum Corpus venenati calefaciendum eſt, ægrotuſque ad motum cogendus; idcircò *Scaliger exercit.* 152. *ad Cardan.* ait Athenienſes monuiſſe Critonem, ne Socratem permitteret attentiùs diſputare, propterea quod ex ea mentis agitatione caloris aliquid contrahi poterat, qui calor veneno Cicutæ obſtaret: Sicuti verò homini Venenum eſt Cicuta, ità Cicutæ Vinum, de quo egregius ille eruditionis Theſaurarius *Cælius Rhodiginus Lect. Antiq. Lib.* 28. *Cap.* 25. hinc valdè miratur *Joh. Bruierinus de rè cibar.* Lib. 8. *Plinium* alioquin gravem virum tradidiſſe *Lib. XXV. Cap. XIII.* caules Cicutæ, plerumque edi in patinis; cùm certò conſtet noxiam eſſe Cicutam; quam maximè differre à Toxico ſcribit citat. *Cælius Rhodiginus*; hanc ſervabant Athenienſes ad publicam pœnam, quod, & *Juvenalis* notavit.

Nil præter gelidas auſa conferre Cicutas.

Quam pœnam ſubivit olim Socrates, ut ſuprà monui, cujus mortis hiſtoriam fusè deſcribit *Eilard Lubinus Comm. in a. Perſ. Satyr.* 4. *pag. mihi* 757. quidem digna eſt, ut legatur. Certò igitur conſtat, Cicutam Venenatam Plantam eſſe Notandum tamen cum *Luciano in Ermotimo*, Cicutam non in omni quantitate occidere, refert enim *Galenus* hiſtoriam de quadam Athenienſi, quæ à minima Cicutæ portione auſpicata nullo detrimen-

trimento ad magnam progreſſa eſt copiam, ſimileſque obſervationes notarunt *Fontanus in Reſp. Med.*, *Sextus Empiricus*, *Marcell. Donatus*, *Mercurialis*, & alii; Imò Anum quandam triginta Drachmas Cicutæ innoxiè devoraſſe ſcripſit *Caſp. à Reies Camp. Elyſ. quæſt.* 63. qui Autor concludit Cicutam quandoque nutrire poſſe. Externus autem Cicutæ uſus non rejiciendus eſt à Praxi Medica; ex hac enim, uti & ab aliis Venenis, morbi aliqui edomari queunt, ſic doctiſſimus *Ettmullerus in Schroder. dilucid.* emplaſtrum de Cicuta commendat prò ſplenis obſtructione, imò & in ſtrumis cum gummi Ammoniaco in aceto ſoluto adhibetur. Ad mammas induratas à Lacte coagulato feliciter emplaſtrizatur Cicuta, quod bis Ego expertus fui; Hanc herbam *Dioſcorides* tritam, & teſtibus circumlitam applicari jubet ad Venerem exſtinguendam; hinc eſt poſteà, quod ſucco Cicutæ aliquo modo nobis adhuc incognito præparato ſacerdotes Athenis libidinem exſtinguebant, ut legitur apud *D. Hieronym. contrà Jovian.* Alexander ab Alexandro 4. *Genial. dier.*, & *Caſp. à Reies loc. citat.* Ad omnes inflammationes & tumores externè Cicutam prodeſſe docet *Tragus Hiſt. Stirpium*; Succum Cicutæ, & ejus aquam deſtillatam juvare in Eryſipelate docent multi. Ex hac fieri ad refrigerandum malagma ait *in Hiſtor. Plantar. Leonard. Fuchſius* (poſt *Plinium*) multi uſûs, ad cohibendas epiphoras æſtivas, oculorumque dolores ſedandos; undè optimè poſtea *Plinius* ait, eam miſceri collyriis, & omnes rhumatiſmos cohibere; Podagram refrigerare Cicutam cum Lithargyrio aut axungia in primo ejus impetu tradit *Plinius Lib XXVI. Cap. X.* imò membris luxatis apponit. *Lib. XXVI. Cap. VII.* In narium hæmorrhagia Cicutæ Semen tritum ex aqua, naribuſque inditum efficaciæ multæ eſſe ait *citat. Plinius*, *Lib. XXVI. Cap. XIII.* qui etiam ulcera curare vult Cicutam cum Siligine mixtam mero; Ego tandem expertus ſcribo, Cicutam noſtram contuſam; & appoſitam tumoribus valdè prodeſſe.

Si Aſini Cicutam depaſcantur ſomno profundo corripiuntur, ut ſæpè à Ruſticis tanquam mortui excoriati fuerint; ut monent *Ant. Mizaldus*, & *Matthiolus Comm. in Dioſcorid.*

Satur-

Sturnos impunè veſci Cicutis quæ tamen homini ſunt Venena aſſerit cum multis Auctoribus Clar. Dom. *Scaliger Comm. in Theophraſt. Lib. IV. de Plantis*; ità pariter me legiſſe memini, Gallinas veſci Scorpiis, Anates domeſticas Bufonibus, feles lacertis abſque ulla noxa: Hîc autem pro epilogo notandum, Cicutam Venenum eſſe acribus particulis præditum; linguam enim acrimonia quadam pungit, & vellicat, homini tam infenſum, ut qui ſumpſerint brevi moriantur. Plura de Cicutæ Veneno cupienti dabit inſignis ac nunquam ſatis laudatus Dom. *Theoph. Bonetus in* ſuo *Mercur. Compital. Lib.* 18. *Joh. Jacob. Wepferus* Illuſtris Academiæ noſtræ Curioſorum Socius ſemper æſtimandus atque colendus.

Et hæc ſunt, quæ de Cicuta dicta inveniuntur in Tom. 3. *Sepulchret. Anatomic. Theoph. Boneti* pag. 492. modò caput noſtrum de Cicuta ſequamur. Hujus ergò Plantæ differentias legere poterit Curioſus Lector apud *Chabræum*, alioſque Botanicos; Notandum tantummodò in præſentiarum Cicutam in aliis regionibus magis, in aliis minus exitialem exiſtere; ſicut in Italia noſtra minùs lethalem eſſe, ſi ei maturè præſidiis occurratur. Symptomata verò, quæ ab aſſumpta Cicuta oriuntur, ſunt vertigines, mentis turbatio; adeò ut pro fanaticis ægros haberi ait *Ambroſ. Pareus*; inſuper ſingultus, oculorum caligines, frigus extremarum partium, convulſiones, ſtrangulatio, Corporis intumeſcentia, difficultas ſpirandi, color Labiorum Citrinus, & Corporis Plumbeus, pulſus durus, & gravitas motus partium Corporis ægri. Iſti autem effectus producuntur à particulis ſulphureis, & Salino-volatilibus, ex quibus primis gravitas, ac tumor Corporis, colores Citrini, ac Plumbei inſurgunt, quatenùs circulando per humores eos fixant, & tingunt; ex ſecundarum verò aculeis, motus inordinatus ſpirituum; unde vertigo, mentis turbatio, & oculorum caligines oriuntur, unà cum ſingultu, convulſione &c. De iſtis ſymptomatibus plura vide apud *Wepferum de Cicut.* Curatio autem tali modo inſtituitur, nimirùm præmiſſo vomitorio, vel etiam purgante medicamine, aut clyſtere, ſtatim alexipharmaca ſunt propinanda, ut ſunt Ruta, Dictamnus,

tenera

tenera folia Lauri, Daucus, Gentiana; Amomum, Semen Urticæ, Abſinthium, Caſtoreum cum Vino generoſo; Theriaca, Mithridatium, & Terra ſigillata. *Petrus Aponenſis* putat Antidotum Cicutæ eſſe Potionem ex Theriacæ ℥. ij. cum Decocto Dictamni, aut Gentianæ in vino. Oportet autem, ut monet *Ardoynis*, alvum acerrimo deducere medicamine, ut extrà ſupra ventrem imponere farinam hordeaceam coctam in vino calido; *Macer. in* ſuo *Lib. de ſimpl. Cap. de Cicuta*, ſic cecinit

Frigida lethiferæ vis dicitur eſſe Cicutæ,
Unde necat gelidi potantes more veneni
Qui perit hac herba, cutis ejus fit maculoſa
Inde genus mortis valet hæc per ſigna probari
Hac ſumpta, ſi quis morti ſit proximus, herba
Forte merum tepidum bibat, evadetque periculum.

Dioſcorides lac bubulum, aut Aſininum commendat cum pipere, Caſtoreo, Ruta; Mentha, Semine Urticæ, Styrace &c. & hiſtoriam narrat *Roeſterus in Miſcell. Curioſ. ann. 3. Dec.* I. de Comitiſſa ab Hanau, quæ cùm virginibus, & famulis inter Paſtinacas elixas, etiam Cicutam, quæ illas forma, & ſapore refert, comederat, & omnes indè vertigine correptæ ſunt, ceu inebriatæ, ſecutum delirium, ſingultus, & alia gravia ſymptomata; Mirum autem, quod nulla ex iſtis comedentibus mortua ſit, puto verò illam non copioſam paſtinacis admixtam fuiſſe, & illas parum ſaltem de ea deguſtaſſe. De incommodis verò ab eſu Cicutæ videatur *Amat. Luſitanus Centur. 5. Curat. 98.*

Ruſticus, quidam, referente *Matthiolo* Magnifici Joh. à Turre Vinitor, non longè à Goritiæ arce, ſuas colebat Vineas, ligone fortè fortuna enectis Cicutæ radicibus, ſecumque domum delatis, Paſtinacæ radicis loco decoxit, comeditque in Cœna cum Uxore, mox ſtatim ambo ivere cubitum; media autem nocte à ſomno expergefacti, omni penitùs amiſſa ratione, huc, & illuc per domum in tenebris vagabantur, amentia ducti, unde Caput in parietes percuſſerunt; attamen à ci-

tato. Mathiolo curati ſunt, quemadmodùm videre eſt *in* ſuo *ſexto Libro Comm. in Dioſcorid. Cap.* 11. Antequàm verò Caput hoc ad umbilicum jàm perductum claudam, Curioſorum in gratiam non incongruum erit narrare obſervationem *Georg. Sebaſtian. Jungii* publici juris factam *in Miſcellan. Curioſ. ann.* 4. & 5. *Decur.* 1. de ſucco Cicutæ innoxiè hauſto, quæ talis eſt. Erat vir quidam apprimè litteratus, qui ad exſtinguendam calidioris hepatis, ut vulgò vocant, ſeù potiùs ſanguinis fervorem, ac indè enatam faciei rubedinem exſtirpandam, per octiduum omni mane ſucci Cicutæ uncias tres circiter cum Saccharo delibavit, nullo alio ſymptomate, niſi virium debilitate; Mirandum ſané, imò obſtupeſcendum eſt, nulla alia ex repetita hujus Cicutæ Succi ſumptione emerſiſſe incommoda.

CAPUT LXXIV.

De Ephemero.

Ephemeron dicitur quoque Colchicum, eo quia ut plurimùm in Colcho naſcatur; magnitudine ſua, & foliis latis liliaceis, vaſculis ſeminalibus majoribus, à Croco, cui aliàs perſimile eſt, diſtinguitur; Non convenit inter Botanicos, ait *Raius*, an Colchici radix ſit Hermodactylus officinarum, aliis id affirmantibus, aliis negantibus. Doctiores & peritiores diverſam faciunt, inter quos *Bauhinus* Hermodactylum non eſſe Colchici radicem probat: quia Hermodactylus exſiccatus permanet albus, neutiquàm rugoſus, modicè durus, & pulverem dat candidum, quæ omnia Colchici radix ſiccata non habet: Addit *Joh. Bauhinus*, Colchici radicem eſſe venenoſam; Hermodactylus verò innoxiè guſtari poteſt. Cæterùm Arthitide laborantibus Colchici radicem utilem eſſe, Arabes ſcripſerunt, & aliqua ex parte expertus eſt citatus *Raius*, ſed tum, cùm foriſecùs imponitur. Notandum autem cum *Chabræo*, varias eſſe ſpecies Colchici, ideòque aliqui venenatum eſſe Colchicum dixerunt, alii non; quia unam pro alia ſpecie ſumpsêre. Colchicas

chicas enim Plantas novemdecim enumerat citatus *Chabræus de Stirp.* Univerſaliter ergò loquendo dividitur dupliciter Colchicum, in Venenatum, de quo nos in præſenti Capite, & per conſequens deteriùs, quod Radices habet longas, & eſt Ephemeron *Dioſcoridis*, *Pauli*, *Galeni*, & *Aëtii*; & in non Venenatum, quod eſſe meliùs, ac perfectiùs ait *Meſues*, & quod Officinis propriè Hermodactylus eſt, & ſic apparet, *Tragum* eſſe hallucinatum, quando hoc pro illo Colchico aſſumpſit; juſtè enim fateri poſſum ſæpè me uſum in praxi eſſe Hermodactyli pulvere, & ſemper felici ſucceſſu; talemque Ephemeri differentiam ante me approbavit etiam *Sennertus*.

Talis igitur Planta eſt omnibus ſuis partibus inimica humanæ naturæ. Sumpta enim, ſtatim Labia, & Ventriculum erodit, & exulcerat, nam cùm ſcateat particulis acribus Salino-volatilibus ſummè penetrantibus, hinc eſt, quod aculeis ſuis incidentibus, & perforantibus, eroſiones, & ulcera producat, & tandem ſtrangulationem excitet, perindè, ac ſi quis fungos comediſſet; Ubi pariter ad Inteſtina deſcendit ea corrodit, & ulcerat earumdem particularum miniſterio, adeò ut brevi temporis ſpatio, ſanguis, & cum eo ramenta inteſtinorum per alvum exeant, neque ſolum alvi fluxum, ſed etiam vomitum loturæ carnis ſimilem concitat; & diſperſis ipſis particulis acribus mediante ſanguine per ambitum Corporis, inſignem pruritum in toto Corpore ægri patiuntur. A vomitu Curatio inchoatur, & clyſteribus cum ad Inteſtina virus deſcenderit; poſt hæc autem juvantur Ægroti potu lactis bubuli, vel etiam aſinini; pinguedine enim hujus retunduntur ſpicula particularum ſalinarum acrium Ephemeri. Tanquam alexipharmaca commendant Doctores Serpillum, Origanum, Tormentillam, Plantaginem, Burſam Paſtorum, Glandes Quercus, ac Fagi, Radices Polygoni, Rubi folia, Semen Myrthi, quod in vino, vel lacte coqui poſſunt. Bonum eſt quoque exhibere Emulſiones ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus factæ in aqua Plantaginis, & Burſæ Paſtoris; utile etiam erit Oleum noſtrum Contra Peſtem.

CAPUT LXXV.

De Hyoſciamo.

HYOSCIAMUS modò herba Apollinaris dicitur, modò herba Canicularis, Dens Caballinus, Altercum, ſymphoniaca, modoque Faba Suilla, quia notante *Bauhino*, ejus paſtu reſolvuntur Apri, ut *Ælianus* etiam prodidit, cum præſenti necis periculo, niſi copioſà aquâ ſtatim ſe foris, & intus polluerint; ſed unde Alterci nomine Hyoſciamus ſalutetur nonnulli quærunt; Altercum alterum habet *Dalechampii* editio Francofurtana 1608. forsàn Typographi errore; verbum Arabicum eſſe ait *Plinius Lib. XXV. Cap. IV. ubi*, & Altercagenon vocari ipſe retulit; Altercum nomen eſſe Arabicum ait *Vopiſcus Fortunatus Plempius*; Verùm Latinum eſſe aſſerunt alii, quia qui comederint; caput grave, venaſqne diſtentas, habeant, menteque abalienantur cum quadam altercatione verborum. Alii autem Altercum, quaſi Altericum dictum exiſtimant, quia mentem alterare videtur. Variæ autem ſunt hujus herbæ ſpecies apud Botanicos, quas penès eos videre poterit Curioſus Lector, omneſque noxias eſſe docet *Sennertus*; nonuulli tamen album Hyoſciamum minùs noxium, imò variis pollere virtutibus contrà aliquos morbos teſtantur Neoterici, unde Aquam, oleum, aliaque Pharmaca ex eo componunt; Sic Semina Hyoſciami albi contra hæmorrhagias valere tradit *Boyle de util. Philoſ. Exper.* Odore fœtido facilè ſe prodit Hyoſciamus niger, nuſquàm non obviùs; Acanthi vulgaris foliis lanuginoſis, pinguibus, per margines altiùs inciſis, de cujus prolixa deſcriptione videatur *Mangetus in Biblioth. Pharmac. tom. 1. Lib. 8.* Quamvis autem, ut ſuprà dixi, prò variis remediis adhibeatur Hyoſciamus, & licet ingrediatur laudanum Opiatum Quercetani, atque Clariſſ. *Clauderus Miſcell. Curioſ. Decur. 2. ann. 6.* cum magni faciat in curatione Dyſenteriæ

ſenteriæ epidemicæ, tamen internus ejus uſus ob peſſima, quæ infert ſymptomata, à venenata ejus vi narcotica dependentia, ſemper ſuſpectus eſt, & hîc notandum citatum *Clauderum* in Hyoſciami uſu priùs eum coquere, & in coctione innatantem ſpumam craſſam fœtidam cochleari cautè ſeparare, cùm extrà dubium, maligna, ac venenata ſulphurea Sylveſtreitas præprimis in ea reſideat. Succus ergò Hyoſciami talis eſt venenoſitatis, ut etiam in clyſteribus adhibitus ope ſulphurum narcotico-malignorum, quibus ſcatet, ſopores graves, & periculoſos inducere poteſt, ut patet ex experimento de quo Dom. *La Serre Miſcellan. Curioſ. Decur. 2. ann. 6.* de Monſpelienſi Chirurgo, qui cùm integram Libram Succi Hyoſciami per anum ægro Dyſenterico infundiſſet, hîc omninò Catalepticus evaſit, ut vix remediis appropriatis intrà viginti quatuor horas ab affectione funeſta liberari potuerit, imò per ſex ad minimum ſeptimanas quaſi temulentus perſtiterit. Hyoſciami meminit *Scribon. Largus* inquiens Altercum qui biberit capitis gravitate & Venarum diſtenſione laborat, menteque abalienatur, & qui Semen hujus Plantæ comederit, ait *Matthiolus* adeò deſipiens fit, ut Parentes, & vicini credant, eum à Cacodæmone vexatum. A quodam ſulphure igitur narcotico, & particulis ſalino-volatilibus, quibus Hioſciamus ſcatet, pendent omnia ſymptomata prava, quæ ab illius aſſumptione excitantur, ſpiritus enim animalis à ſulphureis, acidiſque particulis ligatur, undè ſomnolentia, tremor &c. Cùm ipſi ſulphuri conjungantur ſalino-volatiles particulæ, hinc Epilepſiæ, Deliria, Pruritus Corporis, & ſimilia oriuntur ſymptomata. Sanctè, & juſtè fatetur, Clariſſ. omnique laude digniſſimus D. *Chriſt. Frider. Garmannus in Miſcell. Curioſ. Decur. 3. ann. 8.* quod ſi Semen in circulum Ruſticorum Choreas agentium projiciatur, ſtupore mentis Ruſticos tentari, & irâ efferveſcente in altercationes prolabi, pugniſque, & verberibus invicem certare. Experimentum ſequens retulit *Athanas Kircherus in Mund. ſubter.* nempè; Fiat Canalis longus in formam tubæ, quem ità diſpones, ut latiùs orificium per murum extrà conclave

alicubi firmetur, reliquo Canali intrà cubiculum porrecto; Si dicto Canali herbas deleteria qualitate præditas, uti Hyoſciamum, Mandragoram, Solanum, Scammonium indideris, tunc venti vehiculo totum cubiculum nocivis vaporibus implebitur, & aliis ibi morantibus ſomnum; aliis acutiſſimas Cephalæas aliis Cardialgias, ſimiliaque ſymptomata ex noxiis & pernicioſis particulis illarum herbarum accidere videbitur, & comperietur, ità citat *Kircherus*. De Hyoſciami pernicie Hiſtoriam curioſam narrat Præſtantiſſ. *Grunevvaldus Miſcell. Curioſ. Ann. X. Decur. 3.* ait enim anno 1669. Dreſdæ in Pharmacopolio Mulleriano Tyroni cuidam Seminis Hyoſciami pulveriſatio demandabatur; quod propter oleoſitatem, hinc in mortario factam conglobationem, pro faciliori per cribrum trajectione exſiccare putabat; undè maſſam hanc conglobatam capſulæ chartaceæ incluſam ſuper capella arenaria calida poſuerat; horæ autem dimidio non adhuc elapſo, charta per nimium arenæ calorem nigredine primum infecta, tandem ſcintillis igneis conceptis comburi incepit, & ſemen Hyoſciami inferiori parte jam accenſum, fumo exhalante, laboratorium implet ſuis effluviis, & tragicis altercationibus Juvenum in officina degentium, nec non ridiculis geſticulationibus occaſionem præbuit. Plura de iſtis Curioſitatibus legantur apud *Miſcellan. Curios*, & præſertim *in ann.* 7. *&* 8. 9., *&* 10. *Decur.* 3. Qui ergò de Hyoſciami radice, foliis, ſemine, & ſucco aliquid aſſumpſerunt, ii ebriorum more delirant, modò rixantur modò gemitus edunt, vertigine corripiuntur; more Aſinorum rudunt, modo Equorum hinniunt, toto tremunt corpore, & nonnunquam in Epilepſiam ruunt, animo deficiunt, & ſuffocari videntur. Cùm autem tria, monente *Sennerto*, ſint Hyoſciami genera, nigrum nempè, album, & rubrum; ideò album minùs eſt noxium, rubrum verò noxium aliquantiſper, & Nigrum reliquis deteriùs putatur.

Quod attinet autem ad hujus Veneni curationem, primò vomitorio eſt utendum, quemadmodùm in cæteris Venenis, indè clyſtere præmiſſo, hujus Veneni Bezoartica exhibere oportet,

tet, qualia ſunt Piſtachia, Caſtoreum, Ruta, Abſinthium, Baccæ Lauri, Urticæ Semen, Allium, Theriaca, Mithridatium, & ſimilia. Cum cibo verò ſumat æger Raphanum, Sinapi, Allium, Cepas, Naſturtium, Butyrum recens, Piper, Piſtachia, Amygdalas dulces, Nucleos Perſicorum. Pro potu autem ſumatur Vinum Abſinthites; & ſudor quibuſcumque modis utiliter provocari poterit.

CAPUT LXXVI.

De Solano furioſo.

SOLANUM, vel Solatium dicitur, quaſi Sulanum, quod ſuibus conferat adversùs febres ardentes Autore *Trago*. Ejus genericæ notæ ſunt, flores monopetali, quinquefidi, aut Stellæ inſtar, expanſi, apicibus in umbilico oblongis, erectis, & coitu ſuo umbonem quendam componentibus, ſemina parva, compreſſa; eſt autem duplex, vel fructu minore, ut ſolanum vulgare lignoſum, vel fructu majore, quod genus pomiferum dicitur, ut Pomum amoris, vel Mala inſana. Varias autem ſpecies ſolani legendæ ſunt apud Botanicos, & maximè apud *Bauhinum*, qui vigenti ſolani differentias enumerat; omnes verò ſolani ſpecies, teſte *Sennerto*, ſomnum inducunt, & cerebro adverſantur; etſi enim vulgare illud hortenſe in uſûs medicos veniat, tamen *Tragus* ait, duos Puellos, cùm plures ejus baccas commederint, mortuos eſſe. Magis adhuc noxium eſt illud, quod *Belladona* dicitur, de quo *Sennertus* refert, quod vir quidam, qui plures ejus baccas devoraverat, altero die in furorem inciderit, & *Fuchſius Hiſtor. Stirp.* de duobus Pueris ſcribit, ex eſu hujus Plantæ acinorum mortuis. Hinc *Wilrius*, *Petrus Pena*, *ac Lobelius* narrant, ex eorum eſu quoſdam ſomno profundo ſopitos interiiſſe. Omnium perniciosiſſimum eſt ſolanum, quod furioſum dicitur, ideò quod aſſumptum furorem inducat. Plura de hac Planta legantur apud *Biblioth. Pharmaceut.* Clariſſimi *D. Mangeti Lib.* 18.

Optimè

Optimè autem, ait *Ettmullerus*, ſolanorum omnium uſum internum nullum eſſe, Venenoſam enim ſapiunt naturam; Sumptum igitur, ſolanum, vel radix furioſi ſolani ad pondus ℥. j. turbat imaginationem, & ſi in majore doſi exhibeatur, mentis alienationem, & poſtremò necem infert, nam cùm ſcateat ſulphureis, narcoticiſque particulis, ac ſalino-volatilibus, hinc eſt, quod à ſulphure ligatis ſpiritibus animalibùs ſopores oriantur, & à ſalinis fugatis inſania ſuccedat, donec tandem intercepto omninò influxu luminis animalis, machinam humanam cadere, ac diſſolvi oportet.

Fit autem Curatio primò vomitu inſtituto, ut rejiciatur, ſi fieri poſſit, Venenum, ideóque aqua mulſa copioſè eſt exhibenda, vel lac vaccinum, poſteà veniendum eſt ad uſum Boli Armenæ, Terræ ſigillatæ, Rutæ, Theriacæ, & reliquorum remediorum, quæ opio ſumpto utilia putantur.

Naribus externè admovet *Sennertus* Caſtoreum, & Rutam cum aceto; Ego Aquam Reginæ Hungariæ, & Balſamum Apoplecticum adhiberem; ſpirituoſiora enim ſunt. Acetum internè exhibitum laudat *Friccius*, ſuccum Citri *Geſnerus*. Horum autem Auctorum primus ait Theriacam noxiam eſſe, acrimonia enim ejus ſolani vis augetur, ac ob fortem vim Opii, quod Theriacam ingreditur Veneni vis magis actuari videtur.

CAPUT LXXVII.

De Mandragora.

MANDRAGORA ſic dicitur, quòd ſolis fervidioribus radiis impatiens, ad *Mandras*, Pecorum antra, aliaſque umbroſas ſpeluncas proveniat, cujus Plantæ venenatæ Hiſtoriam egregiè more ſolito dat *Raius*. Circæam herbam Mandragoram appellant multi à Circe Venefica a illa, & procurandi amoris artifice; quod radix credatur ad amatoria facere. Naturalem verò Mandragoræ radicem deſcribit *Franciſc. Imperatus*

ratus in Diſcurſ. natur. in Muſæo Celeberrimi Parentis ſui aſſervatam, quæ radix brachia bina cum omnibus membris certa proportione diſtinctis, & circumdatis plurimis parvis, & longis radicibus exhibuit effigiem humanam.

Aſt redeamus ad Plantam Mandragoræ, quæ floret Junio, & Julio, ac Auguſto quoque fructum ſuum perficit, quæ Planta dat occaſionem quæſtionis apud Medicos, an ſcilicet ad Venerem, ac impregnationem promovendam valeat, quod dubium oritur ex eo, quod legitur in *Cap. XXX. Geneſis* de Rachele, & Lia; quam quæſtionem more ſolito eruditè tractat, *Caſp. Reies Camp. Elyſ. quæſt.* 43. Fruſtra verò ſumpſiſſe Rachelem Mandragoram, ait *Cornel. à Lapide*, nam manſit adhuc tribus annis ſterilis, poſt quos, non Mandragoræ, ſed Dei virtute fœcundata eſt, peperitque Joſeph; Licet autem ex *Aëtii* mente Mandragoræ radix non facilè alicui per inſidias exhiberi poſſit, cùm gravem, & nauſeabundum ſpiret odorem, & guſtui amara ſit; attamen quia malitia hominum eſt maxima, & ſemper creſcit, ideò admixtione ſuavè olentium guſtum, & olfactum fallere poterit, & ſic Mandragoræ Venenum porrigere. Ideòque advertendum ſuccum Mandragoræ ſumptum, ſoporem gravem inducere, & hoc mediante ſulphure narcotico, quo abundat hæc Planta, ſulphureæ enim particulæ elevatæ ligant ſpiritus animales, undè lethargus fit, cum triſtitia, ſegnitie, ac languiditate. Pruritus aliquandò oritur cum totius Corporis ardore, ac oris ſiccitate, non tantùm ob ſulphureas moleculas humorum Maſſam inflammantes, atque accendentes, ſed etiam ob ſalino - volatiles particulas, quæ hinc indè penetrando irritant, ac pungunt fibrillas partium humani Corporis ex quo pruritus, & dolores fiunt; Licet autem Mandragora moleſta ſymptomata excitet, tardiùs verò interimit, ſi tamen ejus particulæ ſalino - ſulphureæ impunè ſerpere ſinantur, ac neceſſaria remedia maturè non adhibeantur, homo convulſione peribit. Mandragora igitur, ut alia Venena quamprimùm, vel per alvum, vel per vomitum eſt rejicienda; poſteà exhibenda ſunt Pulegium, Origanum, Abſinthium, Scordium, Ruta, Caſtoreum, & Rapha-

nus, quem eſſe Bezoar Mandragoræ ait *Sennertus*. Acetum agnoſcit *Friccius* pro antidoto Veneni Mandragoræ, ut & alia acida, verbi gratia, Syrupum Ribium, Berberis, Acetoſitatis Citri, Granatorum acidorum, Spiritum Vitrioli, Salis Nitri Plura apud *Ardoynum*, & *Sennertum*.

CAPUT LXXVIII.

De Apio, ſeu herba Sardonia.

RANUNCULUS quidam eſt, qui nomine *Apii riſus*, *herbæ ſceleratæ*, atque *Sardoniæ* venit. Sardonia dicitur, quia in Sardonia copiosè provenit; Apium verò, quod Agreſti Apio ſit ſimilis, additur riſus, quia iis, qui illam ſumpsêre os contorquetur, ut ridere videantur undè riſus Sardonius de riſu morboſo aſſeritur; hæc Planta ſub Ranunculi Illyrici nomine deſcribitur à *Chabræo*, & hujus meminit JUL. SOLINUS *in Polyhiſt.* his verbis, *Herba Sardonia provenit in defluviis montanis, & ea ſi edulio fuerit veſcentibus nervos contrahit, rictu ora diducit, ut qui mortem appetunt velut ridentium facie intereant.* Bulboſus autem dicitur iſte Ranunculus à Clariſſ. Dom. *Mangeto*; & *Hoffmannus*, mendicos hac Planta cutem exulcerare ait, ut miſerabiles ulcerati videantur, & ità faciliùs ad miſericordiam moveant animos Lucri cauſâ. Hâc veſcentibus mentem adimit, teſte *Dioſcoride*, & quadam nervorum diſtenſione labia contrahit, ut riſûs ſpecies oriatur; herba enim iſta nervis eſt inimica, eoſque contrahere docuit *Sennertus*, & de homine in calamitatibus ridente proverbium invaluit *Riſus Sardonius*. Symptomata ergò, & ſigna diagnoſtica, quæ ab hujus herbæ aſſumptione oriuntur, ſunt primò ardor in gutture, Ventriculo, & Inteſtinis, poſteà Corporis totius inflammatio, mentis alienatio, & riſus, quæ accidunt ope particularum ſalis cujuſdam volatilis, quo ſcatet talis Planta, acres enim ejuſdem cuſpides, fibras irritando, & pungendo, convulſionem excitant, ex qua riſus præter-

præternaturalis, indè fuga, & inordinatus ſpirituum animalium motus, unde inſania; & ob concurſum cruoris, & vitalium ſpirituum in majori copia ad partes læſas ab illis particulis inflammatio, ardor, ac rubor. Hujus autem veneni Curatio ſic inſtituitur. Apium riſus citò vel per vomitum, vel per alvum rejiciendum, & propterea ſuadente *Sennerto* hydromel, Lac, Butyrum, & juſcula pinguia copiosè exhibenda ſunt. Utilis quoque videtur emulſio Amygdalarum dulcium, quatuor Seminum frigidorum majorum excorticatorum, & Seminis Papaveris albi cum aqua Hordei, Lactucæ, & Plantaginis parata. Antidoti autem loco adhiberi poterunt ſuccus Melliſſæ cum aceto datus, Bolus Armena cum ſero Lactis, vel Caſtoreum cum vino. Curam eſſe refert *Ardoynis* provocare ſomnum cum potu Vini inebriantis, quod remedii genus ſumpſiſſe videtur a *Petro de Abano tract. de Venen. cap. de Apio* &c. *Matthiolus* laudat hyſſopum, Salviam, Betonicam, Rutam, Origanum, Amaracum, Pulegium, Satureiam, Nardum, Aſarum, & id genus alia. Cervix inungatur Oleo Coſtino, Caſtorei, Vulpino; Hyperici, Lumbricorum terreſtrium, & ſimilibus, quæ in ſpaſmis adhiberi ſolent; æger autem comedat nucleos Pini, Amygdalas, & cætera hujuſmodi.

CAPUT LXXIX.

De Coriandro.

QUÆSTIO eſt inter Medicos an ſcilicet Coriandrum ſit Venenoſum. *Dioſcorides* enim epotum raucitatem facere, atque inſaniam, qualis ex vinolentia proficiſcitur ſcribit. Plerique etiam Arabes Coriandro narcoticam qualitatem, ſtuporem inducentem, atque ſenſûs turbationem excitantem tribuunt. His adſtipulatur *Matthiolus*, qui proindè aſſerit Semen in Ciborum, aut Medicamentorum uſum nunquam admitti debere, niſi priùs aceto fuerit triduo maceratum, cui ſubſcri-

bit *Tragus*, monendo Seplaſiarios, ne Semen cuiquam, niſi priùs dicto modo præparatum, vel cum Saccharo vendant, niſi Venenum loco remedii exhiberi velint. Hinc NICANDER *in Alexipharmacis* de Coriandro cecinit

Quod ſi noxia quis biberit Coriandra, repente
Ablato exagitur ſenſu, ſtridenteque voce
Edit acuta velut furioſa jubila Bacchi
Seù Stygiæ injecto quaſi percitus anguæ Megæræ.

Ex his enim Carmninibus Nicander Coriandri Venenum deſcribit. His autem Doctoribus adverſantur *Amatus Luſitanus*, *Lobelius*, & *Alpinus*, qui ait herbæ etiam virentis uſum in cibo eſſe apud omnes Ægyptios familiariſſimum. Attamen hoc medicamento ob malignam vim, quæ ei à multis procul dubio non abſque experientia tribuitur, præſertim non præparato, non temerè utendum cenſet *Bauhinus*. Malignitatem enim arguit fœtor Plantæ digitis comminutæ, & licet Hiſpani, Authore *Amato Luſitano*, frequenter ea utantur, & prò cordiali habeant; attamen experientia docuit, multos propter hunc uſum eſſe fatuos, ob quorum curationem tam frequentia Hiſpanorum ſint Hoſpitalia; ità, inquit *Caſp. Hoffmannus*, in Ægypto eſſe poteſt, licet *Alpinus* non obſervarit. Reverà autem Semen Coriandri Optimi eſt odoris, & ſaporis, gratum Stomacho, ita ut inter medicamina ipſe *Amatus* illud connumeret; undè in *Miſcellan. Curioſ. Decur. 2. An. X.* Ego quoque prò remedio contra Quartanam febrem commendavi; Sic monente *Plinio*, tria Coriandri grana Tertianas excludunt, ſi ante acceſſionem devorentur. Iiſdem quoque repellendis efficax eſſe Coriandrum, ut verbis utar Illuſtriſſ. D. Præſidis noſtri *Luc. Schröckii*, ante ſolis ortum ignoranti cervicali viride ſubjectum, quod ÆMILIUS MACER *de virt. herbar.* ſic expreſſit.

A multis ſcriptum legitur febris antè tremorem
Si tria grana voret Coriandri Seminis æger

Evadet

Evadet febrem, cui dat Lux tertia nomen
Præſtat idem Lectum Coriandrum mane, priuſquam
Sol ſurgat, Cervicali ſi ſubditur ægri.

Sed trium iſtorum granorum uſus, quod tanta præſtare valeat nemo facilè ſibi perſuaderi patietur, & potiùs, ut & cætera ſuperſtitionem aliquam redolet. Magis ſuperſtitioſa ſunt, quæ de ejuſdem Coriandri vi antifebrili *Luc. Apuleius* protulit; *Joh. Bapt. Sitonus in Jatroſ. Miſcell.* Coriandro vim alexipharmacam conceſſit, & ut litem dirimeret *Amatus Luſitanus* dixit, Venenoſum non eſſe quidem Coriandrum domeſticum, cui ſubſcribunt *Bruyerinus*, & Autor Libri, cui titulus, *Rimedi per le Malattie tradotto dal Franceſe, impreſſi Patavii Anno* 1709. *Lib.* 4. *pag.* 270. ſed tantum venenoſum eſſe Sylveſtre, de quo intelligendi ſunt antiqui ſcriptores. Aſt contra *Amati* ſententiam ſurrexit acriter, ac magna mordacitate, atque irriſione *Matthiolus in Apolog.* qui ſtatuit, Coriandrum eſſe Venenum, ſi ſumatur in magna quantitate, ſi autem moderatè ſumatur Medicamentum eſſe aromaticum, & noſtræ amicum naturæ. Cæterùm Sylveſtre Coriandrum etiam *Bauhinus* conceſſit; cùm ergo immodicè aſſumptum Veneni naturam redoleat; ideò Coriandrum tanquam Venenum in præſentiarum enumerabimus. Coriandrum ſiquidem herba eſt gaudens cubitali caule, foliis variis initio latioribus, rotundis, lævibus, colore virente, in progreſſu, (liceat mihi verbis uti *Cæſalpini* in hac deſcriptione, utpotè diſtinctiſſima) eadem ſenſim tenuiùs dividuntur, ut tandem fœniculo proxima reddantur, odore ingrato, ut mirari liceat in Hiſpania expeti in cibis tùm cruda, tùm cocta, quæ in Italia vehementer fœtent; Eo cibo ſomnum conciliant, ſed capitis gravitas, & vertigines excitantur; Umbellas in cacuminibus fert candidas, & ſemina rotunda cum quibuſdam apicibus in ſummo, quibus ſiccatis odor ineſt ſuavis. Talis igitur Planta in primis viridis, & ſuccus ejus aſſumptus furioſum inducit delirium, ut ægrotantes ebriorum nonnullorum more dicta turpia, & obſcæna loquantur. Vocem reddit aſpe-

 ram,

ram, & raucam, vertiginem, & ſomnolentiam excitat, denique, monente *Sennerto*, Corpus fœtidum odorem inſtar viridis Coriandri ſpirat Hæc autem ſymptomata oriuntur à ſulphureis, & ſalino-volatilibus particulis, quibus ſcatet Coriandrum; ex his enim elevatis Spiritus animales in motum inordinatum agitantur, unde delirium, & vertigo; ſomnolentia verò ab acido ſulphuris habetur, quod ligat ipſos ſpiritus, atque odorem fœtidum creat, à ſulphure enim odores haberi puto.

Ut curetur Æger, ante omnia Vomitus provocandus eſt aqua tepida, vel Decocto Aneti cum oleo Irino, vel Liliorum alborum; Juſcula pinguia, cum pipere, & Vino Abſinthiaco offerrantur. Prò antidoto uſurpantur feliciter Radix Vincetoxici, Theriaca, ſpecies Diambræ, Diamoſchi, Terra ſigillata, Terra Nucerina. *Tragus* ait Muriam potam optimam eſſe contrà Venenum Coriandri, cui Medicus poterit adjungere putamina Ovorum contrita; Ova ſorbilia, cum pipere pro cibo uſurpari poſſe, ait *Sennertus*. Prò potu Vinum ſit generoſum, vel Abſinthites.

CAPUT LXXX.

De Ixia, & Chamæleone.

IXIAM, à Chamæleone nonnulli diſtinguunt; Verùm *Plinius*, *Matthiolus*, *Cæſalpinus*, & alii non diſtinguunt, aſſerentes, radicem utriuſque Chamæleonis albi ſcilicet, & Nigri Ixiam dici, ac Venenoſam eſſe; *Amatus Luſitanus* verò ad radices utriuſque Chamæleonis conſpici ait lentum humorem viſcidum, quem viſcum dicit, & hac de cauſa Chamæleonis radix Ixia à nonnullis appellatur; eſt enim; inquit *citatus* Autor, ſuccus ille ad radicem Chamæleonis naſcens Veneni grave genus de quo *Dioſcorides Lib. 6.* ſermonem habuit. Appellatur hæc Planta Chamæleon ob foliorum varietatem, mutat enim cum terra colores

colores, nam reperiuntur, vel viridia, vel ſubalbida, vel cærulea, aut rubra juxtà locorum differentias, ſcolymo ſimilis eſt Chamæleon, teſte *Cæſalpino*, minoribus tamen foliis, ac tenuioribus, iiſque rubentibus, caulem fert craſſitudine digiti, dodrantalem, ſubrubrum, in quo umbella, & flores ſpinoſi, tenues, Hyacintho æmuli, & varii; radix craſſa, nigra, denſa, & interdum corroſa, quæ diſſecta flaveſcit, commanducata mordet, cujus maleficas qualitates deſcribit *Bellonius Obſ. lib.* 1. ubi refert, ſe in Leno cum ſociis, & Turcis, radicem Chamæleonis nigri eruiſſe, & fruſtulatim ſecuiſſe, de filo trajeciſſe, ut faciliùs ſiccaretur, cùm verò in ſummo æſtu manibus non ablutis ſudorem faciei abſterciſſent, omnes in iis locis, quos attigerant, tantam ſenſiſſe pruriginem, ardorem, & inflammationem, qualem nec Urticæ urentiſſimæ centeſima parte excitare poſſent.

Æëtius, & *Dioſcorides* referunt ſaporem, & odorem hujus radicis eſſe ſimilem Ocymo, & hoc ob ſulphureas particulas, quibus ſcatet, quæ aſſociatæ particulis ſalinis volatilibus, modò linguam inflammant juxtà *Dioſcoridem*, modò inſaniam excitant, cum torminibus ventris, pruitu, & Lipothymia, monente *Sennerto*, nunc Inteſtinorum rugitus parit cum Vomitu ſpumoſo, tremore, & convulſione juxà mentem *Matthioli*. Sales enim volatiles cuſpidibus ſuis incidentibus ſepticis, atque perforantibus, lædentes nervos, convulſiones fugantes ſpiritus animales, inſaniam; vitales Lipothymiam; fibras Ventriculi, & Inteſtinorum pungentes, vomitus, & dolores excitare valent. Curatio verò perficitur, primò more conſueto vomitum excitando, inde injecto Clyſtere ad alvum tentandam; datur & Thlaſpius, & Succus Betæ, & triticea ptiſana, cremor, & Lac, & nitrum cum aceto, docente *Matthiolo*. Caſtoreum, Rutam, Terebinthinam, & nuces juglandes commendat *Dioſcorides*; atque ſi fides habenda magno *Sennerto*, ægroto propinandum Decoctum Abſinthii, vel Origani ex vino, aceto, vel hydromelite paratum. Semen Rutæ commendatur, & Nardus Indica, Caſtoreum, Theriaca, Mithridatium, omniaque remedia, quæ à Practicis proponuntur in Curatione Lipothymiæ.

CAPUT LXXXI.

De Taxo.

ARBOREM Taxum eſſe; ait *Sennertus*, non ſolùm foliis, ſucco, bacciſque, Hominibus, & Brutis lethalem; ità ut quoque *vaſa etiam viatoria*, ut PLINIUS *Lib. XVI. Cap.* 10. ſcribit, *ex eâ Vinis in Gallia facta mortifera fuiſſe compertum ſit; Hanc ſeſtius ſmilacem a Græcis vocari dixit; & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, ut qui obdormiant ſub ea, cibumve capiant, moriantur.*

Sunt qui & taxita hinc appellata dicant, venena, quæ nunc toxita dicimus, quibus ſagittæ tingantur de ea arbore ſic etiam *Victorius c.* 22. 18.

Eſt etiam magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tetro conſueta necare.

Petrus Pena in Adverſar. tamen ait in Anglia innocuam prorsùs eſſe, & Pueros ejus baccas abſque noxa comedere, ut *Lobelius* etiam confirmat. *Matthiolus* autem affirmat in Tridentinis Montibus Venenoſam Arborem eſſe, & ſi Animalia ruminantia devoraverint ejus baccas, interire. Paſtores etiam, & Lignatores cùm has ediſſent in febres ardentes, & alvi profluvia incidiſſe, non ſine vitæ diſcrimine. Taxum etiam Apibus noxiam eſſe nos docuit VIRGILIUS canendo.

Sic tua Cyrneas fugiunt examina Taxos.

Plura de hujus Arboris deſcriptione videri poſſunt apud *Raium de Plant.* & *Mangetum in Biblioth. Pharmac.* Taxi Veneno infecti frigus in toto Corpore percipiunt, ſtrangulationis metum incurrunt, & alvi profluvium dyſentericum patiuntur, tandemque moriuntur, ex quibus ſymptomatibus colligitur,

gitur, tale Vinenum ſalinis è particulis eſſe conflatum; ad nervoſas enim partes delatæ rigorem excitant; & ad viſcera interiora concentratæ, ibique ſanguinis, & ſpiritus facta evocatione frigus Corporis oritnr; Dyſenteria verò fit ob eroſionem à cuſpidibus ſalium erodentium factam in Inteſtinorum regione. Ad cujus Veneni evacuationem primò neceſſarius videtur Vomitus, & Alvi dejectio, quapropter, & emetica, & Clyſmata ſunt uſurpanda: Dein copiosè exhibendum Vinum generoſum. Theriacam, Radicem Iridis, & Gentianæ, Baccas Juniperi præſcribit *Sennertus Prax. lib. 6. part. 7. Cap.* 14. Terram ſigillatam, Bezoar, Radicem Tormentillæ, Succum Granatorum, & ſimilia commendant alii.

CAPUT LXXXII.

De Euphorbio.

EUPHORBIUM Gummi Officinis eſt, Planta quam *Juba* Mauritaniæ Rex in Monte Atlante invenit; & herbam arboreſcentem, undè efflavit, nomine ſui Medici *Euphorbii* dicti & *Antonii Muſæ*, fratris Euphorbiam appellavit, ſi *Plinio Lib. XXV. Cap. VII.* fides habenda. *Dioſcorides* Euphorbium Lybicam Arborem eſſe ait ferulæ ſpecie, *Plinius* foliis acantinis ſpectari ſcribit. *Galenus* ſpinoſam Arborem dixit, & quam proponit *Dodonæus* potiùs herba, quàm Arbor eſſe videtur. Frutex eſt igitur, referenre *Raio*, duorum hominum altitudine, naſcens in arenoſis, radice craſſa recta in terram deſcendente, fibras hinc indè emittente, intùs lignoſa, cortice exteriùs ſulco intùs candido, & lacteo tecta. Tota Planta lactiflua eſt, lacte acri, & linguam adurente. Semel in anno floret, & præſertim Januario, aut Februario, ſemper vireſcit, cujus integram deſcriptionem apud *citatum Raium* videre poterit curioſus Lector, & *in Bibliotheca Pharmaceutica Clariſſ. D. Mangeti* Amici mei humaniſſimi, atque Doctiſſimi. Euphorbium verò, de quo nos in præſenti Capite loquimur tanquam Venenum,

eſt ſuccus concretus Plantæ antedictæ arboreſcentis, acerrimæ, & causticæ facultatis, de quo meminit *Keuchenius in notis ad Serenum Sammonicum pag.* 284. Putat verò *Caſp. Hoffmannu*, Euphorbium noſtrum eſſe Tithymali ſuccum.

Ex ſauciata ergò Lybica ferula ejuſdem nominis ſuccum concretum acerrimum Euphorbium eſſe putamus; hujus enim Arbor acerrimo ſucco prægnans eſt, cujus eximium fervorem expaveſcentes incolæ, teſte *Frider. Hoffmanno Clav. ad Schroderum*, villas pelles arbori circum ligant, & eminùs contrà ramos ejus vulnerant; ex plaga copioſus ſuccus in pelles defluit, qui poſteà concretus colligitur. Aſſumptum homini damnum inferre docuit *Balthat. Timæus Lib.* 7. *de Morb. Venen.*, & *Alexand. Benedictus Pract. Lib. X.* ſcripſit de quodam, cui Empyricus Euphorbium exhibuit, dyſenteria correpto, & eodem die mortuo. Euphorbium igitur aſſumptum fauces Ventriculum, & Inteſtina adurit, & erodit cum dolore intenſo; Vomitum movet, ſingultum excitat, cum dyſenteria, animi deliquio, ac demùm morte; nam cùm iſte ſuccus acribus volatilibus particulis abundet referente *Joh. Schrodero*, ideò intra Corpus aſſumptæ, ac ad motum concitatæ, ope caloris nativi, ac fermentorum naturalium noſtri microcoſmi, ſtatim poroſitates faucium penetrando corrodunt, & pungendo, ac vellicando, atque ſauciando Ventriculum, & inteſtina, vomitum, ſingultum, & Dyſenteriam peſſimam mortis nunciam producunt.

Ut reliquorum Venenorum verò intrà Corpus aſſumptorum, ita Euphorbii etiam cura à vomitûs excitatione, ac clyſtere eſt inchoanda ſuadente *Ardoyno*; Vomitoria parat in hoc caſu *Sennertus* ex aqua calida ſimplici, vel Decocto Violarum, aut Malvæ cum Oleo Violarum, Roſaceo, aut Amygdalarum dulcium; Clyſter parari poterit è lenientibus, vel ex lacte, vel ex hordei decocto; Lac pariter pro potu exhibendum, & emulſio quatuor Seminum frigidorum majorum cum aqua Portulacæ facta. Proprium Euphorbii Antidotum eſt Semen Citri ex vino, teſte *Sennerto.* Utilia etiam ſunt Terra ſigillata, Criſtallus Montanus præparatus, Smaragdus, Theriaca, Butyrum, Coagulum Hædi, & Terra Nucerina, ac Melitenſis.

Cibus

Cibus poterit eſſe cremor ptiſanæ, Lac, Oryza, Poma, & & Pyra acida, Cydonia, Ribes, & Berberis.

CAPUT LXXXIII.

De Nuce Metella.

NUCEM Metel Arabum nonnulli cum Nuce Vomica confundunt, ac prò uno, & eodem ſumunt; Nos verò dicimus differre, ſed eſſe fructum ſimilem Nuci Vomicæ. Plerique, notante *Sennerto* hanc eſſe fructum Stramonii, ſeu Solani ſpinoſi contendunt; Certum tamen eſt, iſtam Nucem Venenum eſſe, & ſi *Cardano* fides habenda, medium tenere inter Opium, & Cicutam, ac aurei unius pondere ſumptam una die interficere. Nux ergo Metella intra Corpus aſſumpta inducit ſomnum profundum; temulentiam, anhelitum, Labiorum intumeſcentiam pallorem, tandemque ſudorem frigidum, quem paulò poſt omnium rerum maximè terribilis mors inſequitur. Iſta verò ſymptomata oriuntur à ſulphure, & ſale volatili, quibus ſcatet Nux Metella, ſulphuris enim oleoſæ particulæ ligando ſpiritus, ac humores, ſomnolentiam, anhelitum, intumeſcentiam, & pallorem excitant; Salino - volatiles autem moleculæ acutis ſuis ſtimulantibus cuſpidibus irritantibus Animales ſpiritus ipſoſque in fugam mox cientibus, vertiginem, ac temulentiam pariunt, ac tandem ſudorem prodromum vicinæ mortis. Ut in aliis Venenis ità pariter in iſto Vomitus primò eſt excitandus, & hoc Decocto è corticibus radicis Juglandium cum vino parato, hinc alvus ſubducatnr clyſtere è Centaurio minori, Ruta, Scordio Caſtoreo, & Hydromelite compoſito. Poſteà exhibeantur Abſinthii Decoctum, cum Origano, Ruta, radice Gentianæ, Helenio &c. Commendantur etiam Baccæ Lauri, Pyretrum, Cinnamomum, Theriaca, Oleum noſtrum contra Peſtem, vulgò dictum *del Caſtagna*, & ſpecies Diagalangæ. Arte autem à ſomno excitandus eſt æger, errhinis ſcilicet, ligaturis dolo-

roſis, frictionibus, atque cucurbitulis evulſis, & ſi æger moveri poſſet, exercitium violentum, donec ſudet, laudat *Sennertus*. In hoc Veneno vomere ope nitri *Avicenna*, & *Ardoynis* commendare videntur. Conferre etiam ponere extrema in aqua calida, & inungere Corpus Oleo de Coſto, & Been aiunt Doctores. *Georgius* denique à *Turre* Decoctum Abſinthii, Origani, & Rutæ Sylveſtris in curatione hujus Veneni præſcribit.

CAPUT LXXXIV.

De Nerio, ſive Oleandro.

NERIUM à nonnullis *Oleander*, & *Roſa Laurea*, ab aliis *Rhododendron* dicitur, & *Rhododaphne*. Eſt planta arborea caudice recto, rectiſque, ac firmis ramis brachiata, in quibus multa folia acuta, longa, ut plurimum terna ſimul orientia, interdùm bina, ubi rami dividuntur, tranſverſum ferè digitum invicem diſſita, rigida, dura, craſſa, ſuperiore parte atrovirentia, ut Lauri folia, interna magis aſperſas hinc inde maculas habent. Supremi rami in ſurculos aliquos divaricantur, quibus inſident flores multi ſimul juncti, odori, pulcherrimè rubentes, quali ferè colore Roſæ incarnatæ conſpiciuntur, aut albi. Plura de iſtius Plantæ deſcriptione cupienti videatur *Raius*; nobis enim non eſt ignota, nam ob florum ſuorum elegantiam, & perpetuæ frondis honorem in hortis noſtris Ferrarienſibus ſtudiosè colitur Oleander. *Dioſcorides Lib.* 4. Nerii flores, & folia, Mulis, Aſinis, Canibus, aliiſque Quadrupedibus, Venenum eſſe. Hominibus verò cum vino exhibita contra Serpentum morſus præſidio ait *Sennertus*, Alii tamen ipſa experientia rerum humanarum magiſtra edocti, Nerium, vel in cibo, vel in potu aſſumptum, tùm bruta, tum homines lædere volunt; idcircò in Venenorum catalogo ponunt. Aſſumptum enim magnam inducit circa præcordia anguſtiam,

guſtiam, ventrem inflat; rugitum Inteſtinorum excitat; alvum movet, corpus inflammat, cnm ſyncope, quibus tandem ſuccedit mors; ex ejuſdem enim ſalino-volatilibus particulis in corpore noſtro exaltatis habetur irritatio fibrarum Ventriculi, & Inteſtinorum, ex qua rugitus, & alvi fluxs oriuntur; nam cuſpides iſtorum ſalium feriunt illarum ſubſtantiam, ut & corporis totius poroſitates, unde univerſalis oritur inflammatio, quatenùs vero ea ſalia introducuntnr in ſanguinem, illius texturam ſolvunt, atque compagem liquant; unde ſyncopes, & Mors ſuccedit. Ut autem æger à Nerii aſſumptione curetur; primò danda opera, ut rejiciatur, quantocitiùs poſſit, mediante vomitu Oleander ingurgitatus; poſtea ægrotus ſæpè bibat Decoctum Ficuum, Dactylorum, foliorum Malvæ, radicum Althææ, Seminis Lini, aut Fœnugræci, vel aſſumat Electuarium Diacaſtorei, aut Roob Baccarum Juniperi. Multi Semen Rutæ, & Agni Caſti cum aceto propinant, & proprietate quadam Nerio adverſari dicunt. *Sennertus* pro victu præſcribit Ptiſanæ Cremorem, Butyrum recens, Lac Juſcula pinguia, & Ego omnia, quæ retundere, & inviſcare valent cuſpides Salium corroſivas commendo, ut omnia pinguia, & mucilaginoſa.

CAPUT LXXXV.

De Juglande Arbore.

HUjus Arboris, tanquàm notiſſimæ Plantæ, deſcriptio relinquitur: cuilibet enim, & præſertim hîc in noſtra Italia nota eſt, vel etiam Pueris, atque mulierculis, cupienti autem iſtius diffuſam deſcriptionem dabunt Botanici, & præſer- Clariſſ. *D. Mangetus* Amicus meus ſemper recolendus *in Biblioth. Pharmac. tom. 2. Lib. 9.* Inter Venena locum habere videtur, quatenus ſi quis ſub umbra hujus Arboris ſomnum capiat; læſionem ſentit, refertque *Grævinus de Venenis* ſibi, cùm aliquandò media æſtate ſub Juglande obdormiviſſet, univerſum

verſum Corpus refrigeratum fuiſſe cum maximo dolore capitis, qui per quinque dies duravit, & *Marcell. Donatus Hiſtor. Med. mirab.* narrat, mulierem quandam, cùm in meridie ſub umbra Nucis Arboris dormiviſſet, in ſomnis à Dæmone opprimi ſibi viſam eſſe. Verùm quia tale Venenum parùm homini nocet, ſufficiet, ſuadente *Sennerto*, lotio capitis cum lixivio, in quo Betonica, Hyſſopus, Majorana, Lavendula, Salvia, vel Stœchas cocta fuerint; Internè verò ſpecies Diambræ, Aromatic. roſat. & Aquæ Cephalicæ uſurpari poterunt.

CAPUT LXXXVI.

De Eſula.

TITHYMALORUM omne genus Pharmacopei indifferenter Eſulam appellant, verùm Eſulam eſſe ſpeciem Tithymali concedo, non autem per hoc dicendum Tithymalos omnes Eſulas eſſe, de quorum differentiis legendi ſunt *Matthiolus*, *Chabræus*, *Raius*, & alii Botanici. Eſulæ non reperitur Etymon probabile, nam quod *Joh. Bodæus* adfert non placet; hæc eſt herba Linariæ conformis, niſi quod iſta lacteo ſucco caret, quo ea gravida eſt juxtà illud Carmen.

Eſula lacteſcit, ſine lacte Linaria creſcit.

Licet autem Eſula non ex eorum Venenorum genere ſit, quod ſimpliciter tale eſt, & nullum in Medicina habeat uſum, ſed quandoque præparata purgantis loco exhibeatur, unde Ruſticorum purgatio nuncupatur à SIM. PAULI *Claſſ.* 3. *Quadripart. Botanic.* Tamen niſi præparata, vel nimia quantitate ſumpta, gravia ſymptomata excitat, idcircò *Hoffmannus* hoc Pharmacum, magis Ruſticis quàm Nobilibus, & aliis ſubtilis texturæ hominibus inſervire ait ob ſummam ejus vehementiam, unde rariſſimi uſûs eſſe Eſulam monet *Schrôderus*; acris eſt enim, & erodens adeò, ut impudentium mendicorum

rum fraudi inſerviat, qui ejus ſucco cutem ſibimet exulcerant ſcabiei ſpeciei, imò ſe vidiſſe Chryſopœum narrat *Sim. Pauli loco citato* qui ex cineribus, & favilla aureos ſibi montes olim pollicebatur, & in inclyta quadam Republica Civem quendam extracto Eſulæ impunè occidit. Venenum ergò Eſulæ aſſumptum ſtatim nauſeam, ſingultum, & vomitum copioſum, cordiſque anxietatem excitat, corpus totum inflammat, ſitim infert magnam Ventris dolorem, & alvi fluxum parit, quem convulſio, & Mors conſequitur, cùm enim abundet hæc Planta particulis ſalino-volatilibus; hinc eſt, quod iſtæ acuminibus ſuis penetrantibus, atque pungentibus, ſe ſe inſinuando in œſophagum, & Ventriculum, vomitum, ſingultum, ac nauſeam excitant, cùmque ad Inteſtina ſimiliter deſcendant alvi fluxum, dolores, ac inflammationem pariunt; tandemque ad fluidorum maſſam, & ad nervos penetrantes convulſionem, febrem tandemque mortem inferunt. Ut verò curatio rectè inſtituatur, notandum cum *Sennerto*, primò Vomitum non ſtatim ſiſtendum, ſed potiùs promovendum eſſe, ut materia venenoſa evacuetur, quod fieri poterit aquâ tepida, & oleo communi, inde clyſtere utendum eſt ex decocto herbarum emollentium confecto. Antidoti loco poſſunt exhiberi Terra ſigillata, Bolus Armena; Corallia Rubra, Cornu Cervi, Theriaca, Butyrum recens, Emulſiones quatuor Seminum frigidorum majorum factæ in aqua hordei.

CAPUT LXXXVII.

De Nuce Vomica.

NUx Vomica fructus eſt Arboris in india Orientali naſcentis, & indè à Batavis per Mare ad nos advectus; juxtà *Raium* eſt orbiculata, nummo aureo, quem ſcutatum vocant æqualis, ſubindè minor, compreſſa, calamum ſcriptorium vix craſſa, tenera, & tactu molli, ſuperficie villum holo-

holoſericum imitata, coloris ex cæſio cinerei, & vario lucis objecto renidente, umbilico utrinque medium occupante, ſed altera facie expreſſiore. Villus deraſus comminuto Adiantho ſimilis quodammodo teſte *Cordo.* Fiſſa in geminas abit cruſtas duritie ferè cornea, coloreque ex fulvo candicante, ſapore inſigniter amaro. Ipſa autem Nucis ſubſtantia contuſu eſt contumax, & adeò ſolida, ut vix reddatur in pulverem, & non niſi magno labore, ac patientia. Nonnulli radicem eſſe nucem hanc putarunt, ſed perperam; alii fungum, ſed erroneè, nam verè fructus eſt; licet autem ſint aliqui, qui Nuces Vomicas Canes, & aves quidem interficere, hominibus verò nullam noxam inferre putant, eas tamen intrà Corpus ſumptas hominibus quoque lethales eſſe experientia docet; ideòque nos cum *Sennerto*, & aliis Medicinæ Magiſtris inter Venena Nucem Vomicam numeramus, quia verò, ait citatus *Sennertus*, nonnulla adhuc dubia de ea occurrunt, & nonnulli etiam eandem alexipharmacis admiſcent, quædam adhuc addenda videntur; & in primis experientia teſte, Canibus, felibus Venenum eſt Nux Vomica; An autem homini, dubitatur à multis; nam ingreditur Electuarium de Ovo; & *Renodæus in Antidotario* alexiteriam virtutem ei tribuit. *Geſnerus* vim narcoticam in Nuce Vomica cognoſcit. *Tabernæmontanus* ſcribit; hominem ferè ebrium facere; & proindè uſurpari ad ſedandos dolores, unde quadraret Carmen *Lucretii.*

Quodque aliis Cibus eſt, aliis fuit acre Venenum.

Plura de hac quæſtione apud *Sennertum lib. 6.*

Nux itaque Vomica narcotica eſt, virulenta, & vel Opio deterior in pulverem redacta, verba ſunt Clariſſ. *Mangeti in Bibliothec. Pharmaceutic.* & cum cibo exhibita Canes interimit. Exempla habentur apud *Geſnerum*, *Bauhinum*, & alios quibus addemus, ea quæ communicavit *D. E. Hulſius* excerpta ex *Anton. de Heide Centur. obſerv.* 50. duas, inquit ille, Nuces Vomicas in fruſta inciſas pani butyrato mixtas Cani appoſui, qui ea avidè devoravit; & elapſa hora totus tremebat, de

loco

loco in locum diſcurrens, erectus ſtare haud potis erat, niſi fulcro innitens, & convulſionibus afficiebatur, poſt tertiam horam mortuus autem corruit; Cùm verò aperto Canis corpore ſolidæ partes inoffenſæ apparuerint; ideò conſtaat hanc Nucis Vomicæ virulentiam fluida potiſſimùm inficere, ſpiritus, & præſertim fluidum, cerebrum nervoſque irrigans. Aſſumpta enim Nux Vomica, ſtatim nauſeam, ac Vomitum ſuſcitat, cum ſiti, alvi fluxu, ſpirandi difficultate, ſomnolentia, convulſione, virium proſtratione, tandemque, niſi ſuccurratur, Mors ſequitur. Talia verò ſymptomata ope ſulphuris narcotici, & ſalis volatilis acerrimi Nux Vomica excitat; oleoſæ enim illius pravi, ac malitioſi ſulphuris ramoſæ particulæ ligando ſpiritus, ſomnum, ac reſpirandi difficultatem pariunt. Salinæ verò acutiſſimè penetrando fibras Ventriculi, & Inteſtinorum nauſeam, & dolores faciunt; feriendo nervos, & eorum Laticem vitiando, convulſionem; atque irritando omnes reliquas corporis partes, ſudores exprimunt. Curatio hujus Veneni, ut in aliis incipit à rejectione ſubita Veneni à Ventriculo, antequàm ſeparatæ, & in actum deductæ particulæ illius, huc, & illuc delatæ, pravos antedictos producant effectus. Clyſtere poſteà eſt alvus tentanda; indè pro alexipharmacis utendum Zedoaria, corticibus Citri, Cydoniis, & Succo Mali Citrii; *Georgius à Turre* commendat Conſervam ex aciditate ejuſdem Citri, baccas Myrthi, & exteriùs pro inunctione totius corporis Oleum Caſtorei; & Balneum; Potumque copioſum aquæ Communis alii laudant.

CAPUT LXXXIX.

De Helleboro

DE Helleboro tanquàm Veneno Autores diſſentiunt, & nonnulli eum è numero Medicamentorum planè relegandum putant; Alii magnis laudibus illum extollunt. *Meſue* tamen Helleborum rejicit, quia præfocationem inducit: *Aver-*

roës propter nimiam purgationem, & violentum alvi fluxum, inter Venena eum refert: & *Galenus VI. Epid.* ſcribit, in Doride, Bœotia, ac Theſſalia plurimos ex eſu Coturnicum muſculorum diſtenſionibus fuiſſe correptos, non alia de cauſa, niſi, quia priùs Coturnices Helleborum comederint. Hiſpani ex Helleboro albo parant Venenum, de quo *Matthiolus*, ac *Ettmullerus* verba faciunt. Hæc Herba Veratrum à Latinis dicitur, eo quod vertat mentem, & diſtinguitur in Helleborum Album, & Nigrum; quorum primus ob violentiam purgationis, quàm per ſuperiora, & inferiora exercet, uſum purgandi internum, & hunc quidem rarum, ſoli Helleboro nigro relinquit, monente *Schrodero*; hujus radicem pulveriſatam naribus inditam ſternutationem movere aiunt; unde Angli, teſte *Raio*; ſternutamentariam herbam Veratrum dicunt. Hujus herbæ vis conſiſtit in ſale volatili acri, hinc violentam ſuprà, & infrà excretionem, ingenteſque Ventriculi, & Inteſtinorum cruciatus, ac tormina, & ſingultum excitat; acres enim particulæ ſalis ejus ſe ſe inſinuando in ſubſtantiam Ventriculi, & Inteſtinorum cruciatus, ac tormina, & ſingultum creant, quatenus eas partes pungunt, & lacerant, unde dicta inſurgunt ſymptomata; inſuper delatæ ad Cerebrum, & nervos citatæ particulæ, convulſionem, ac mentis turbationem inducunt; hæc à fuga ſpirituum animalium, alia à puncturis nervorum. Etſi verò Helleborus Vomitum excitet, tamen is non ſiſtendus, ſed potiùs promovendus eſt; & proptereà Vomitorium è Raphani radice, & Seminibus Anethi, in hydromelite coctis exhibet *Sennertus*, & ſi Clyſtere opus fuerit, is parari poterit ex decoctione Plantaginis, Rutæ, Althææ, cui poterit pariter addi Oleum Anethi, & Vitellus Ovi. Indè tanquam antidotum exhibendum erit Vinum abſinthiacum, cum Theriaca, & Mithridatio, ac Diaſcordio Fracaſtorii: vim Veneni Hellebori deturbare ait *Mayerne* Decoctum hordei, cum Oleo Amygdalarum dulcium, & lac bubulum contrà hoc Venenum commendat *Friccius*.

CAPUT LXXXIX.

De Grano Nubiæ.

A nonnullis Autoribus Scriptum eſt, Granum Nubiæ dictum, Venenum eſſe potentiſſimum, atque omnium Venenorum peſſimum, de quo MERCURIALIS *Lib. 1. de Venen. Cap. 6.* hæc habet verba *In Nubia reperitur quoddam Veneni genus, cujus ſi granum unum propinetur decem hominibus, omnes jugulat ſpatio quartæ partis horæ, ſi autem detur uni homini, illum ſtatim interimit*, & de eodem grano Venenato, cujus naturam fateor me neſcire, quia mihi omninò incognitum. Sic ſcribit JUL. CÆSAR SCALIGER *Exercit. 153. ad Cardan. de ſubtilit. pag. mihi 514. In Nubia, quæ eſt Æthiopia ſub Ægypto granum eſt, quod devoratum expellit Animantes è vita, decima pars intrà horæ quadrantem interfecit, ejus nomen non poſuêre.* Prò hujus Veneni Curatione *Sennertus* laudat Mithridatium, Theriacam, Bolum Armenam, Terram ſigillatam, & Lapidem Bezoar. Verùm quia neſcitur, quid ſit, pariter ejus natura, & particulæ componentes ignorantur.

CAPUT XC.

De Erica Baccifera, Herba Hæmatogoga, Datura, & Flore Africano.

ERICAM Bacciferam *Matthioli* ſic vocata eſt, à *Bauhino*, & *Sennerto*, quia ab illo Autore primò deſcripta fuit, ac delineata, quam dono acceperat à *Fallopio*; Hæc Planta in Montibus oritur, qui Bohemiam à Sileſia dividunt, & à quorum Fontibus altis fluvius originem ducit; Humi procumbens, & latas occupans areas folio penè vulgaris Ericæ, quæ baccas edit purpureas, & nigricantes in ipſa purpura; Juniperinis non nimores, ſed meliore pulpa, lenta, & coloris ſubvireſcentis, ut in Pruno. Rami ſunt lignoſi, ex atro ruſeſcentes, &

& flexiles, eoſque baccis ornatos menſe Auguſto, notavit *Matthiolus*, quas baccas Simiarum aliqui vocant, & ità dici putat *Joh. Thalius in ſua deſcript. Hercyniæ*, quia earum eſus parit deliras geſticulationes, ut is, qui eas comedit, ſimiarum inſtar geſtu ridiculo ſe prodat. Signum evidens, tale Venenum conſtare particulis ſummè volatilibus, quæ fugando ſpiritus Animales mentem alterant, ità ut ille furor, & inſania oriatur. Curatur autem, ut alia Venena, & præſertim ut Opium.

Inter herbas Venenoſas etiam Planta Hæmatogoga dicta à *Sennerto* adnumeranda eſt, de qua GALENUS *Lib. de Purg. Medic. facult. cap. 6.* hæc habet. *In Thracibus Bithyniam incolentibus invenit homo quidam herbam, quam ſi quis aſſumpſiſſet, ſanguinem primò, tùm vitam emittebat*; De qua plura *Galenus*, & *Sennertus*. Colligitur ergò hanc herbam conſtare è particulis ſepticis, atque erodentibus; aſſumptæ enim, & ſanguinem liquant, & fundunt, atque erodendo etiam vaſa per diæreſim, cruoris effuſio inſequitur, cum quo funditur ipſa vita. Et hæc à Galeno ſuperiùs dicta ſufficiant pro hoc mihi incognito veneno.

Stramonium, ſive Stramonia à Multis Datura dicitur, herba eſt notiſſima, & vulgaris admodum apud nos Ferrarienſes, quæ inter Venena reponitur ob ſuam vim narcoticam, quam prodit ſolo olfactu; Caput enim gravat, & *Hoffmannus in notis ad Poter. Pharmac.*, ait ſe vidiſſe à pulvere Seminis Daturæ in largiori doſe exhibito, furorem inductum, & mentis alienationem cum ridiculis geſtibus, & actionibus. *Garcias ab Horto* & *Sennertus* aiunt, injici à furibus florem Daturæ, aut ejus Semen in cibo eorum, quos deprædari volunt; Mente enim quoddammodò alienantur, & ità ad libitum deprædantur; durat verò hæc mentis alienatio viginti quatuor horarum ſpatio; & de Datura refert *Chriſtophor. à Coſta*, eos, qui Pulverem hujus ſeminis ſumpſère, mente alienari; & poſtquàm ad ſe redierint, immemores eſſe eorum, quæ inſani dixerint, aut fecerint. Si quis igitur Semen Stramonii aſſumpſerit vel malitiosè, vel caſu eadem ferè experietur ſymptomata, quæ excitantur ab Opio, & quæ retulimus in capite Opii; cùm

enim

enim in hiſce ſeminibus reperiantur particulæ multæ ſalis cujuſdam volatilis acris, ac ſulphuris narcotici, hinc eſt, quod confuſio ſpiritibus animalibus priùs à Salinis particulis ligatis, ſomnolentia, & interceptio motus fluidorum oriuntur, undè tandem mors, ſi in doſi nimia aſſumptum ſit Daturæ Semen veneficum. Quia verò ſymptomata eadem ſunt cum ſymptomatibus Opii, ideò Curatio hujus Veneni convenire videtur cum Curatione Opii, quam ſuperiùs videre poterit ſtudioſus Lector. Hîc mihi ſolummodò notare liceat, me anno 1702. Mortuum vidiſſe infeliciter Puellum annorum ætatis ſex Filium unius Hortulani, qui neſciens naturam Plantarum, fructus Stramonii fregit, & Semina ejuſdem comedit inciis Parentibus, ex quo brevi quatuor dierum ſpatio, primò totus frigefactus, tandem lethargicus. Obiit.

Flos denique Americanus accedat tanquam alterum Venenum. Hic flos Americanus Tagetes Indicus dicitur, cujus folia ſunt Tanaceto ſimilia, & cujus tres differentias agnoſcit *Chabræus*, & ab aliquibus Italis *Garofalo Indiano* vocatur; Venenoſa eſt Planta juxtà *Dodonæum*, *Sennertum*, *Chabræum*, & alios; Siquidem ejus odor ingratus Cicutæ ſimilis caput aggravat; deindè experimentis nonnullis conſtat, iſtum florem, Venenoſæ, & deleteriæ facultatis haud prorsùs eſſe expertem; ait enim citatus DODONÆUS *Lib. 3. Hiſtor. Stirpium, in Puero, qui flores mandere inceperat, Labia, & Os inflata eſſe; feli etiam flores recenti caſeo permixtos olim dedimus, quæ mox inflata mortua eſt, & mures, qui ſemen arroſerunt, mortui feruntur reperti.* Hujus ergò floris aſſumpti ſymptomata ſunt potiſſimùm inflatio partium, tùm internarum tùm externarum cum inflammatione, dolore, ac Lethargo, quæ mala proveniunt, partim à narcotico ſulphure, partim à ſale volatili, quibus maximè conſtat hæc Planta; ſulphureæ ſiquidem particulæ ligando, & figendo ſpiritus, narcoſim; atque humores fixando inflationem, cum partium tumeſcentia producunt. Salinæ verò pungendo fibras nerveas, dolores creant, idcircò, quanto citiùs fieri poſſit, ad Vomitum eſt confugiendum, tanquam ad Sacram ſa-

 lutis

lutis Anchoram, inde ad Mithridatium, Theriacam, Oleum noſtrum contrà-peſtem, Oleum de Scorpionibus *Matthioli*, Terram ſigillatam, aliaque omnia remedia, quæ pro curatione Veneni Cicutæ à Doctoribus commendantur, quorum magna pars à me ſuper enumerata eſt in Capite de Cicuta.

CAPUT XCI.

De Lolio.

LOLIUM planta eſt notiſſima, ſpica trigoſa, compreſſa, granis cum glumis utrimque ad ſcapum in eodem plano ſitis à reliquis graminum generibus diſtinguitur. Radicibus eſt fibroſis, tenuiſſimis capillamentis cirratis, ſtipulas habet cubitum unum, duos, treſve altas, triticeis pares, aut paulò minores, quatuor, vel quinque nodis diſtinctas, ad quorum ſingulos, ut in reliquis culmiferis, ſingula folia triticeis anguſtiora, & viridiora, nitentia, glabra, pinguia, ſtriata, culmum ad proximum ferè geniculum obvolventia, grana triticeis minora ſunt. Plura de Lolii deſcriptione cupiens legat *Biblioth. Pharmaceut. Mangeti Medici Eruditiſſ. Lib.* 11.

De hujus Plantæ Origine diſcrepant ſcriptores. *Matthiolus* enim, *Caſpar Hoffmannus*, & alii oriri Lolium putant ex hordeo, & Tritico corruptis, ipſumque Lolium in triticum demum mutari volunt. Aſt hoc tanquam anilem fabulam nos cum aliis Autoribus rejicimus, credendo, ex proprio ſemine, ut faciunt cæteræ Plantæ originem Lolium ſuam ducere, & licet *Plinius* eum Tritici vitium appellet, hoc intelligendum, quia Triticum vitiat, id eſt cùm penè eandem cum Tritico ſervet magnitudinem, dum ex paleis excutitur, cum eo confunditur, ità ut cribro difficilimè ab ipſo Tritico ſecerni queat, & cùm nullum uſum in cibis habeat, ideò rectè infelix à Poetarum maximo vocatur, & reverà Lolium Venenoſa eſt Planta, hujus enim Semen, ait *Sennertus*, vim malignam obtinet, &

& panis in quo Lolium fuerit Stuporem quendam & veluti temulentiam eſitantibus parit, cum ſomno profundo, de quo *Galenus 6. de ſimplic. Medicamentor. facultatibus* refert, quod ob Lolium Tritico permixtum multis caput dolere cepit, & comedentibus ulcera innata ſunt. Hinc *Wierus de Præſtig. Dæmon.* narrat, ex Lolio cum Tritici farina comeſto, amentiam, vertiginem, longumque ſomnum inductum fuiſſe. Aliquos pariter fuiſſe Tiguri, refert *Joh. Jacob. Wagnerus Miſcellan. Curioſ. Dec. 2. Ann. 3. obſ.* 186. qui pro jentaculo pultem avenaceam comedentes, quam *Plinius* Germanorum cibum eſſe ait, variis ſymptomatibus mox afflicti fuêre, omnes enim ex iis, cardialgia, vertigine, & Capitis dolore correpti, quidam inſuper temulenti, & ſomnolenti redditi, convulſiones etiam paſſi ſunt, imprimis Ancilla, quæ in majori quantitate ejuſdem pultis comederat; Quæſita cauſa inventum eſt, Farinam Seminis Lolii pulti fuiſſe commixtam. Facultates porrò Lolii paſſim notas docent Epitheta; Lolium enim temulentum dicitur, caput tentans, Frumentum fatuum; *Aira* Græcis, quod nocuæ auræ ad cerebrum rapiantur, & inebrient: In Lolio namque vim inebriandi dependere à ſulphure narcotico ſpiritibus animalibus infeſto ait Illuſtr. & nunquam ſatis laudatus D. Præſes noſter *Lucas Schröckius in Schol. ad Obſ.* 186. *Decur. 2. ann. 3.* Prò hujus Veneni autem remedio commendatur Acetum, & poſt hoc omnia ea quæ ſulphureas ejus particulas cicurare, ac motum inordinatum Spirituum Animalium compeſcere queunt. De Secali temulento pariter, & venenato curioſam Hiſtoriam narrat Clariſſ. *Baulzmannus in Miſcellaneis Curioſ. Decur. 3. Ann. 7. Obſ.* 29. & tale quoque Venenum dependet à ſulphure fumoſo ſpiritus offuſcante, ac ligante, & acrimoniam in ſanguinem inducente, cujus ope, dum ſanguis tenax nimium efferveſcit, tubuli muſculorum ſuprà modum extenduntur, undè Corporis intumeſcentia apparet, uti etiam accidit in multis aliis Venenis.

CAPUT XCII.

De Mangas, Ahovai, Hiucæ Succo, & Melle Venenato.

DE Veneno herbæ Mangas Sylveſtris dictæ, & herbæ Lactariæ Malvaticæ ità ſcripſit *Chriſtophor. à Coſta Lib.* 1. *Aromat.* quæ verba ſufficient de hoc Veneno mihi incognito, ait ergò ille; *Sylveſtre reperitur Mangas Bravas nuncupatum, adeò præſentis Veneni, ut indigenæ illo ſe mutuò perimant; nam ſi quis paululum ederit illicò moritur, ut hactenus nullum ſit repertum antidotum ad ejus vim compeſcendam.*

De Arbore Ahovai ſic habet *Chabræus.* Eſt arbor in Braſilia dicta Ahovai tam fœtens, & ità Allia redolens, ut cùm ſcinditur, aut igni admovetur odor tolerari non poſſit. Foliis eſt Pomi noſtratis fructu ad tribulum Aquaticum accedente, cum ſummè venenato nucleo, & verè deleterio, eo autem exempto putaminibus ſiccis tintinabulorum loco utuntur. *Carolus Cluſius in annotat. ad Lib.* 2. *Garc. ab Horto de Arom.* ſcribit Ahovai genus eſſe veneni potentiſſimum, quod alter alteri mutuis odiis, & diſſidiis præſertim verò viri leviſſima occaſione uxoribus infenſi, aut contrà Uxores viris indignatæ dare ſolent. Quia verò à me ignoratur natura hujus Veneni; ideò ſymptomata ab eo producta, & remedia ad illlud vincendum exarare nequeo.

Similiter dicendum eſt de Hiuca tanquam potentiſſimo Toxico, de quo *Cardanus Lib.* 12. *de ſubtil.* refert talia verba. Herba Hiuca ſimilis eſt Cannabi, radix tamen ipſa carotis ſimillima, ſed major, intùs tamen candida, exterius aſpera, & coloris vinoſi fermè. Illud in hujus ſpecie quadam mirum admodum, quod humanam conditionem referat, nam Panis ipſe ſalutaris homini, & anno ſervatur, qui fit ex radice expreſſo jam ſucco, ſuccus autem ipſe hauſtus illicò necat, nec ullo fermè auxilio ſanari poteſt, ita ut dicerem, mortem ipſam cum ſalute conjunctam eſſe. Quamobrem dum Panem conficiunt,

ciunt, diligenter omnem exprimunt ſuccum, quem è genere ſucci Cicutæ, ſed validiorem eſſe ait *citatus Cardanus.*

De hac autem Planta loquendo *Jul. Cæſar. Scaliger de Subtil. Exerc.* 153. addit, ipſam habere radicem ad humanæ Coxæ craſſitudinem, quam redigunt in pollinem, tum aquam imponunt, ut expreſſione fiat ſuccus, qui lethalis eſt. Cur verò ſuccus Venenoſus ſit, farina autem ſalubris, rationem reddit *Scaliger* eo modo, quo Porri Succus eſt pernicioſus. Porrum ipſum autem editur ſine noxa, & ratio pendet, ait ipſe, à duplici cauſa. Una eſt partium tenuitas, undè eſt facilitas penetrationis, altera libera qualitas, & facultas ad nocendum in ſucco ipſo, poſteà quàm ſoluta eſt ſocietas, quam inierat cum terreſtri parte à primordiis ipſius Plantæ orta, quæ pars adverſa qualitate ferociam ejus ità cohibebat, quemadmodùm craſſitiè ſua tardabat celeritatem. Et hæc ſunt, quæ de Veneno Ahovai, & Hiucæ ad meam venêre notitiam, quæ, eruditionis medicæ gratia addere hîc volui, ne quid videar reliquiſſe ad Venenorum ſpectans materiam.

Mel demùm venenatum dari tradunt Doctores, undè *Galenus* hanc refert Hiſtoriam *Lib. X. de ſimplic. Medicam. facult.* quidam, ſunt ejus verba, Medicis duobus ad Unguentariam officinam conſpectis, attulit ad eos Mel venditurus, ſcilicet, illi ubi guſtaſſent, de pretio diſceptant, at hic tanquam parùm offerrent properè ſe ſe ſubducit; Verùm Medicorum neuter ſervatus eſt. Similiter Plinius *Lib.* 21. *Cap.* 13. De Melle Venenato ſic ſentit, *Heracleæ in Ponto Mella quibuſdam annis pernicioſiſſima exiſtunt: ab iiſdem Apibus facta. Nec dixere Autores è quibus floribus ea fierent; Nos trademus, quæ comperimus. Herba eſt ab exitio, & Jumentorum quidem, ſed præcipuè Caprarum appellata, Ægolethron. Hujus flores concipiunt noxium virus aquoſo verè marceſcentes. Ita fit, ut non omnibus annis ſentiatur hoc malum*, hucuſque *Plinius.* Nunc autem quid ſcripſerit Dioscorides videamus, hic igitur Autor loquendo de Melle venenato ſic ait. *Heraclidæ in Ponto quibuſdam anni temporibus propria quorumdam florum dote, Mel conflatur, quod qui edêre mente alienantur, ac ſudore diffluunt.* Veneni cauſam in Aconito agnoſcit

cit *Sennertus*, & in Rhododendro *Matthiolus*, quatenùs ſcilicet Apes ex iſtis. Plantis venenatis virus ebibunt, atque indè Mella deponunt; nihil ergò mirum, ſi tale Mel nocivum exiſtat, participat enim naturam illarum Plantarum, à quarum particulis, ſumptis, excitantur ipſa ſymptomata, quæ oriuntur à prædictarum Plantarum aſſumptione. Iſtius autem venenati, Mellis ſigna referente PLINIO, ſunt, *quod omninò non denſatur quod coloris magis rutilus eſt, odor alienus, ſternutamenta protinùs movens, quod ponderoſius innoxio. Qui edêre abjiciunt ſe humi, refrigerationem quærentes, nam, & ſudore diffluunt.* Epilepſiam ex Melle notavit Eruditiſſ. D. *Paullinus in Miſcellan. Carioſ.* Ex illius eſu Choleram lethalem *Binningerus Cent.* 4. *Obſ.* 15. Atque Ebrietatem à Mellis aſſumptione notavi Ego in *Miſcellan. Curioſ. Decur.* 3. *ann.* 2. *Obſerv.* 31. Diutiùs enim in Stomacho retentum Mel, fermentationem ſubire (maximè cùm naturæ noxiæ eſt) atque ità volatiles ſuos inebriantes ſpiritus dimittere, ac Cerebro communicare poſſe mihi veriſimile videtur, præcipuè cùm præ aliis pluribus ſuccis longè promptiùs fermentationi ſit expoſitum, monente Illuſtriſſ. D. Luca *Schrôckio in Miſcellan. Curioſ. ann. citato. mox pag. mihi* 40. Accedit quod copioſè ingeſtus hic medicamentoſus ſuccus Ventriculi tonum debilitare poteſt, & ſpiritus etiam in cerebro inordinatè commovere ſicque delirium ebrietati ſimile excitare; Ventriculi enim torpor, juxtà *Hippocratem in VI. Epidem.* Omnium fit confuſio. Ad curationem quod attinet. *Avicenna* comeſtionem Piſcis ſaliti proponit, & bibere Aquam Mellis, & vomere cum eo. Ruta commendatur à *Plinio* & *Ardoyno*, ut & Piſcis Aurata in cibo, Theriaca cum aceto calido, Mala Cydonia, & Teſtudo Decocta, priùs abſciſſis pedibus, capite, & cauda. Puto autem Autores, à Teſtudine abſcindere caudam, caput, & pedes, quia Oſſea ſunt, non quia noxia ſint.

C A-

CAPUT XCIII.

De Cornu Spicæ.

SPICÆ Cornu, prout ex Autorum Scriptis colligi poteſt, nihil aliud eſt, quàm fructus, ſeù additamentum quoddam naſcens in quadam ſpecie ſpicæ horribilis odoris, cujus naturam calidam eſſe, ait *Ardoynis Lib.* 3. *de Venen. Cap.* 2. Cùm autem ſcateat fructus hic particulis ſalino-volatilibus acerrimis, quæ cuſpidibus ſuis perforando partes internas corporis, eas exulcerat, unde ſanguinis effuſio, etiam ex virga apparet; hinc eſt, quod ſymptomata, quæ oriuntur ab aſſumptione hujus Cornu ſpicæ ſunt nigredo linguæ, ſanguinis fluxus, apoſtemata in pectore, alienatio mentis, tandemque Mors. Curatur verò tale Venenum primò ſumendo aureum unum Camphoræ cum uncia una aquæ Roſarum, inde Aquam hordei, Oleum Commune, Succum Granatorum, mucilaginem Seminum Pſyllii, Oleum Amygdalarum dulcium, Lac recens, Ptiſanam, atque *Petrus Aponenſis* commendat Theriacam ad pondus duarum drachmarum, cum decoctione Vini, in quo Dictamnus ſit ebullitus.

CAPUT XCIV.

De Cynogloſſa.

CYNOGLOSSUM à multis Cynogloſſa dicitur, & ſic nuncupatur à foliorum forma caninas linguas imitante; Hæc notiſſima eſt Planta, ideòque ejus deſcriptio ſuperflua. Naſcitur paſſim in locis incultis, & ruderatis, præſertim pinguioribus, & floret menſe Junio, quia verò nonnulli Medici eam præditam eſſe narcoſi virulenta autumant, ideò nonnulla de ejus Veneno in præſenti capite dicendum. Veneñoſitas ergò

iſtius herbæ conſiſtit in quadam vi narcotica, unde ſi nimis liberaliter, & incongruè exhibeatur in hominis ſanitatem, & vitam peccare poſſe non abnuerim, cùm enim ejus particulæ ſulphure narcotico, inebriativo, & volatili præditæ ſenſibus omnibus lethalem inferant torporem, ſpirituſque animales in cerebro planè ſuffocant, & extinguunt. Symptomata autem hujus Veneni ſunt eadem, cum accidentibus conſequentibus aſſumptionem Opii. Si denique vis narcotica Cynogloſſæ lædat ejus vis per acida eſt impugnanda, & adhibenda inſuper omnia præſidia, quæ in Capite Opii expoſuimus.

CAPUT XCV.

De Nigella.

NIGELLAM Sylveſtrem Venenatam non eſſe legitur apud *Matthiolum*, *Chabræum*, alioſque, imò commendari ad aliquos fugandos morbos. *Ardoynis* autem *Albucaſim* ſequendo, hanc Plantam inter nocivas ponit quatenùs ſcilicet, ſi in nimia quantitate ſumatur, Mortem inferat; Fides tamen penès ipſum; ſi hoc verò accideret, eſſet ope ſulphurearum, & Salino-volatilium particularum ſummæ activitatis, quæ ex ſolo odore acutiſſimo ipſorum Nigellæ Sylveſtris Seminum apparent, quippè iſtæ intrà Corpus aſſumptæ acutis ſuis ſtimulis vellicando Ventriculum, ac Inteſtina, Vomitum, & Alvi fluxum producerent, non ſine ægrotantis moleſtia; ad quæ mala Sananda, duce *Galeno*, adminiſtrari poteſt Decoctum Virgæ Paſtoris, vel Plantaginis, & Calamenthæ Montanæ; Inſuper adhiberi poſſunt, Vinum cum hyſſopo, brodium Cancrorum fluviatilium, & Pix liquida cum Vino generoſo. Iſtius autem herbæ deſcriptionem legat curioſus Lector apud *Chabræum*, *Matthiolum*, *Raium*, *Bauhinum*, alioſque Botanicos, tàm antiquos, quàm recentes.

CAPUT XCVI.

De Viſco.

VIscus eſt Planta paraſitica, ſeu frutex Arboris, aut fruticibus aliis innaſcens, baccifera, monopyrenos, ſi *Raio* credendum, brevis eſt Planta, ramuſculis in Crucis modum prodeuntibus, foliis binis in ramuſculorum ſummitatibus utrinque emergentibus, oblongis linguarum inſtar, craſſis, ſolidiſque, colore ſubmellino, cujus hiſtoriam diffusè more ſuo, nec non diligenter Botanicorum maximus *Matthiolus* recenſet. Dixi ſuprà diverſas Arbores innaſci Viſcum, undè *Plinius* ait, illum, cùm propriam ſedem non habeat, in alieno vivere, & quidem folio perenni, quamvis Arboris à qua alimoniam ſumit folia ſint decidua, cui ſententiæ favet *Virgilius*, dum canit

Quale ſolet ſylvis brumali frigore Viſcum
Fronde virere nova, quod non ſua ſeminat arbos.
Et croceo fœtu teretes circumdare ramos.

Controverſum tamen videt *Georg. à Turre Lib. 2. Hiſtor. Plantar. Cap.* 216. An Viſcum iſtud ſua propria virtute, & peculiari ſuo genitali ſemine in alienam Arborem intrudi, & vivere poſſit, à qua alimentum ad vitæ uſum ſufficiens ſuſcipere valeat; An potiùs producatur ab arbore; cui adhæreſcit. Plures enim exiſtimant potiùs, inter quos Ego quoque, ex proprio ſemine naſci Viſcum, quod ut multi aiunt in baccis geri viſci arbuſculum, quo epaſto vel Turdi, vel ſimilia animalia egerentes ſimul cum excrementis in aliqua conſpicua arboris parte defigant; hinc facetè *Plautus* cecinit

Turdus ſibi mortem cacat.

Ac proindè ex ſemine proprio intrà excrementa alvina regeſto, & recondito innaſci, idem autumat *Athenæus*, idem *Plinius*, & *Cæſalpinus*; Ità *Raius in Apendice Hiſtoriæ Plantarum*, poſtquam Viſci Semen populi Albæ perterebrato cortice inſertum germinaſſe, & Plantulam ediediſſe obſervaverit nobili hoc experimento, longis, & diuturnis ſuper hac re controverſiis, & diſputationibus finem impoſitum eſſe putavit; Nonnulli enim anteà credebant, non ex proprio ſemine, ſed ex Arboris ſucco, vel ex putri Viſcum oriri, quales erant *Ardoynis*, *Scaliger*, & alii plures. Reverà igitur, teſte Clariſſ. D. *Spleiſſio in Append. Miſcellan. Curioſ. Ann.* 4. *Decur.* 3. per Aves viſcivoras in Arboribus propagatur Viſcus emiſſis per alvum baccarum Seminibus, quæ deinde ſemen immittunt inque arborum truncis hærendo, & ſemet mirabili modo adglutinando tandem in Viſcum exſurgunt; Verùm enim verò neceſſarium non eſſe, ut modus alius non ſuperſit, quo manu hominis Viſcum produci queat, verùm Viſci ſemina per ſe eſſe prolifica; atque extrà Ventriculum avium; imò nunquam ab iis deglutita germina protrudere aptum eſſe. Hæc adeò certa ſunt, ut nullis *Scaliger* ſubtilitatibus eludere queat, cùm ad oculum omnia demonſtrari poſſint, ſimulque modus ſupereſt, quo non ſolùm in Malis, Pyris, Quercu, Tilia, Corylo &c. ſed in quacunque Arbore, frutice, & ſuffrutice, & univerſim in omni Planta, quæ annua hyemis inclementia non deſtruitur, Viſcum produci poſſit. Optarem idcirò mihi præſto eſſe Aloëm quorum folia, aut non decidua, vel ſaltem aliquot annis in Planta hærent, non dubito enim artificiosè, me Viſcum in illis producturum; Licet autem Viſcus pro aliquibus fugandis morbis commendetur, attamen *Ardoynis* illum inter Venena connumerat, quatenùs in ipſo ſit ſuperflua quædam humiditas indigeſta, propter quam in operatione ſua pigritare videtur; ſicut Gummi Rutæ agreſtis, & Thapſiæ, verùm præfatum gummi eſt vigoroſius, & ſi de eo multùm ſumatur interficere uſque ad quatuor dies, ait citatus *Ardoynis*, ſides tamen penès ipſum. Nos hìc de Viſco tanquam Veneno verba faciemus, ne quid deſiderari in hoc opere videatur.

Acci-

Accidentia ergo conſequentia ipſius aſſumptionem juxtà *Ardoynum* ſunt, Capitis vertigo, rugitus in ventre, ac ejus punctura abſque fluxu, quæ omnia ab ipſius viſci caliditate oriri autumat, Verum ſi talia fierent ab hujus eſu, provenirent à particulis Salino-volatilibus ejuſdem viſci, quæ ad cerebrum penetrando, fugantes animales ſpiritus vertiginem excitarent, atque Inteſtinorum fibras ſpiculis ſuis lædendo, puncturas, & ventris rugitus efficerent. Vinum cum abſinthio, pro Curatione hujus Veneni adhibet *Dioſcorides*, Lac *Albucaſis*, Syrupum Acetoſum, & Decoctionem Erucæ *Avicenna*. Rutam *Plinius*, Theriacam cum Aceto *Gulielmus de Placentia*, atque *Ardoynis* tandem laudat pro fuganda Viſci venenoſitate Serpillum Sylveſtrem, lac Aſininum, Caſeum Caprinum recentem, Hædi Coagulum, & Caſtoreum.

CAPUT XCVIII.

De Ruta Sylveſtri.

SYLVESTRIS Ruta, cujus deſcriptio ad amuſſim tradit *Matthiolus Lib. 6. ſuper Dioſcoridem*, Venenoſa Planta eſt, de qua loquens PLINIUS *Lib. 20. Natur Hiſtor. cap. 13.* ait, *Sylveſtris Ruta horrida eſt ad effectum, & ad omnia acrior; cujus Succus copioſior datus Veneni noxam obtinet, in Macedonia maximè juxtà flumen Aliacmonem: Mirumque, cicutæ ſucco extinguitur: adeò etiam venenorum venena ſunt, quando cicutæ ſuccus prodeſt manibus colligentium, rutam: Niſi* enim, ut ait COLUMELLA *capit. ultim. L. 11. velata & tecta manu ruta tractetur, prurigo & tumor inceſſit, pernicioſaque ulcera naſcuntur:* & juxtà DIOSCORIDEM, *dum colligitur ad muros, præſertim montana, cutem inflat cum rubore pruritu & inflammatione vehementi.* Aſſumpta ergo talis pernicioſa Planta in humano Corpore, vehementem oculorum inflammationem, cum intumeſcentia primò excitat; indè ardorem magnum in ventre, cum torminibus, quorum ſymptomatum cauſa eſt vis mordicans depen-

dependens ab acutiſſimis ſtimulis particularum Salino - volatilium, quibus ſcatet Sylveſtris Ruta, quæ Stimulantia acumina continuum ſolvendo, in oculis dolores, & inflammationes pariunt, atque in ventre tormina, & ſummum ardorem. Quoad Curationem; *Ardoynis* primò, juxtà ſolitum, Vomitum cum Aqua calida, & Oleo Communi commendat; indè Clyſteria lenia, potum ex cineribus Sarmentorum vitis cum aqua, & aceto, tandemque Unguentum de Calce; Nos verò lac, & hordeum optima eſſe in hujus Veneni aſſumptione cogitamus.

CAPUT XCVIII.

De Scylla, præcipuè Agreſti, & de Cortice Oryzæ.

SCYLLA, ſeù, ut dicunt aliqui Squilla, Cepa eſt Marina notiſſima pro uſibus Medicis; In ſabuletis marinis ſole retorridis oritur, cujuſmodi ſunt in Hiſpania, & propè arida Luſitaniæ loca maritima, de qua Cæpa videatur *Raius*, *Hoffmannus*, *Mangetus*, & alii.

Iſtam Cepam in Venenorum numero ponit, ac meritò *Ardoynis*, ejus enim effectum venenoſum notarunt Multi, inter quos Clariſſ. *D. Joh. Daniel Geyerus Miſcellan. Curioſ. Decur.* 2. *Obſer.* 138. *ann.* 8. qui ait, Scyllam in ſe continere inſignem malignitatem; ideòque communiter pani includi, Furnoque calefacto imponi, ac ita ad benigniorem uſum parari; Accidit verò, ait citatus Doctor, ut Panis micas, quibus Scylla erat incluſa meleagridi edendas projicerem, & horulæ ſpatio vix præterlapſo incepit titubare, alas pandere, convelli tumultuarie, nec granulum hordei aſſumere, uſque dum planè viſum amittebat, nodis duris in pedibus erumpentibus. Si verò in quantitate aſſumatur ab hominibus Scylla, excitabitur Stomachi dolor, cum Vomitu, & Inteſtinorum ulceratione, non ſine mortis metu. Cauſa autem immediata iſtorum ſymptomatum habetur à particulis pungitivis, mordicantibus, & acutis ſalium ipſius Cepæ, à quarum ſpiculis irritantur

tantur fibræ Ventriculi, undè Vomitus, & dolor, ac ſolvitur unitas Inteſtinorum, unde ulcera fiunt. Curationem inſtituunt Medici ope Lithargyrii commendati à *Rhaſi*; Lactis cum fruſtis ferri igniti cocti, pulveriſque Mille folii uſum laudant alii. *Plinius* nuces commendat, nonnulli Oleum Amygdalarum Dulcium, Mucilaginem Seminum Cydoniorum, ac Emulſionem quatuor Seminum frigidorum Majorum, quatenùs ſua oleoſitate retundere valent acumina ſalium iſtius Veneni. Ego denique reliqua omnia Medicamina, quæ conveniunt Curationi ulcerum Inteſtinorum legitimè laudo.]

Antequam verò præſens Caput claudamus aliquid dicendum de Cortice Oryzæ, & quia calidus eſt, & ſiccus, & inflammatorius ab *Ardoyno* inter Venena connumeratur; meliùs autem diceretur, ſi, quia conſtans ex particulis Salino-ſulphureis activis, & penetrantibus, ideòque ſolvere continuum valentibus, nocere valeat hic Cortex, ſi vel caſu, vel malitiosè aſſumatur, tunc enim dolores in faucibus; Ventriculo, & Inteſtinis oriuntur cum alvi fluxu cruento, ac ſomnolentia, quæ ſymptomata accidunt ratione puncturarum in Ventriculo, & Inteſtinis factarum, à figuris incidentibus ſalium; & à ſulphure oritur narcoſis ſpiritus nempè animales ligante. Vomitus in principio convenit pro iſtius Veneni Curatione excitatus ope oxymellis, & aquæ calidæ; Clyſmata emollientia optima ſunt, ſicut Potio Vini cum Abſinthio, Spicanardo, Cinnamono, & Caſtoreo; Decoctum Cydoniorum, tandemque omnia, & ſingula præſidia convenientia in Veneni Cantharidum Curatione.

CAPUT XCIX.

De Mezeræo.

MEZERÆON frutex eſt, teſte *Raio*, ad trium cubitorum interdum altitudinem excreſcens, radice in aliquot partes diviſa minimi digiti craſſitudine, vel etiam craſſiores, lon-

ga, altèque ſe demittente, alba; è qua aſſurgunt virgulæ, lentæ, teretes, tenues, cortice duplici tectæ, cujùs prolixam, & diligentem Deſcriptionem videat Lector apud *Raium*, & *Mangetum*. Nobis tantummodò ſufficiat, Mezeræi vim eſſe igneam, acerrimam, exulcerantem, & mordentem, commanducatam enim hanc Plantam, fauces, & æſophagum adurere aiunt, ſuadente *Lobelio*: Febres excitare, vires exſolvere, & validiſſimè purgare per Alvum ſeroſitates. Cùm enim particulis ſalino-volatilibus, & ſummoperè acribus abundet hæc Planta, mirum non eſt, ſi in Corpus humanum introductæ, ſpiculis ſuis, ſolidas partes agrediantur, & exulcerent; ac fibras Inteſtinorum vellicando, alvi fluxum excitent; inque humores penetrando eorum augeant motum, atque vitalem facultatem turbent vires exſolvendo. Curatur hæc Venenoſitas autem primò vomitibus, inde dulcificantibus, ac retundentibus remediis, utpotè quæ frangant cuſpides illorum ſalium corroſivorum, & ſunt omnia pinguia, & Oleoſa, ut Lac, Butyrum, Oculi Cancrorum, Pulveres Margaritarum ſecundùm artem præparatarum, cæteraque hujuſmodi, hordeacea omnia remedia; Clyſteres ex Lacte parati, Mithridatium, Terram ſigillatam, Theriacam magnam, & Coagulum Hædi commendat *Ardoynis*; Aliaque demùm adhiberi utiliter poſſunt à Medico practico, quæ in Capite Arſenici indicavimus, ad quem locum Lectorem remittimus.

CAPUT C.

De Semine Urticæ, & Herba Chimanides, atque Croco.

SEMEN Urticæ ab Ardoyno inter Venena connumeratur, aitque ſumptum, illa excitare ſymptomata, quæ ab aſſumptione Scyllæ eveniunt, utpotè quod hoc ſemen pollet mordicantibus, ac exulcerantibus particulis à ſale cauſtico provenientibus. Ego verò Urticæ Semen Venenum eſſe haud aſſero, imò remedia pro aliquibus edomandis affectibus ſub-

miniſtra-

miniſtrare puto. Sic ad Tuſſim rebellem, & contumacem expugnandam ſemen Urticæ in Decocto, aut lincta laudat *Simon Paulli Quadrip. Botanic. Claſſ.* 3. ut & pro Antidoto Cicutæ illud agnoſcit. Lithonthrypticam facultatem huic ſemini tribuit *Ettmullerus*, imo Urticæ Semen, menſes ciere, atque Venerem ſtimulare docet Clariſſ. *Dom. Mangetus in Biblioth. Pharmaceutica Tom.* 2. *Lib.* 20. unde ait ipſe, à Meretricibus Amaſiis ſuis propinari ſolet; cùm ergò Venenum mortiferum non ſit illud, ſicco pede tranſimus.

Similiter de Croco dicamus, quem in Claſſe Venenorum ponit citatus *Ardoynis* utpotè quod in nimia quantitate aſſumptus, mortifera parit ſymptomata, ut læſio Cerebri, ac nervorum, & hoc ope particularum ſalis volatilis activiſſimi, qui translatus ad nervos eos lædit, tandemque mortem inducit. Iſtius ergo Curatio primò Vomitu inſtituitur ope oxymellis, & aquæ Calidæ, inde bibendo ſuccum Pomorum, vel Granatorum, aut Julapium cum trochiſcis ex ſpodio, ità ſuggerente nuper citato *Ardoyno*.

Quænam tandem ſit herba Chimanides mihi non ſatis liquet, unde ejus Deſcriptionem non dabo, ſolummodò de illa mentionem faciam medicæ eruditionis gratia, quia ab *Ardoyno* introducta fuit in numerum Venenorum; ait enim hic Autor, *Chimanides*, alias *Chimanidos* herba eſt ſanguinis eductiva, cum qua *Galenus in ſuo libro de Pharmacis* aſſerit, hominem quendam multos interemiſſe, ipſam per os exhibendo, cujus virtutem ipſe tortus à Præſide faſſus eſt à ſe ipſo didiciſſe, propterea quia cùm aliquando Porcellum ad quoddam ſuburbium deferret, repoſuit ipſum penès ipſam herbam applicato ventre, & cùm poſteà vomuerit, vidit liquores ſanguineos ex toto corpore diffluentes, unde conjecturatus eſt herbam illam Venenoſam eſſe qua de re exhibens illam hominibus, plures interemit; propter quod juſſu Præſidis ductus fuit moriturus ad ſupplicii locum ligatis oculis, ne in intermedio alicui illam oſtenderet; unde *Galenus* ibidem aſſerit rationabile fore herbam prædictam, & alia conſimilia Medicamina taceri ab omnibus

nibus habentibus intellectum. Sic igitur tacendum de quibuſdam Venenoſis, atque mortiferis Medicinis arte paratis, miſcendo videlicet varia ſimplicia Venenoſa, atque mineralia, vel animalium etiam partes, ex qua miſcella oriatur aliquod mixtum virulentæ naturæ, quemadmodùm à ſpiritu maligno perciti faciunt in hominum perniciem Venefici, quod perdat Deus. Solummodò nos mentionem facimus, ut Venenorum ſciantur Remedia curativa à Doctorum monumentis deſumpta, ad Proximi noſtri utilitatem. At redeamus in viam. Et quia talis Planta ſanguinis effuſionem excitat, ideò dicendum, ipſam ſcatere moleculis ſalinis acerrimis, quæ irritando vaſa, eorum oſculorum aperitionem promoveant, atque Venas eaſdem lacerando ſanguinis effuſionem inducant cum Patientis nece. Ad quod Venenum tollendum primò Vomitus commendatur, inde Clyſteres, lenitivi Potio Lactis, Grana Pini, & recentia mala Perſica laudantur, tandemque non inutile putatur Hepatis regionem emplaſtrizare aromaticis Medicinis, ut Spica, Maſtiche, Croco, Abſinthio, & ſimilibus.

CAPUT CI.

De Cucumere Aſinino, & Staphiſagria.

CUCUMER Aſininus, aliquandò ſumitur à ſcriptoribus pro Planta, aliquandò verò prò fructu ejus Plantæ; hic ſolo fructu à ſativo Cucumere diſtat, quem multo minorem habet, glandibuſque longiuſculis ſimilem. Folia, & ſarmenta ſativo ſunt ſimilia; Radix eſt alba, & magna, & totus Frutex amarus, referente *Fuchſio Hiſtor. Plant. Capit.* 268. Naſcitur in ſabuloſis locis, floret Auguſto, & Autumno producit fructum, qui ſeminibus, ac ſucco plenus eſt, qui decerpto pediculo confeſtim ſolet exilire. Ex hoc fructu paratur Elaterium, cujus conficiendi modum vide apud citatum *Fuchſium.* Aſſumpto autem Cucumere Aſinino ſequitur nauſea,

Vomi-

Vomitus, & ventris ſolutio cum dolore, ac ſi in magna quantitate aſſumeretur, Mors accideret, teſte *Ardoyno*; dicta verò ſymptomata arguunt, hanc Plantam, & fructum conſtare è multò ſale volatili acri, cujus particulæ exaltatæ, ac ad motum concitatæ, mediante calore naturali, pungendo fibras tùm Ventriculi, tùm Inteſtinorum; Vomitum, alvi fluxum, ac dolorem pariunt; & ſi illæ particulæ fuerint in magna copia exulcerationem excitabunt Ventriculi & Inteſtinorum, a qua Mors inevitabilis accedet. Quæ autem ſpecialiter pro hujus Veneni curatione commendantur à Doctoribus, ſunt ſequentia, videlicet, Lac recens, & Butyrum, iſta enim oleoſitate ſua retundunt acumina ſalium, & ſic læſionem impediunt. Theriaca magna laudatur à *Petro de Abbano*, & *Ardoyno Lib.* 3. *de Venenis*, cum decocto Baccarum Lauri, & Melle; Imò nonnulli volunt Antidotum hujuſce Veneni eſſe ſuccum Menthæ ad unciam unam epotum.

Nunc de Staphiſagria aliquid dicendum. Herba hæc pedicularis dicitur à *Dioſcoride*, & habet folia labruſcæ diviſa, cauliculos rectos, molles, & nigros, fert florem glaſti, & virides folliculos ſimiles Ciceri, quæ in Iſtria, Dalmatia, Apulia, & Calabria frequens provenit, teſte *Matthiolo*. Hanc herbam producere grana ſimilia Uvæ Paſſæ, grana Ciceris nigri videlicet, ait *Ardoynis*, & propterea dicitur Uva Paſſa montana. Signa verò, quæ ſuperveniunt poſt aſſumptionem Staphiſagriæ ſunt ulcerationes in renibus, & Veſica, undè mingitur cum ardore, & dolore, ex quo colligitur, hanc Plantam abundare particulis ſalinis volatilibus, quæ partes internas, & præſertim Renum ſubſtantiam, atque veſicæ lancinando atque erodendo, dolorem, & ardorem, cum difficultate Urinæ inducunt. Curatio ipſius eſt, quod Æger bibat Aquam Decoctionis liquiritiæ cum modico Gummi tragacanthæ, & bibat aquam Decoctionis Sebeſten cum Semine Fœniculi, & Apii, & inſuper ſumat Ptiſanam de hordeo in aqua in qua coctæ ſint amygdalæ Dulces, & Sebeſten; ità ſuadente *Ardoyno*.

CAPUT CII.

De Anacardio.

ANACARDUS eſt fructus Arboris exoticæ, & Mel ejus liquor eſt quidem Melli ſimilis, qui continetur in poroſitatibus Corticis ejus, qui quidem Cortex frangibilis eſt, & valdè poroſus. Colore autem hic fructus, ac figura Cor repræſentat, unde nomen videtur ſumpſiſſe, teſte *Donzello.* Hujus Plantæ fructum Veteribus Græcis fuiſſe incognitum aſſerit *Frideric. Hoffmannus Clav. in Schroder Lib.* 4. Naſcitur verò in Montibus Siciliæ, & in Indiarum Provinciis Cambaia, Decan, Calicut, Cananor &c. *Caſpar Hoffmannus* damnat Anacardos, & confectionem Anacardinam, à multis commendatam ad memoriam felicem conciliandam; & ait ipſe, referente *Raio*; hanc non dici Confectionem ſapientum, ſed potiùs Stultorum Electuarium; imò refert, quoſdam ab ejus uſu maniacos factos eſſe, & opus habuiſſe catenis. Plura apud *Raium*, & *Mangetum.* Nocuum ergò eſſe Anacardum colligitur, & vim cauſticam habere, & exulcerare, inflammare, & humores velut adurere, undè meritò *Avicenna*, *Serapion*, *Ardoynis*, & *Matthiolus* in numero Venenorum Anacardum poſuere; quem qui ſumpſerit incenſionem vehementem in gutture, & Ventriculo patitur, cum inflammatione internarum corporis partium; cui ſuccedit mentis alienatio, tandemque, niſi maturè ſuccurratur interitus. Iſtorum malorum cauſæ ſunt particulæ cauſticæ; & erodentes Salinæ acres, quæ ingreſſæ poroſitates partium internarum humani Corporis, eas cuſpidibus ſuis vellicando, priùs inflammant, indè erodendo dolorem inducunt, atque delatæ ad Cerebrum, quatenùs infenſæ ſpiritibus Animalibus, ac latici nervoſo, turbando, & agitando ſpiritus eoſdem, mentem alienant, & convulſiones gignunt, ac denique ſeptico more humores omnes fundendo, mortem inducere valent. *Rhaſis* Vomitum, &

& purgationem per inferiora commendat, indè aſſumptionem Lactis, Butyri, & juſculi valdè unctuoſi, & meritò; hæc enim valent, retundere acumina Salium corroſivorum, ut veluti enervata, ac ut ità dicam, cicurata, partes internas lædere nequeant, & ſic qua data porta foras detrudantur. Comeſtionem Nucum optimam eſſe, ait *Ardoynis*; Oleum amygdalarum dulcium, Grana Pini, Caſtoreum, Theriacam, Semina Cucurbitæ, Mucilaginem Seminum Cydoniorum, Hordeum, & ſimilia commendant multi. Etſi fuerit mens alienata, ſomnus provocari debet, juxtà illud HIPPOCRATIS, *Sect. II. Aphor.* 2. *Ubi ſomnus delirium ſedat bonum &c.* Theriacam laudant alii cujus beneficium in eo eſt, *teſte* MAIGNAN. *in Philoſ. cap.* 14. *quod ſpiritibus reſtituit, & conſervat motum convenientem, ipſoſque tuetur, ac vindicat priſtinæ libertati, atque habilitati ad Opera Vitæ.*

CAPUT CIII.

De Cyclamine.

HÆc Planta à nullis ferè ponitur in Catalogo Venenorum, verùm quia à *Dioſcoride* habetur, quod ſi Prægnans radicem tranſgrediatur, Abortum faciat, unde valdè ſtimulantibus particulis abundare colligitur, quæ in humanum Corpus introductæ, vel in nimia quantitate aſſumptæ, alvi nimias fluxiones, ac dolores excitare valent. Idcircò in numerum Medicinarum nocentium potiùs, quàm propriè Venenorum ponendam judicarem. Vulgus hanc herbam Panem Porcinum dicit à forma Radicum, compreſſa, panibus ſimili, quod gratum ſuis pabulum ſit. Emeticam virtutem habere ſcribit ſapientiſſimus *Joh Jacobus Mangetus in Lib.* 3. ſuæ egregiæ *Biblioth. Pharmaceut.* quatenùs conſtans hæc Planta partibus acribus, ingeſta irritando fibras Ventriculi, Vomitum excitare valet; Sicque poſteà facilè concipitur, quomodò, & fœtum compellat,

pellat, & alvi fluxum moveat, particulis enim ſuis vellicando membranas, omneſque nervoſas partes, irritationem univerſalem inducit, ex qua fœtus oritur etiam immaturi excluſio. Curatio autem habebitur ope medicaminum pinguium, & Oleoſorum, quæ inviſcare, & retundere ejus irritantes particulas valeant, ut in capitibus antecedentibus dictum.

CAPUT CIV.

De Murckione.

MURCKION, alias Mirkion, teſte *Ardoyno*, eſt Planta quædam, quam ipſe *Avicenna* aſſerit ſe ignorare, attamen naturam ejus juxtà opinionem ipſius Arabum Principis ſimilem eſſe naturæ Napelli aliqui dicunt, cujus in corpore humano operationes ſunt; ſingultus, mordicatio in ventre inferiori, ſyncopes, color Citrinus in facie, anhelitus, corporis fœtor, ſudor frigidus, & Mors tandem tanquàm omnium malorum finis; ex quibus ſymptomatibus colligitur, iſtam Plantam incognitam nobis, conſtare ex multo ſale volatili acri, cujus particulæ in actum deductæ pungendo fibras Ventriculi, ſingultum primò concitant, indè deſcendentes in Inteſtina fibras eorundem aggrediendo, morſus Ventris excitant. Ingreſſæ autem in humorum maſſam, ſanguinem vitiando fœdum colorem corporis, ſudorem frigidum cum febre pernicioſa, ac tandem mortem inducunt. Ad Curationem verò quod attinet, Clariſſ. *Santes de Ardoynis Piſaurienſis Medicus ſua tempeſtate, præſtantiſſimus in ſuo Opere de Venenis Lib.* 3. *Capite pariter tertio*, ait, Præſervationem, & Curationem. Similem omninò eſſe præſervationi, & Curationi Veneni Napelli, ad cujus Capitulum Lectorem meum ‡ remitto.

‡ *Vide Pag.* 181.

CAPUT CV.

De Pomo Mortis, Perſea, Braxera, Cohobba, Aſſera.

DE Pomo Mortis, Perſea, aliiſque Venenis exoticis mentionem facit *Julius Cæſar Scaliger in ſuo Libro de Subtilit. ad Cardan.* quo circa, & nos in præſenti Capite quid de iſtis collegimus à Scriptoribus exarabimus. *Cardanus* itaque *de Subtilit. Lib.* 8. eſſe Poma mortis in Provincia Peru Occidentalis Indiæ inventa, quæ quaſi Sorba ſunt odorata, eorumque Arbor fruticoſa, Pyri foliis, denſis, crebris, ac viridioribus. Hos fructus commanducatos mortem inducere ad modum Fungorum nonnulli volunt; verùm quia neſcimus, qualia ſymptomata afferant, ideò particulas componentes hos fructus ignoramus.

De Perſea, & ejus differentia à Perſico fructu in Italia noſtra notiſſimo, ſcripſit *Manardus noſter Lib.* 8. *Epiſt. Medicin.* atque fusè tractavi ego in epiſtola mea quadam, italico Sermone exarata, & Venetiis Typis impreſſa *in Muſæo Minervæ, Tom.* 2. *pag.* 254. De Perſea autem fructu tanquàm Veneno dicturus colligo, ex *Galeno de Medic. facult.* illum apud Perſas adeò noxium eſſe, ut edentes interimat, in Ægyptum verò translatum in eſculentum miteſcere, & Pyrorum, Malorumque modo, cum quibus, & magnitudine convenit, eſitari, idemque confirmat *Petr. Andr. Matthiolus Comm. in Dioſcorid. Lib.* 1. *cap.* 146. ubi tabulam egregiè hujus fructus delineatam exhibet; hujuſce fructus Arbor eſt Pyro ſimilis perpetuò virens, ramis ex viridi palleſcentibus, inque latum diffuſis, folia ſunt velut Lauri, ſubtùs cinerei coloris, ſupernè verò virentia, firma, & maſticata cum adſtrictione, linguam mordicare, ait *Caſp. Bauhinus in not. ad Matthiol. pag.* 237. Flos ejus racematim eſt compactus, pallidus ex ſex foliis compoſitus, cui ſuccedit fructus Pruno ſimilis, niger, jucundo ſapore, nucleum cordis effigie continens, guſtu Caſtaneæ, aut Amygdalæ. Vere autem

 floret,

floret, Autumno fert fructum; Plura apud *Carol. Cluſium.*

In Regno Deli, quod Tartaris Catainis affine eſt, Arbor naſcitur, quæ Braxera dicitur; Radix cujus manducata, ſtatim occidit, cujus mali remedium fructum ejus Plantæ eſſe docet *Julius Cæſar Scaliger de Subtilitate ad Cardan. Exerc.* 153. Pariter Adal legi olim ſolem dictum Perſarum lingua, ejuſdem nominis in Africa radicem eſſe, ait citatus *Scaliger*, cujus aqua ſtillatitia epota intrà unius horæ ſpatium mortem affert; naturali enim perniciei aliquid auxit Ars, nam per Alembicum educta pars ejus volatilis, atque efficacior citiùs ſuum parit effectum.

Inter Lymphaticas Plantas ponitur à nonnullis Cohobba Indica nempè Planta ſimilis Stramonio, quam ſolo odore inebriare, atque Fanaticos reddere ait *Cardanus de ſubtilit. Lib.* 8. ſi autem edatur in furorem vertit comedentes.

De Turcarum Aſſerac ſic ſcribit *Scaliger loco citato.* Prælium ituros milites Turcarum, ex eo vorare aliquantum, quo alacres, ac periculorum evadunt contemptores, & ſic ad Belli munia ſunt promptiores, ſi autem copiosè aſſumatur, interimit. Apud alios autem Autores invenitur non Aſſerac, ſed Maslach; an verò ſint hæc Strychnici Maniaci nomina, *Scaligero* etiam incompertum eſt. De Radice Baara flammei coloris ſcribit *Cardanus*, quæ niſi Muliebri ſanguine lotiove perfundatur, mortem iis, qui eam tractant afferat, quin & exitialem eſſe avellentibus ait, quare à Cane avelli ſolitam eſſe, qui, & ipſe ea avulſa, periret, & de hac Venenoſa Radice meminit quoque *Joſeph Hebræus.*

CAPUT CVI.

De Taxo, & Agarico malo.

REFERT *Cæſar Lib. 6. de Bell. Gall.* Cativulcum Eburorum Regem Taxi ſucco epoto, ſe interfeciſſe unde inter arbores venenoſas reponendum colligitur, quamvis *Lobelius* ejus baccas innoxiè in Anglia Pueros manducare affirmet, &

& *Camerarius* pro Planta innoxia Taxum agnoſcat. Verùm quia de hujus arboris Veneno ſuprà in Cap. 81. dixi; nunc ejus tantùm dabo deſcriptionem; indè malum Agaricum exponam Taxus ergò in Montuoſis, Saxoſis, atque præruptis locis oritur, & eſt perpetuæ frondis arbor, procero ſtipite Abieti ſimilis: Folia Abietis foliis ortu, & numero ſimilia, dimidium culmum lata, folia ſupernè atro virore ſplendentia, infernè nitore deſtituta, nervo ſecundum longitudinem decurrente, fert baccas ex calice ità emergentes, ut ſimile quid habere videantur cum glande; Poſtquam verò fuerint maturæ, quod eſt menſe Novembri nihil planè ſimile habent cum glande, ſed figura quodammodo referunt florem vitis Ideæ; plura apud *Raium*; ſolummodò notandum Hortulanos, qui hanc arborem detondere ſolent, in gravem Capitis dolorem incidere, & hoc ab odore noxio, & venenato, quem Arbor cæſa ſpirat.

De Agarico Malo tanquam Veneno verba facit *Ardoynis*, ſeparando Maſculum Agaricum, à fœmina; primus durus, & niger ſalutatur; alter albus, & frangibilis, levis, & poroſus, & hic eſt bonus, & inter Medicamina magni juvamenti reponitur, quem *Democritus* medicinam familiæ vocavit. Si verò nigri, & mali Agarici particulæ aſſumantur, accidunt nauſea, Vomitus, fluxus Ventris, & ſyncopes; Quæ mala oriri videntur, eo quia particulæ reſinoſæ illius acres valdè, ac ſtimulantes, in quibus vis ejus conſiſtit, monente *Ettmullero in Schrod. dilucid.* penetrando ſtomachi partes nauſeam, & vomitum excitant; & ad Inteſtina delatæ eorundem fibras pungendo, & irritando alvi fluxum, cum dolore pariunt, ex quo cruciatu, & frequenti alvi moleſtia, ſyncopes fiunt; quemadmodùm accidunt in magnis Dyſenteriis; Pro Curatione Butyrum laudatur, & meritò, oleoſæ enim hujus medicamenti partes inviſcare valent acres illas particulas; Sic pariter valet Lac Caprinum, & Aſininum. Externè verò optima erunt linimenta confecta ex Oleo violaceo, & Amygdalarum dulcium, & ex aliis Oleis præſcriptis in Curatione ſpaſmi.

CAPUT CVII.

De Colocynthide.

COLOCYNTHIS Cucurbita quædam Sylveſtris eſt, Græcè & Latinè ſic dicta, Arabicè verò *Handal*, unde & nomen Trochiſcorum *Alhandal*, qui ex ea conflantur. Per terram repit Cucurbitæ more, foliis amplis, lanugineis, ſarmentis humi ſerpentibus, flores habet luteos, Poma pugno æqualia; quæ notiora officinis ſunt, quam herba; quæ medicamentum eſt viroſiſſimum, teſte *Raio Hiſt. Plant.* Abraſis enim Inteſtinis Dyſenterias producit; ipſius porrò violentiam, vel hoc indicat, quod ſolo tactu, & odore abundè, & cum magna perturbatione Alvum dejicit, quod experiuntur, qui eam tractant, non tantùm enim validiſſimè concutit totius Corporis habitum, ſed exagitat vi ſua malefica omnia viſcera, quantumvis diligenter præparetur, ac corrigatur. Naturam igitur Sapit Veneni, quatenùs incongruè, & inordinatè manducata, Vomitum primò ciet, indè alvum movet acerrimè, cum teneſmo, & Dyſenteria, ac Urinæ ſanguinolentæ excretione, ex quibus poteſt Mors accidere, niſi citò ſuccurratur, ac æger viribus conſtet. Cauſa verò illorum malorum putatur multitudo particularum ſalino-acrium eroſivarum, quibus abundare videtur Colocynthis, iſtæ enim ingeſtæ, ac intrà Corpus humanum aſſumptæ, primò Ventriculi interiorem tunicam aggreſſæ acuminibus ſuis penetrantibus, malam ſenſationem, id eſt dolorem, & Vomitum pariunt; ad Inteſtina verò cum deſcenderint, eorum tunicas ſenſibiliſſimas feriendo, ac lacerando, dyſenteriam concitant, ſicque ad Renes, & Veſicam delatæ pariter Urinam, unà cum ſanguine cient. Curatio perficitur, ſuadente *Ardoyno in Lib. 3.* primò per medicinas refrænantes ſolutivorum potentiam; Theriacam indè, vel Mithridatum exhibendo, & Clyſteribus utendo ex ſucco Plantaginis, & Aqua Decoctionis Hordei

Hordei confectis. Inſuper à *Rhaſi* laudatur ſuccus malorum Cydoniorum ; *Rabbi Moyſes in Lib. de Venen.* ; Vomitum primò concitat ; inde Decoctionem ſiccarum Ficuum porrigit , & aquam cum Mucilagine Pſyllii , ſeù Succum Porrorum cum Lacte , Pane , & Butyro. Demùm *Petrus Aponenſis* Colocynthidis curam , & Bezaar ſimul , & ſemel eſſe ait Smaragdum in pulverem redactum , & in potu appropriato exhibitum ad menſuram Drachmarum duarum.

CAPUT CVIII.

De Scammonio.

HOc nomen Scammonium notat tùm Plantam , tùm Succum. Planta eſt Lacteſcens , volvuloſa , lævis ſmilacis modo , cui foliis , flore , valdè eſt ſimilis , radice autem differt , in Smilace enim tenuis eſt , in Scammonio verò craſſa , & prælonga , intùs candida , odore gravis , ac multo ſucco prædita , & propriè ex hujus Plantæ Radice Scammonium colligitur. Magnæ eſſe acrimoniæ , infenſæ malignitatis , & mordacitatis exceſſivæ ait *Jo. Schroderus* , adeòque erodere Inteſtina , & viſcera conturbare ; & hinc eſt , quod Medici niſi ritè , & rectè præparatum , atque correctum , vel cum ſulphure , vel cum Succo Cydoniorum , ſive aliis modis , ac formulis , ut videre eſt apud Pharmacopæos Scammonium non exhibent , quia niſi correctum , atque , ut ita dicam , cicuratum exhiberent Venenum pro Medicina , & mortem pro ſalute propinarent. Aſſumptum enim Scammonium , Vomitum , ſingultum , dolores , alvique fluxum excitat. Notandum tamen , aliquos recentiores putare Scammonium nihil aliud eſſe , quàm Succum Eſulæ ; quia verò ſcatet hoc medicamen ſtimulantibus , acerbis , ac volatilibus particulis ; hinc eſt , quod aſſumptæ cuſpidibus ſuis lancinando Ventriculum , Vomitum , & cum dolore , ſingultum ; & tunicas Inteſtino-

 rum

rum lædendo, alvi fluxum peſſimum pariunt; ex quibus pravis ſymptomatibus mors poteſt evenire. *Galenus* laudat pro Curatione Theriacam Andromachi, tanquam generale Bezoar omnium ſolutivorum. *Rhaſis*, teſte *Ardoyno*, balneum Aquæ frigidæ nivoſæ commendat. Alii oleum Amygdalarum Dulcium, Butyrum recens, Lac ſtatim mulſum, Aquam Hordei, Cydonia, herbam, quæ vocatur Ribes, & hordeum ipſum coctum, tandemque omnia præſcribunt, quæ oleoſis, & pinguibus partibus ſcatent, hæc enim inviſcare valent, & retundere acumina ſalium Scammonii, ſicque Venenum corrigere.

CAPUT CIX.

De Tithymalis, & Ricino.

Sicut Scammonium non ritè, & rectè correctum in numero Venenorum à multis, & meritò ponitur; ità pariter Ricinum, & Tithymalos malos ponendos eſſe in eadem Venenorum Claſſe crediderim, cùm peſſimos effectus valeant producere, æquè, ac faciunt Colocyntis, Scammonium, Taxum, Cumeris Aſininus & hujuſmodi ſimilia. Ita feciſſe compertum eſt *Santem Ardoynum* Piſaurienſem Medicum ſua tempeſtate Clariſſimum *in tertio Lib. de Venen. cap.* 5. in quo libro de Venenis; ac mortiferis Medicinis loquitur ſumptis ex vegetabilibus, & Plantis; & ità pariter fecit *Ferdin. Cardinalis Ponzetus de Venen. Lib.* 2. *cap.* 29. *pag.* 549. Omnia Tithymalorum genera igitur adurendi vim obtinent, ait *Tragus*, imprimis verò lacteus eorum ſuccus, quarè rariſſimè citrà noxam ſumi poteſt; hancque ob cauſam ab ejus uſu doctos ac prudentes Medicos abſtinere, ait *Raius*; De Tithymalorum autem differentiis legantur Botanici. Qui aſſumpſerunt haſce noxias herbas, Vomitu primò afficiuntur, indè ſingultu, fluxu Ventris, & aliquandò ſanguinis effuſione; ex quibus ſignis colligere

colligere licet, iſtas Plantas ſcatere particulis acribus ſalinis, quæ in Ventriculum, & Inteſtina delapſæ, fibras eorum vellicando, atque pungendo, Vomitum, ſingultum, ac alvi fluxionem, & interdum cruentam excitant. Ad quorum ſymptomatum Curationem faciunt omnia remedia, quæ vim dulcificandi, ac retundendi cuſpides illarum particularum habent, ut ſunt Butyrum, Oleum amygdalarum Dulcium, Lac, Emulſio quatuor ſeminum frigidorum majorum, Hordeacea omnia; Theriacam laudat *Ardoynis*. Alii aquam decoctionis malorum Cydoniorum, Mithridatium, Terram ſigillatam, Mumiam, ac Cryſtallum Montanam præparatam Riccinus autem, ſive Cataputia major, cùm ſit de genere Tithymalorum, eadem parit ſymptomata, quæ pari modo curantur. Hic autem ſolummodò notandum, hoc anno 1711. in Conventu S. Margaritæ hujus Civitatis menſe Octobris, Virginem quanquandam annorum viginti quatuor, ut Corpus ſolveret, aſſumpſiſſe grana tria, ſeu Semina Ricini adhuc virentia, & poſt duas horas, Vomitum immanem paſſam fuiſſe, cum ſingultu, anxietate, frigido Sudore, cardialgia, ac ſyncope, ità ut de ſalute adſtantes deſperarent. Statim me tanquàm Medicum Ordinarium illarum Virginum vocant, qui accerſitus, & conſcius factus de Morbi cauſa; ſtatim Theriacam exhibui, inde lac propinavi, externè autem Cordiale Epithema appoſui, & Clyſterem emollientem injiciendum præſcripſi, quibus remediis, Deo adjuvante, convaluit. Similiter de Milite recordor, qui exhibita à Circulatore Ricini Semina ſumpſit, & miſerè vomitu horrendo, & dyſenterico fluxu affectus, per viginti dies malè ſe habuit, attamen curatus convaluit, ſæpè verò de ſtomachi dolore conquæritur, & ſi largior fuerit cœna, in noctis medio evomit, ac alvi fluxum patitur, ità ut mihi candidè fatetur, ſe ab aſſumptione illorum ſeminum fuiſſe taliter debilitatum, ut quaſi naturam, ut ipſe dicit, mutaverit; Ab iſtis ergò tanquam Venenoſis herbis abſtinere oportet, ne Venenum, pro purganti medicamento apponamus.

CAPUT CX.

De Cornu Cynosbati.

DE hujus arboris ſpinoſæ globo, ſpongiæ ſimili; velut veneno, *Petr. Aponenſis*, & *Ardoynis* ſcripsêre, in quo globo aliqui interdum vermes ſe inveniſſe teſtantur. Si autem hujus Cynosboſti Cornu, ſive globi pulverem aſſumat aliquis, ſtatim difficultate reſpirandi tentabitur, & deglutiendi, ex quo mors accedet. Cùm enim Stipticæ, atque ſummè adſtringentis ſit naturæ iſte globus, particulis ſuis acido-auſteris ligat fibras muſculorum gutturis internorum, atque Oeſophagum ita conſtringit, ut deglutitionem omninò impediat. Pro iſtius curatione lambitivum præſcribunt Medici ex oleo recenti Amygdalarum Dulcium, vel ex lacte Vaccino, aut aliis lenientibus, & emollientibus remediis quatenus ſcilicet, particulæ oleoſæ emollientes pinguedine ſua inviſcando auſteras particulas Venenati, hujus Globi, earundem peſſimam virtutem hebetant, atque omninò tollunt. Hinc hujus Veneni Bezaar eſſe mora ſcribit *Ardoynis lib.* 3. *cap.* 52. Ego verò Vomitum maximè laudo, & præſertim in principio, ejectis enim particulis peccantibus, ſtatim Salus eſt reſtituta.

CAPUT CXI.

De Ficu Pharaonis, & Dragontea.

IN ſuo de ſimplicibus Libro *Serapio* de Ficu Pharaonis meminit, quæ eſt fructus arboris cujuſdam magnæ, habentis folia ſimilia in magnitudine foliis Ficus, naſcens in partibus Orientalibus, & præcipuè in Sardinia, teſte *Ardoyno*, qui naturam ejus valdè calidam, & inflammabilem eſſe dixit. Qui verò de hoc Venenato fructu comedere, Febre primò continua

nua laborant, & totius ventris tumore, velut hydropico; Ex quibus ſubſequentibus ſignis, conjiciendum puto, particulas iſtius Venenoſi fructus, eſſe acidas, coagulantes, quæ in maſſam ſanguinis introductæ, ejuſdem craſim turbare, ac vitiare valent, unde in præternaturalem fermentationem cruor actus, febres oriuntur, quæ malignam notam habent, velut illæ malignæ, ac contagioſæ febres à materia ſanginem fixante ortæ, de quibus paſſim Autores Medicinæ ſermonem habent, & præſertim de recenti Illuſtriſſ. *D. Bernardinus Ramazzinus in Patavino Lyceo Lector Sapientiſſimus, ac Amicus meus perpetuò colendus in ſua erudita Diſſertatione de contagioſa Epidemia, quæ in Veneta Ditione Boves aggreſſa eſt anno* 1711. Ex tali igitur ſanguinis nimia efferveſcentia, & coagulatione, oritur valorum dilatatio, & per conſequens Corporis intumeſcentia, quæ eſt ſignum ſubſequens hujus Veneni Ficûs Pharaonis. Ad Curationem quod attinet particularem talis Veneni, *Petrus Aponenſis in ſuo Tractatu de Venenis cap. de Ficubus Pharaonis*, laudat aquam hordei ebibitam, aut ſerum Caprinum, & ejus Bezoar eſſe grana, ſive ſemina Cucumeris mundata, & trita data in potu, ait Clar. *Ardoynis Lib. 3. de Venen. cap. 51. pag. mihi* 184.

Inter Plantas Veneficas, atque nocentes ponunt nonnulli Dragonteam, ſiue ſerpentariam, aut ut ali dicunt Viperinam, licet alii ex Botanicis, innocuam eſſe Plantam Dragonteam autument; attamen nos in præſentiarum aliquid de ipſa tanquam venenoſa, ac nocua ex Autoribus collecta trademus, ne fortè ſerpentariam in Venenorum claſſe caruiſſe videatur. De majori Dracunculo, ac minori, verba facit *Amatus Luſitanus in 2. Lib. Dioſcorid.* & varias eſſe ſerpentariæ ſpecies ait *Plinius Lib.* 24. & poſt eum *Matthiolus ſuper Dioſcorid.* Semen tamen cujuslibet eſt venenoſæ virtutis teſte *Ardoyno* & fortioris efficaciæ, quam ſint hujuſce plantæ folia, & radices. Semen igitur in potu, aut cibis ſumptum, guttur aſperitate afficit, pungit linguam, gingivas, & dentes vexat, & univerſo corpori ingentem calorem inducit ſuadente *Matthiolo*. Inſuper teſte *Ardoyno*, nauſeam movet, ſingultum, ſyncopem, & aliquando ſanguinis vomitum,

quorum ſymptomatum cauſas referrem in particulis ſeminis harum plantarum, quatenùs iſtæ, cùm ſint ſalinæ ſpiculis ſuis acutis, ac perforantibus gutturis poroſitates ingreſſæ, ac linguæ & gingivarum, harum partium ardorem, & dolorem pariunt; ad univerſum verò corpus delatæ fibras muſculorum irritando, ingentem calorem ſuſcitant, ventriculi tunicas internas pungendo, nauſeam, & ſingultum, atque etiam vaſcula minima ejuſdem Ventriculi lacerando, ſanguinis vomitum excitant. Ad quæ advertenda mala primò *P. Andr. Matthiolus Lib. 6. in Dioſcor. cap.* 7. laudat Butyrum hauſtum, & hordeaceam farinam in pultem conformatam, ac Oleum Amygdalinum; iſtis enim remediis, cuſpides ſalium nocentium inviſcantur, atque ineptæ redduntur particulæ horum ſeminum ad feriendum, in quo præcipuè vis hujus Veneni conſiſtit. Secundò juvare poſſunt Lac Vaccinum, ac Emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum, quas crebrò uſurpandas putarem, ut ſic non tantùm ſalium particulæ cicurentur, verùm à frequenti potu veluti dilutæ è corpore humano, vel per lotium, vel per ſeceſſum eliminentur, ſicque priſtinæ ſanitati æger poſſet, Deo adjuvante, reduci.

CAPUT CXII.

De Venenoſa Japonenſium Planta.

DOctiſſ. D. *Andreas Cleyerus in Decur.* 2. *Ann. X. obſ.* 38. de Arundinacea quadam Planta Japonenſium refert, quæ Ran dicitur, & Radicem habet mollem, albam, & ſucci ſummè venenoſi plenam; ideòque à Japonenſibus, & Sinenſibus magni æſtimatur, nam ſi parùm hujus radicis quis comedat, ſtatim mente orbatur, & brevi poſt è vita diſcedit, ſi autem poſt ejus uſum, confeſtim patienti aquam in qua Saccharum album eſt ſolutum præbeatur, tunc nihil incommodi indè patitur ſed vis toxica infringitur. Flores autem hujus Venenoſæ Plantæ dulcem ſpirare odorem ait *citatus Autor*, & eſſe lu-

cei

cei coloris, cum lineolis rubris, Semen verò oblongum, & acutum. Putarem ego cauſam formalem hujus exotici Veneni conſiſtere in acido ſpiritibus animalibus infenſo, cujus particulæ primò eos turbent, agitent, ac ad motiones inordinatas impellant, undè inſania, & delirium, indè tandem ſpiritus prædictos, ſic enervatos figat, unde mors contingat. Pariter *Joh. Schefferus in ſua Laponia* narrat, reperiri apud Lapones herbam quandam, Calceolum Laponicum vocatam, aut Braſſicam Rangiferorum, quæ flores habet cæruleos, cum ſerie triplici ſeminis in calice, folia habet ampliora, quàm noſtra vulgaris Braſſica, caulem craſſum digiti craſſitie, & radicem prorſùs amaram. Inſuper citatus Autor, addit hanc herbam feſtinatione ſumma capere ſua incrementa, latè ſe diffundere, ac ſurgere in altum, ad trium Cubitorum altitudinem, & quandoque majorem. Hæc creditur inutilis, & noxia, quoniam ab ejus eſu omnia Animalia abſtinent; unde *Samuel Rheen*, ait *Animal nullum herbam hanc guſtat, ſed fugit eam, tanquam Venenum.*

CAPUT CXIII.

De Venenatis Herbis, ut Fœniculo, Salvia, Cichoreo.

Accidit aliquandò, & præſertim æſtivo tempore, dùm ſol fervidiſſimos ſuper terram radios emittit, & præſertim Syrio latrante Cane, ut aliquæ Plantæ licet ſua natura innocentes, Venenoſæ experiantur, quatenùs Animalia venefica, ut Bufones, Canes Rabidi, aliaque pravæ naturæ herbas ſuo Veneno inficiunt. Ità in Pruſſia Electorali refert *Illuſtriſſ. D. Chriſt. Franc. Paullinus Academ. Curioſ. eruditiſſ. in ſua Salvia Curioſ. Sect.* 4. Paſtorem quendam duos liberos habuiſſe, maſculum unum, aliumque fœminam, qui in Aurora ſurgentes accepto à Matre jentaculo, quod Panis erat butyraceus, ſolo induſio tecti in hortum ædibus proximum luſuri currunt, ibi-

que propè ſalviam conſidentes ſubitò folia quadam rore adhuc conſperſa decerpunt, & cum jentaculo ſimul devorant. A meridie præcedente enormi vomitu, crebriores ſuperveniunt Lipothymiæ cum magno totius corporis æſtu, altero verò die uterque moritur non ſine ſuſpicione ſuſcepti Veneni. Sic pluries Ego obſervavi peſſima orta eſſe ſymptomata ab eſu fœniculorum, fortè infectorum Venenis animantium malæ naturæ, ut anno 1709. in quadam Famula, quæ poſt manducatum fœniculum in vomitum ingentem incidit, cum ſudore frigido, Cardialgia, Syncope, ac ventris intumeſcentia, cum Coloris mutatione ad citrinum vertente, velut icterico, quæ ope Theriacæ Andromachi, & noſtri Olei contra Peſtem, Deo adjuvante, ſanata fuit copioſo ſequuto vomitu, & alvi fluxu. Anno præſenti 1712. die 14. Februarii, vocatus fui ad viſitandam Uxorem Caſearii cujuſdam noſtri Ferrarienſis quæ diris vexabatur ſymptomatibus, ut cardialgia, Vomitu, dolore ventris intolerabili, & alvi fluxu peſſimo, cum magna ſiti, & virium proſtratione. Interrogavi de cauſa Adſtantes, & reſponſum eſt, ægram in Cœna comediſſe tantùm Anguillam, ex quo cibo orta prædicta mala credendum, & reverà non ſemel obſervavi in Cœna comeſtas anguillas nocuiſſe, ut in Clariſſimo Patre meo dum viveret; accidit, qui quadam veſperè manducata Anguillæ portione, noctu vomitu horrendo, dolore ſtomachi, ac vertigine correptus fuit. Sic pariter de Cichoreo Venenato dicendum; non ſemel enim, maximè æſtivò tempore, dùm ſol fervidiores emittit radios, obſervavi ex comeſtione acetarii venenatos effectus productos fuiſſe, cùm enim tunc temporis Animalia venenata, puta Bufones &c. herbas viru ſuo inficere queant; Hinc eſt, pro acetario, manducatas tales herbas infectas prava ſymptomata ſuſcitare, ut notavi præſertim anno 1704. Menſe Auguſti, in quadam Adoleſcentula, quæ poſt comeſum Acetarium confectum ex Cichoreo, in Cœna, ſub medio noctis, dolores fortes in Stomachi regione, ſingultus, Vomitus, ſudores frigidi, ac Inteſtinorum maxima tormina ſurrexere, cum Ventris inflatione, quibus

ſucceſſit

ſucceſſit alvi fluxus, & demùm icteritia, quæ ad plures dies perduravit; ope tamen Remediorum curata eſt. Curioſam hiſtoriam de virtute Emetica Borraginis in quodam Adoleſcenti, mihi nuper narravit Sacerdos quidam fide dignus natione Hiſpanus: qui Puellus, cùm aliquandò folia Borraginis manducaviſſet, & ſtatim vomitu tentatus fuiſſet, ab hoc ſymptomate edoctus, quotieſcumque purgare Ventriculum volebat, tria, aut quatuor folia Borraginis aſſumebat, & velut aſſumpto emetico pharmaco, ſtatim ter, aut quater evomebat. Hoc autem venenoſum non erat Symptomata, ſed proprietas, & Antipathia adoleſcentis cum Borragine, quarum adverſionum naturalium Hiſtorias paſſim legi apud Medicinæ Magiſtros. Et ego *in Miſcellan. Curioſ. Decur. 3. Ann. 7. Obſer.* 113. de variis hujuſmodi Antipathiis mentionem feci. Attamen multa per accidens evadere Venena ait D. *Frommannus de Faſcinat. Lib. 3. part. 5. cap.* 1. quæ non à primordio generationis, ſed poſteà ab alio extrinſecùs accedente venenatam acquirunt naturam: Ità apud Cavernas ſerpentum, & Buſonum herbas Cordiales, ut Bugloſſum, Borraginem, Meliſſam, Violam, qualitatem induere venenatam teſtatur *Sylveſt. Rattray. de Sympath. & Antipath.* aut cùm res ſalubres horrendis imprecationibus à Lamia adhibitis, vim venenatam, aut lethiferam, Deo permittente, à Diabolo accipiunt; ſic ipſe homo adverſùs hominem contrà naturæ legem inſidiator exiſtit, quod Brutis omnibus in ſui ſpecie animantibus denegavit: ut rectè olim exclamavit *Seneca*, & poſt eum Concivis ſuus *Torreblanca*; undè *Horatius* cecinit

Neque fuit Lupi mors, neque fuit Leonibus unquam
niſi in diſpar feris.

Et tamen, Proh Dolor! verba ſunt *Caſpar à Reies*, quot hominum myriades oblatis Venenis ſingulis annis pereunt; occiduntur, infatuantur, plures enim occidit gula, quàm Gladius.

CAPUT CXIV.

De Gummi Gutta, ſeù Gutta de Jemou.

DE generatione hujus Gummi variæ ſunt opiniones; alii enim dicunt eſſe naturalem; alii verò factitium, quidam ad Eſulam referunt; *Bontius* ad Eſulæ affinem Plantam Indicam; alii ad flores Ricini Indici, colorem verò à Curcuma provenire alii à Tithymalo, & Scammonio derivare hoc Gummi contendunt. Nos cum *Ettmullero*, eſſe ſuccum concretum, Veteribus incognitum dicimus, potiùs quam Gummi, cujus autem Plantæ, ſit ſuccus nondum certo conſtat; licet citatus *Ettmullerus* ſuccum eſſe ex Ricino Indico collectum ſcribat, è radice enim, ait, Ricini vulneratæ deſtillare, & Croco Indico tingi. De hoc Gummi plura apud *Mangetum in Bibliotheca Pharmaceutico. Medica Lib.* 8. *Roſemberg. in Rhodolog. Schroder. in Pharmac.* alioſque Recentes Scriptores.

Nos tantùm verò de ejus Veneno dicamus. Aſſumptum ſiquidem tale Gummi, Vomitum, & ſeceſſum movet, cum magna violentia, & graviſſimis ſymptomatibus, ut obſervavit *Clariſſ. D. Chriſt. Franc. Paullinus Erúditiſſ. Academicus Curioſus in Miſcellan. Academiæ Naturæ Curioſorum Decur.* 1. *ann.* 8. *pag.* 139. de quodam Barbitonſore temerario, qui honeſto cuidam Civi integram Drachmam Gummi Guttæ non correcti, ſed crudi pro una doſi aſſumendam porrexit; unde ſequutæ ſunt purgationes magnæ, Lipothymiæ horrendæ, & ſexcenta alia mala cruentis lachrymis deflenda; Ipſe quidem ægrotus à faucibus orci ægrè tandem retractus inter Lachrymas tamen; & ſuſpiria vitam miſerè traxit, donec brevi poſt excederet. Sic monſtra naſcuntur in Arte ſaluberrima, ſic experimenta per mortes fiunt, & Mundus tamen vult decipi? Deus meliora!

Ex ſymptomatibus igitur, quæ inſequuntur aſſumptionem iſtius virulenti ſucci vocati *Gutta de Jemou*, colligi poteſt, particulas

ticulas ejus eſſe acerrimas, ac ſummè ferientes fibras nerveas Ventriculi, & Inteſtinorum, ex qua fibrarum læſione, dolores, Vomitus, ac diri alvi fluxus habentur; & niſi maturè ſuccurratur, de ægri vita actum eſt. Indicationes ergo curativæ erunt, infringere, & retundere acumina iſtarum particularum, in quibus vis Veneni hujus conſiſtit, & indè inviſcata, atque confuſa per alvum extrà Corpus detrudere, ac demùm fibras corroborare: quod fiet incraſſantibus, & impinguantibus remediis, quæ ſua oleoſitate retundere, ac edomamare valeant ſpicula illarum nocentium particularum. Hoc poterit verò haberi ope Butyri, Olei Amygdalarum Dulcium recenter expreſſi, Lactis Vaccini, Emulſionum, Jurium pinguium, & Aquæ hordei in quantitate aſſumptæ ad diluendas illas particulas. Clyſmata quoque injicienda erunt confecta ex Lacte. Opiata etiam ſunt exhibenda; ut Theriaca, & Philonium, ad ſedandos dolores; omniaque alia remedia erunt præſcribenda, quæ notata ſunt in Capitibus Scamnonii, Tithymali, ſimiliumque.

CAPUT CXV.

De Staphiſagria.

HÆc Planta dicitur à nonnullis herba Pedicularis, & cum aconitis convenit; hirſutum habet caulem, cubito altiorem in multos ramos diductum; Radicem longam, lignoſam &c. cujus Plantæ deſcriptionom dabit cupientibus *Raius*. Naſcitur autem in opacis locis, & præſertim teſte *Matthiolo*, in Iſtria, Dalmatia, Apulia, & Calabria frequentiſſimo proventu. Cauſticam habet facultatem; ideòque meritò inter Venena hanc Plantam poſuit *Ardoynis*, purgat enim vehementer, & cum metu ſtrangulationis; ideòque apud Medicos deſiit ejus internus uſus. Pulvis illius capiti inſperſus enecat pediculos. Semen exhibitum ad pondus granorum duodecim ſurſum, & deorſum purgare aiunt, & ptyaliſmum excitare, unde *Franciſcus de*

le Boë Sylvius cap. de Purgantib. & Saliv. egregiè prodeſſe in Lue Venerea ſcripſit. Certum tamen eſt, ab iſtis Seminibus inflammari fauces, ardoremque ſummum in iis accendi; undè *Matthiolus* vim urendi habere Staphiſagriam edocuit *Comm. in Lib.* 4. *Dioſcor. cap.* 40. cùm enim ſcateant iſta prava Semina particulis acribus, ac incidentibus, hinc eſt, quod ingeſta ſpiculis ſuis pungunt fibras partium internarum gutturis, & œſophagi, unde dolor, & inflammatio oriuntur. Addit inſuper *Ardoynis in Lib.* 13. *de Venen. cap.* 24. poſt aſſumptionem iſtius Veneni, ulcerationes fieri in veſica, & renibus, undè urina excernitur cum ardore, & dolore; accidentia enim, ait ipſe, conſequentia ſunt ſimilia accidentibus productis ab aſſumptis cantharidibus, de quibus ſuprà ſcriptum eſt; acumina enim particularum Seminum Staphiſagriæ eodem pari modo, quo, ut ſuprà innui, pungunt gutturis internas partes, ità delatæ, mediante ſanguinis circulo, ad renes, & veſicam continui ſolutionem in iſtis partibus excitant; unde dolores, ſtranguria, & ulcera lethalia oriuntur; ad quæ avertenda mala commendant Doctores Potum Decoctionis Liquiritiæ in aqua Communi factæ quæ cum modico Gummi Tragacanthæ, aut Decoctionis Sebeſten cum Semine Fœniculi, & Apii. Ptiſanam de Hordeo, Amygdalas Dulces, Emulſiones, Butyrum, Lac, aliaque Pinguia, & Oleoſa, quæ inviſcare cuſpides ferientium particularum, & Salium corroſivorum potentiam enervare poſſint; meritò laudant. Plura apud *Sant. Ardoynum Lib.* 3. *cap.* 24.

CAPUT CXVI.

De Radice Vingaſanæ.

VINGASANA alias Duxumira dicta deſcribitur à *Doctiſſ. Dom.* ANDREA CLEYERO *in Miſcellan. Curioſ. Decur.* 2. *ann.* 6. *Obſ.* 52. his verbis; *Herba eſt ex radice rotunda, fuſca, bulboſa; menſe Julio, vel Auguſto caulem emittit abſque foliis planum, longum, in cujus ſummitate emergunt flores quini* MOLY *inſtar ad invicem*

vicem ex uno tanquam principio, & loco enati, in ſex foliolis florum, quod bulbis proprium eſt, diviſi, tot ſtaminibus cum ſuo Stylo eminentibus. Flores ſunt rubri Coloris cinnabarini elegantes, ſupra craſſa pericarpia lutei coloris ſedentes, ſub quibus ad caulem alia pericarpii folia conſpiciuntur. Poſtquam flores deciderunt, folia demum ex terra erumpunt, & perdurant viridia uſque ad Hyemem, ubi ſub nive tandem putreſcunt, & pereunt; Ideòque Radices, ſeu bulbi diù in terram jacent, antequam flores erumpant. Radices ſunt Venenatæ, undè à Japanis non in cibis aſſumuntur, cujus Plantæ Iconem exhibet ſuprà laudatus Autor citato loco. Verùm quia, & Veneni talis naturam, & effectus non deſcribit; ideò partes ejus componentes ignorantur; & conſequenter Remedia præter generalia Venenorum, præſcribi nequeunt; maximè quia exotica eſt hæc Planta, nobiſque Italis omninò incognita.

CAPUT CXVII.

De Arboribus quibuſdam Venenatis.

De Veneno Cannæ, ſeu Arundinis putridæ meminit *Schenckius Lib. 7. Obſerv.* narrando de quodam Ruſtico, qui Cannas putridas evoluit, totuſque tumuit, cæterum ut Veneno affectus, curatus fuit. Expirant enim ex ſe Cannæ putridæ vaporem quendam prorsùs Venenum ſapientem, ſicut ex vapore exhalante à fœno putrefacto vertiginem magnam ſubortam eſſe in Villico annorum 40. notavi Ego dum Ruri eſſem anno ſalutis noſtræ 1702. menſe Maio ad finem.

De mortifera vi Buxi ſcribit *Lemnius Lib. de ſimilitud.* in viro, qui Cineres Buxi deuſtas aſſumpſit, & morte ſopitus eſt. Buxeæ frondes enim noxiæ, ac pernicioſæ (ſunt ejus verba) corpori humano exiſtunt, quod odor gravis etiam, & viroſus indicat, & ſapor abominabilis, ac amarulentus, quem palatum reſpuit, atque averſatur.

Uſum compertum eſſe, inquit *Chriſtoph. à Coſta de Aromat.*

Tamarindorum arboris umbram ſub ea dormientibus, non minùs noxiam eſſe, quam Arboris Juglandis de cujus pernicie multa ſcripsêre *Grevinus*, *Marcellus Donatus*, & *Schenckius.*

De Juniperi gravi, ac noxia umbra ſic cecinit Muſarum Numen *Virgilius in Eglog.* 10.

. . . . Solet eſſe gravis cantantibus umbra;
Juniperi gravis umbra; nocent, & frugibus umbræ.

Et *Lucretius Lib. 6.*

Arboribus primùm certis gravis umbra tributa eſt;
Uſque adeo Capitis faciant, & ſæpè dolores
Si quis eas ſubter jacuit proſtratus in herbis.

Refert *Henric. Salmuth. in notis ad Guid. Pancirolum Rer. memorab. Lib. 2.* una cum *Jacobo Mollero in ſuo Tractatu de Cornutis Cap. 5.* naſci in India herbam maritos cornutos efficientem, cui nomen eſt *Dutroa*, ex cujus floribus bulbi quædam ſpecies oritur, papaveris bulbo haud abſimilis, in quo nuclei, quales Melones habent continentur, iſti ſi Oryzæ, Vino, aquæ, aut alterius generis cibo, potionique admixti bibantur, cerebrum invadunt, ac ſtultitiam quandam riſu continuo, abſque alio ſenſu, aut ulla rerum notitia excitant, conciliato etiamnum ſomno, qui in viginti quatuor horarum ſpatio duraret, niſi pedes aqua frigida abluerentur. Plura apud citat. *Mollerum pag* 33.

In Peru multas eſſe Inſulas, ait *Thevetus in Coſmogr. tom.* 1. quæ unius imperio parent, in quarum majori Guaiacum Arbor copiosè provenit, item alia fructum ferens pilæ magnitudine viſu ſpecioſum, ſed Venenatum. Hujus ſucco ſagittas Barbari imbuunt, iis adversùs hoſtes in præliis uſuri.

Eſt etiam alia, ex qua ſcarificata ſuccus emanat mortifer, radices tamen ſunt eſculentæ, ex quibus faciunt farinam qua veſcuntur.

De Arbore etiam *Baxamia* dicto fertur, cujus fructus deguſtatus

guſtatus mox ſuffocat, id quod ipſius etiam umbra præſtat, ſi quis vel quadrantem horæ ſub ea moretur. Plura de tali Venenoſa Planta Curioſis dabit *Joh. Schenckius Obſerv. Medic. Lib.*7.

Habere, & Gallos, ſcribit *Joh. Langius Epiſt. Med.* herbam *Limeum* dictam, qua ſagittas tingunt, quod Venenum cervarium vocant, unde *Ariſtoteles* refert Celtas Gallos habere pharmacum tam præſentis Veneni, ut quamprimùm Animal eo læſus conciderit, confeſtim accurrant Venatores antequam virus diſpergatur, carnemque ſauciatam telo virulento excidant ad ſpithami circa vulnus latitudinem; hujuſque Alexipharmacum eſſe creditur folium Quercûs, licet *Aulus Gellius* aſſerat Gallos in venatibus Helleboro ſagittas tingere, quod iis ictæ, & exanimatæ Feræ teneriores ad epulas fiant, ſed propter Hellebori contagium vulnera à ſagittis facta circumcidere latiùs dicuntur, idemque *Plinius* confirmat; non deſunt autem, qui conjectura haud dubia aſſerant, hanc Hellebori ſpeciem eſſe *Hellenium Ægyptiacum.*

D. *Gonzalez de Oviedo* apud *Joh. Bapt. Ramuſium* refert in Indiis Occidentalibus, eſſe Arborem *Xagua* nominatam facientem fructus ad Pyri noſtri minoris *Moſcatelli* vulgò dicti, ſimilitudinem, qui valent ſucco ſuo ſagittas Veneno inficere, & iſti fructus ſolent naſci apud Mare; quocircà, qui Veneno tali afficiuntur, non alio utuntur præſidio, quam abluendo vulnus aqua marina; & notat citatus Autor talis perniciei eſſe Plantam illam, ut ſi quis ſub ejus umbra dormierit, faciei tumore corripiatur; Et ligna ejuſdem, ſi comburantur, tam fœdum efficere odorem, ut dolorem Capitis magnum generet, unde nulli eum tolerare valent.

D. *Alvarus Nunnez in tom.* 3. *Itiner. Ramuſi* de alia arbore venenoſa retulit, ſimilitudinem habere cum Pomariis, cujus fructum ſagittas venenare, vel ſi fructus non adſint, ramuſculum ejus arboris diſcindi, ex quo liquor lacteus extillat, quo lacte infectæ ſagittæ venenatæ evadunt; & talis malitiei, ac peſtilentis naturæ illam Plantam eſſe volunt, ut folia ejuſdem in aqua infuſa valeant Veneno inficere totam aquam, cujus ſi Animalia biberint, confeſtim moriuntur.

De alia penè ſimili arbore in Regno *Macaſſar* legitur in *Decur. 2. ann. 3. Miſcellan. Curioſ. Obſerv.* 45. è qua emanat liquor obſcurè rubri coloris, qui obrigeſcit, & in lapideam quandam duritiem vertit, ſervato eodem colore: qui liquor cum ſit venenoſus valet inficere tela, & ſagittas; nec non ſi manu teneatur, omnes artus rigidi redduntur, & contrahuntur; propterea Collectores adhibent, longas arundines, quibus præfigunt ex ferro cuſpides acutiſſimos, iiſque ſumma vi corticem Arboris vulnerant; & ſic liquorem in arundines emanare permittunt, in quibus is collectus indureſcit; idem enarrat *Joh. Jacob. Saar Norimbergenſis in Hodepotico militari.*

Nardas Anton. Recchus Lib. 5. Rerum Medicarum, Novæ Hiſpaniæ de Chilli de Pipere ſiliquoſo Mexicano narrat, illum manducatum in nimia quantitate producere nephriticos, phreneticos, & pleuriticos effectus, Peripneumonias, alioſque internos, ac lethales tumores, aliaque prava ſymptomata, dum ſeu condimenti vice, ſeu nutrimenti, ut ſæpe Indi ſolent immodicè, aut frequenter utuntur.

Quin idem Autor docet herbam, quæ dicitur *Huembere-qua* excitare pruritum, & exanthemata, deſuper meientibus, colligentibuſque; ex quo ſymptomate colligitur validiſſimo ſale volatili acerrimo conſtare, cujus particulæ ab illa evolando, cutis poros colligentium ingrediuntur, ſicque pruritum pariunt.

De Aro herba apud nos vulgari mihi nuper enarravit honeſta quædam Mulier; ſe vidiſſe Puellum annorum novem, qui poſt manducatum Arum, vomitibus, & alvi fluxu cruento tentatus eſt, cum ſudoribus frigidis, ac convulſionibus, ità ut per tres dies ſine cibo, & potu vixerit in manu mortis; à qua ereptus eſt Divina favente gratia, ope Theriacæ Andromachi, & noſtri Olei *Contra peſtem* nuncupati.

Venenatæ tandem Plantæ ſuccus ſi ponatur apud radicem alicujus ſalubris Plantæ, ut ſuccus Aconiti, Hyoſciami &c. ad radicem Braſſicæ, Borraginis &c. redduntur venenoſæ; ſic Arbores per emphitiſmum producere poſſe fructus vomitivos, purgan-

gantes, deleterios &c. docuit *Sylveſt. Ratray de ſympath. & antipath.* ſi talia medicamina perforato loco, ubi fit Emphitiſmus imponantur artificiosè, undè ubi etiam ſupra dixi venenata animalia, ut ſunt ſerpentes, Bufones, reddunt Plantas cavernis ſuis acreſcentes venenatas, quod verificatur in Salvia infecta, ab halitu, ut dicunt, vel ut Ego puto, à muco venenato Bufonis.

CAPUT CXVIII.

De Venenis mixtis, & arte factis.

HUcusque ſimplicia, atque vulgaria Venena, quorum mentio fit ab Autoribus, tanquàm in Compendium pro viribus exhibuimus; Poſceret modò præſcripta methodus, ut mixta Venena, id eſt compoſita ex variis pernitioſis ingredientibus à malitia humana inventa enumeraremus, & ſigillatim de iſtis ſermonem faceremus. Verùm cùm propè innumera ea ſint, ac multiſſimæ compoſitiones ab hominibus deperditis, ac malitioſis repertæ ad homines nefario more perdendos; & cùm quotidiè componi poſſint miſcendo prava cum pravis, ut tertium exurgat, Venena mixta, puta Pulveres, Aquæ, Olea, ſuffumigia &c. ideò de iſtis tantummodò aliquid inpræſentiarum tumultuariò dicendum, maximè eo quia iſtorum Venenorum mixtorum aperire formulas incongruum puto, ne fortè impius aliquis ad Proximi necem procurandam uteretur. Sunt autem iſta vel interna, vel externa; id eſt, vel propinata, vel appoſita tantum, & tactu, exaltatione, fœtore, aſpectu &c. necantia, ut Venena in Epiſtolis, in Stapedibus, in Flore, in ſubuculis, in Strophiolo, in Enſe, in Cultello, in Tabaco &c.

Turcas Venenum mixtum quoddam habere ſcribit *Cardanus*, quod ſolo contactu homines eodem die interimat; ſic de Gambaiæ Rege ex Indicis hiſtoriis refert *Scaliger*, qui filium

 Veneno

Veneno educavit, & venenoſum adeò reddidit, ut Muſcæ ſolo ſuctu turgidæ interirent, & Regem alium Indiæ adeò venenoſum fuiſſe, ut ſi in alterius nudam cutem expueret, ſputo illum enecaret; Ità etiàm veſtes Veneno infici poſſe teſtantur *Ardoynis*, *Guainerius*, *Ponzetus*, *Cardanus*, *Zacchias* & *à Reies*, quod celebri Herculis hiſtoria ex *Ovidio* probat, cujus etiam in Hercule Ætheo meminit *Seneca*; nam cùm pallam à Dejanira ſibi miſſam ſanguine Neſſi Centauri imbutam indueret, veneno infectus eſt, ob cujus ſævitiem in Monte Ætha combuſſit. Veſtes ergò venenari poſſe ſæpiùs experientia docuit, quod maximè fieri cogito ope liquoris alicujus venenati arte parati ex miſcela rerum venenoſarum, ut verbi gratiâ Vino Arſenicali quodam fermento ſaturato, aut aliquo nobis infenſo menſtruo conſpurcato, quo imbutæ veſtes, per poroſitates cutis particulæ Venenatæ introducuntur, & ſanguinem vitiant cum hominis pernicie. Sic ferunt Hiſpaniæ Annales, inſolentiſſimum Mauritaniæ Regem, Petrum Hiſpaniæ, quem hoſtem habebat, ficta amicitia interficere tentaſſe, cui inter alia eximii Ornamenti Xenia pulcherrimas, ſed veneno delibutas ocreas miſit, potenti adeò, ut ſi quis illas indueret facilè periret. Hujuſmodi exempla plura referunt *Nicolus Serm.* 4. *Matthiolus*, *Sennertus*, *Grevinus*, *Reies*, & alii multi tam Antiqui, quam Recentes Scriptores.

Ex hiſtoriis excerptis à Cteſia Scriptore Antiquiſſimo colligitur, quomodò ſtatim fuerit Veneno necata, quod hunc in modum paratum erat, cavebat enim ſibi Statira diligenter ab hoc malo, quod ei tamen contigit: Una pars cultelli veneno ſuperillinitur, cujus reliqua pars intacta remanſit; hoc ſecatur avicula parva Ovi habens magnitudinem, quæ in duas dividitur partes. Alter dimidiam partem quæ veneno carebat accepit, & comedit, at partem veneno tinctam Statiræ porrexit, quæ cùm eum, qui porrexerat, edere dimidiam partem aviculæ vidiſſet, nec quicquam fraudis animadvertere potuiſſet, ipſa quoque mortiferum comedit Venenum.

De quodam per podicem venenato mentionem fecit *Caſp. à Reies*

à *Reies in Camp. Elyſ. Quæſt.* 61. dum ſcilicet adhiberet papyrum veneno infectum, ut poſt ſeceſſum ſe mundaret. Quin, & ſtapedibus venenatis mortem aliquando nonnullis illatam fuiſſe ſcripſit *Grevinus Cap:* 1. & *Joubertus Paradox.* 10. *Dec.* 2. item ſellæ, & habenæ Equorum inficiuntur, ut ii, qui Equo inſident per poros manuum, atque femorum Veneni particulas patiantur; Nec non Veſtes, cubilia, & interula venenata fiunt; ejuſdemque generis eſſe videntur, quæ viſu, vel olfactu interficiunt, quæque, ſolum guſtata, etſi non devorentur, hominem ſtatim in perniciem agunt nulla temporis mora, quæ quidem omnia ſecum deferunt præſentaneum interitum, ex quo nullum ſubindè fiat reliquum infelicibus moribundis ſuccurrendi tempus. Sic mihi narratum eſt de Circulatore, qui impunè tractare, ac ſumere Venena jactabat, cui appoſitum fuit Vas clauſum, quo aperto, ac ad os, & nares appoſito, illicò, velut fulmine tactus, mortuus cecidit miſer; Dixere nonnulli in Vaſe poſitas eſſe Viperas, & Bufones vivos. Fides tamen penès ipſos. De Glande Sclopetaria venenata meminit *Clariſſ. D. Mich. Bernardus Valentinus* Academicus Curioſus Eruditiſſ. *in Miſcellan. Curioſ. Decur.* 2. *ann.* 8. *obſ.* 77. *pag. mihi* 191. dixit enim in Muſæo D. *Sebaſt. Schefferi*, ſe vidiſſe Glandem ex vitro Antimonii paratam, quam anno 1673. in Sclopeto Galli militis reperiit Officialis quidam Cæſareus, quæ intoxicatam potiùs nequitiam ſapit, quàm ſtratagema militare. Alii dicunt glandes, ſeu globulos Sclopetorum venenatam naturam induere, vel ſi ex ære parentur, vel parata, & calefacta ſucco Scyllæ imbuantur; Sicque pariter Enſes, Cultros, Pugiones, ſagittas candentes immerſas in ſuccum prædictum, venenatam acquirere qualitatem volunt nonnulli.

Morem fuiſſe Scythis perveterem ſcribit *Magnus Eruditionis Theſaurarius Cælius Rhodiginus Antiq. Lect. Lib.* 23. *Cap.* 1. Sagittarum aciem tingere Viperina ſanie, & humano ſanguine, irremediabili ſcelere, nàm mortem illicò afferebat, etiam levi tactu. Adnotat inſuper citatus Autor, qua ratione barbara illa immanitas, genus tale Veneni conficeret; nam ſuppetit

ejus

ejus rei memoria ex Græcis monumentis, præcipueque *Ariſtotelis in admirabilium relatione*, ſi tamen *Ariſtotelis* officinam reſipit ea lucubratio. Obſervabant ergò Scythæ Viperas ubi jam peperiſſent, ſic enim captas diebus aliquot liqueſcere ſinebant, mox ubi computruiſſe viderentur ſatis, in ollam ſanguinem hominis unius totum infundebant, adobruebantque in ſterquilinio, vaſe diligenter obturato, ubi verò, & hic contabuerat, eximebant, ſumenteſque quod ſupernataſſet, jam aquoſum, ſaniei Viperinæ promiſcentes, ita lethale conficiebant Venenum, & Scythæ quidem ſagittis plurimùm utebantur tali pernicioſo delibutis ſucco, ad necem hoſtibus inferendam.

De Veneno ex Vino in quo Aurichalci tenuiſſimæ lamellæ fuere infuſæ, hiſtoriam narrat *D. David Spleiſſius Miſcellan. Curioſ. Dec.* 3. *ann.* 1. *Obſerv.* 57. in Pictore Sangallenſi; additque, quod ſi unum, aut alterum ex illis ſpiculis aſſumpſiſſet, tabes, ac tandem mors inevitabilis acceſſiſſet.

Obiter hîc notandum tanquam per tranſennam referente *D. Carolo Philippo Lombardo in Miſcell. Curioſ. Decur.* 3. *ann.* 3. *Obſ.* 79. Animalia Venenata in Hibernia, nec generari, nec diù in illa ſubſiſtere poſſe; & rationem affert citatus Autor in quibuſdam effluviis, & particulis inprimis ſulphureis, acribus, ac facilè inflammabilibus emanantibus è Terræ viſceribus, quæ ſanguinis reliquorumque humorum circulationem ac fermentationem præternaturaliter adaugent, eorum compagem ità relaxant, ac pervertunt, quo minùs particulæ eos conſtituentes in unum, eundemque ordinem conſpirare poſſint, unde Venenoſæ, ac quæ earum naturam ſupplent, utpotè quæ ad motum ſunt concitatiores, eo quod ſulphureæ ſint naturæ, magis in maſſa ſanguinea, & ſtructura corporis exaltantur, & prædominantur, undè ſanguinis, ac reliquorum humorum circulatio, & fermentatio non ſolùm præternaturam augetur, ſed, & vaſa itidem exceſſivè diſtenduntur, ità ut tumor, vaſorum ruptura, ſuffocationis periculum, ipſaque mors tandem ſubſequatur. Res erit clarior, ac firmiori ſtabit ſententia talo, ſi in mentem revocem anatomiam terræ ejus loci, quæ pinguis valdè, ac ſulphurea eſt, ità ut etiam effodiatur,

diatur, exſiccetur, ac defectui lignorum conbuſtibilium ſubſtituatur, eodem modo, ac Belgæ, qui ex terra ejuſmodi pingui, ac ſulphurea ipſorum ignem parant. Sed è diverticulo redeamus in viam, & venena arte parata levi tantum calamo pertingamus.

De illitionibus quibuſdam venenatis meminit *Cæſalpinus in Art. Med. Lib. 3. Cap. 46.* à ſceleſtiſſimis hominibus factis, ut ſuis temporibus contigiſſe dicit Venetiis Peſte communicata ſolùm illitis oſtiorum annullis, quibus contactis Venenum hauriebatur. Particulas venenatas poſſe elevari à Cadaveribus putreſcentibus, à Paludibus, à fumo Carbonum in Conclavi, & a ſubterraneis cavis quibuſdam, ut in ſpelunca quadam, quæ inter Neapolim, & Puteolos ſuffocantes emittit halitus, apparet notante citato Cæſalpino; Plura de iſtis ſubterraneis evaporationibus nocivis, egregiè more ſolito ſermonem habuit Clariſſ. *D. Leonardus à Capua in ſuis Lectionibus*; quem conſulat curioſus Lector plura ſi cupiat de iſtis antris Venenatis, & exhalationibus nocuis non tantùm volatilibus, ſed ipſis etiam hominibus.

Regnante Philippo Gallorum Rege, quidam Leproſi inventi ſunt, qui ſanie è corpore ſuo manante clam puteos inficiebant, ut ad univerſum Populum lepra tranſiret; quorum ſcelus, referente *Fulgoſio Lib. 9.* cùm aliorum valetudine infeſtum eſſet, omnes vivi in domibus ſuis combuſti fuêre. Unguentum alios confeciſſe narrat *Wierus de Præſtig. Dæmon.* quo illitis portarum vectibus, veneno afficerent; qui vectes tractarent. De Canonico Lavallemi meminit *Bodinus Lib. 4. Dæmonol. cap. 3.* qui ad Decanum Occidendum venenatam Potionem in Calicem poſuit, qui Miſſam faciendo medicatum potum hauſit, atque in terram proſtratus eſt, deindè verò evomuit; Reus autem voluntariè, & ſine quæſtione agnovit factum, & condemnatus ad Curiam Pariſienſem appellavit; Placuit Curiæ hominem reum igni dare.

Ferunt aliqui, referente *Laurent. Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ* contagium hoc mirum in modum propagatum fuiſſe, quod Veſpilones tumulandis peſtiferorum Cadaveribus deputati,

aut excrementa, & ejectiones eorum diſpergerent, vel etiam decedentium halitum panno exciperent, quem mox explicarent coram aliis, qui ea ratione inficiebantur.

Fioravantus referente *Weckero* deſcribit formulam alioquin ridiculam Olei cujuſdam fœtore ſuo homines necantis; cujus fides ſit penes eum; Ego enim talem poteſtatem habere non credo. Formula ſequens eſt.

℞. Therebentinæ ℔. ij., Sulphuris vivi ℔. j., Aſſæ foetidæ ℥. viij. Serapini ℥. vj. Stercoris humani ℥. xviij. Sanguinis humani ℥. x. Miſce & pone in Retortam optimè obſtructam, deſtillenturque igne vehementiore, quouſque omnes ſpiritus exierint.

Pariterque haud credo quod aiunt humani cruoris fæces, detracta aqua, & arefactas cum Styrace commixtas, & in aliquo cubiculo ſuffumigata lethalem afferre odorem, ſic verò tutum fieri aiunt, ſi cepam habebis candidam, quàm excava, ut excipiendis pulveribus ſit apta, intùs conjiciantur aloës partes duæ, tres verò agarici pulveriſati, claudito, & filo ligato, ne dehiſcat, indè Ollæ inditur, & acetum infunditur acre cum mellis dimidio, aquæ ſextuplum è ruffi Juvenis Stercore, & tantundem Roriſmarini, Ollam operculo, & luto Stipato clibano per diei quadrantem calidis efferveſcat ignibus. Hæc ſomniatur *Joh. Bapt. Porta.* Alii Rubetam cum aſpide virulento accipiunt, plumbeo condunt organo, quo extrahi poſſit aqua; modum extrahendi, & utendi ſub ſilentio involvere fas eſt, ne quis ad Proximi perniciem uteretur.

Oleum Tabaci arte paratum Venenum peſſimum eſſe, ait expertus Clariſſ. *Franciſcus Redi* maximum illud Italiæ ornamentum *in ſuis obſervationibus circà res naturales diverſis, & in ſuis Epiſtolis editis Venetiis pag. 219.*

De Venenatis Chirothecis hiſtoriam curioſam habet *Sigebertus in Chronic.* quibus ſcilicet Uxor Creſcentii Conſulis Imperatorem necavit.

De Vino quodam venenato hiſtoriam enarrat *Wierus de Præſtigiis Dæmonum Lib. 3. Cap. 36. pag. 334.* quæ talis eſt. In Nobili familia de Petrinis Bononiæ duo erant Fratres, quorum

rum alter maritus cum Prole numeroſa; in eiſdem ædibus, commorabatur Mater Vidua; Alter verò junior, ſpe conſequendæ hæreditatis univerſæ, totam Familiam è medio tollere ſtatuit conjecto in Vini Dolium Arſenico, ex cujus uſu, cùm gravibus torquerentur ſymptomatibus, convocabantur Medici Mattheus Curtius, Joh. Bertus, & alii, qui in Veneni ſuſpicionem venerunt, quia iiſdem cruciatibus etiam vicinos exagitari, qui fortè Domum ingreſſi, vinum illud hauſerant, intellexerint; Eorum itaque conſilio vas infringitur, Vinoque effuſo, invenitur Arſenicum; hinc curationem aggreſſi, omnes ſaluti reſtituere; præter Matrem vetulam, & Puellum debilem, & infirmum. Fuga ſibi reus conſuluit, & ità Veneni Autor innotuit. Facinus autem hoc contigit anno 1538. menſe Auguſto.

Salem venenatum à Bufonis Veneno, modo quodam arcano, & particulari, quem publici juris facere nequeo, confectum, externè ſæva inducere ulcera, internè verò necem afferre volunt multi.

Equorum è cauda ſetas minutiſſimas incidi aſſerit *Weckerus lib. 5.* rebuſque aliis permixtas eſui præberi, quas cum digerere nequeat æger, Ventriculi, & Inteſtinorum, hærent illæ particulæ plicaturis, & cautè longo occidunt tempore. Aquam Stygiam potentiſſimum Venenum eſſe certò compertum eſt; Itemque aquam fortem, quatenùs penetrantiſſimis ſalium ſpiculis ventris erodere fibras, horrendaque per conſequens excitare ſymptomata valet; ut docent *Sennertus*, *Foreſtus*, *Philipp. Hoechſtetterus*; *Schultzius*, *Hannemannus*, *Pechlinus*, *Tachenius*, *Boyleus*, *Helmontius* & *Mangetus*. De Venenata aqua ex Mercurio ſublimato hiſtoriam narrat *Caſpar. Kôchlichen in Lib.* 18. *Biblioth. Medic. Mangeti Tom.* 4.

Formulam cujuſdam Veneni *Aquetta* vulgò dicti, deſcripſi Ego *in Bibliotheca Medico-Practica. Mangeti Lib.* 18 *pag.* 863.*tomi quarti*; ibique etiam docui ejus remedium eſſe ſuccum Citri, ac Liomniorum, quo multi, quibus exhibita fuit prædicta Aqua Sanati ſunt, & mortem fugerunt. Aquam ſaporis corro-

ſivam eſſe, atque Veneficam ſapere naturam norunt maximè illi, qui cauſticum ex ea componunt, quo parti animalis viventis admoto loco cauterii utuntur. In quodam Manuſcripto curioſo mihi humaniſſimè tranſmiſſo à *Celeberrimo, ac nunquam ſatis laudato Viro D. Antonio Valliſnerio in Patavino Archilycæo famatiſſimo Lectore, & Amico meo perpetuò colendo*, leguntur variæ formulæ Venenorum, ut verbi gratia. *Aqua della Marteloſa*, Venenum in Epiſtola, in Candela. Aqua dicta *della Palermitana*, Aqua manus lavans, & occidens, odor in Strophiolo, & reliqua hujuſmodi. Cùm verò aliquibus iſtorum Venenorum capita, caudæ, & fel Viperarum ingrediantur, illa tanquam erronea, & vana irridet citatus D. *Valliſnerius*, quia Caput, fel, & Cauda Viperæ venenata non ſunt, quemadmodùm notavit etiam *Illuſtr. Redi in ſuo Libro de Viperis*; imò pro Veneno Buffo ipſe non agnoſcitur à ſupra laudato *Valliſnerio*, quia ille ſe obſervaſſe fatetur Millites Germanos ſub ſcandiano comediſſe innoxiè Bufones; & hìc tranſcribere mihi liceat Epiſtolam Italicam mihi jam miſſam à citato *D. Valliſnerio*, quæ talis eſt.

Illuſtriſſimo Signore LANZONI *Padrone Colendiſſimo.*

„ NON è dovere, che V. S. Illuſtriſſima riceva il tedio „ delle mie Lettere, ſenza mai tintura alcuna di cu„ rioſità. Trè Iſtoriette Curioſe, e vere voglio narrarle, „ che non faranno male nella ſua Storia de Veleni, ſe ſi de„ gnerà d'inſerirle. *Prima*: Uno voleva sbrigarſi dalla Mo„ glie, che per alcuni anni languiva di febre Etica con Fti„ ſi, & era già tabida, e fetente; Era ſazio di penare, e di „ vederla penare; onde penſò di levarla preſto dal Mondo „ dandole l' Acqua celebre del Peteſino Mantovano; ma gli „ riuſci tutto alla roverſcia, poichè incominciò a migliorare, „ e quanto più ne dava, tanto più ſtava meglio, e venne „ ſanna, e pingue, ed'ancor vive; L' Acqua ſuddetta era

fatta

„ fatta con Arſenico, Riſagallo, e Roſpi, bollito il
„ tutto in una pignatta di Rame non ſtagnata col coperchio
„ ſimile per ore 40. La doſa degli ingredienti è un' onzia
„ per ſorta de ſuddeti Veleni, e un paio di Roſpi in due Li-
„ bre d' Acqua. La doſa poi dell' Aqua da dare a pazienti
„ è un' onzia per volta data trè volte. *Secunda*: Un' al-
„ tro Geloſo di una ſua Concubina, che teneva in Caſa die-
„ de alla medeſima nel Cibo polvere di Cantaridi in molta
„ quantità a diſcrezione, le quali le cagionarono un' ulcere
„ doloroſiſſimo negl' inteſtini. Queſta gridava tutta la notte
„ per il dolore; onde per farla tacere, e dormire perpetua-
„ mente le diede due Dramme in una volta di Laudano O-
„ piato. Dormi trè giorni, e trè notti intere, e ſvegliata do-
„ mandò da cibarſi, ne ſenti più dolore alcuno, e perfetta-
„ mente guarì. *Terza*: Una Giovane delirante, e impazzi-
„ ta per Amore tentò varie maniere d'auvelenerſi, ma non gli
„ ſorti mai. Chiuſa in una camera domandava ogni giorno
„ delli Aghi da cucire, ne gli reſtituiva, finalmente dopo
„ vari rimedi guari: All'improviſo gli nacque un tumore nel
„ Collo, che creſceva ogni giorno acuminato ſenza marcia,
„ dal quale finalmente uſci un' Agho degli inghiotiti, poco
„ doppo in un' altro ſito un' altro, e coſi in vari giorni da
„ vari ſiti uſcirono ſette, o otto Aghi da cucire ſenza danno
„ alcuno imaginabile, poichè ſubito, ch'era uſcito ſi cicatri-
„ zava la parte, e perfettamente rammarginavaſi ſenza dan-
„ no alcuno. Confeſſò, che quando era delirante tutti gli in-
„ goiava per ucciderſi, ma non gli venne mai fatto. Queſt-
„ trè caſi veramente carioſi accadero ſul Modeneſe. In tanto
„ io la riveriſco e reſto al ſolito

Padova 27. Decembre 1707.

D. V. S. Illuſtriſſima

Devotiſſimo Servitore Obligatiſſimo
ANTONIO VALLISNIERI.

Nec ſilentio prætereundum puto, peſſima oriri ſymptomata ex aſſumprione Vini, in quo infuſum fuerit Tabacum, vel Sal Commune, vel Anguilla viva, donec in ipſo vino moriatur. Primum expertum vidi anno 1692. in quodam Milite, cui Pulvis Nicotianæ in Vino exhibitus eſt; & poſt duas horas, vertigine, ſudore, Cardialgia, & ſyncope correptus Morti vicinus exſtitit; Vomitu autem excitato, aliiſque exhibitis remediis convaluit. Secundum notavi in Fabro Ferrario annorum 33. qui menſe Octobris anni 1701. propinatam ſibi à vetula quadam potionem Vini cum ſale aſſumpſit, ex qua validiſſima Stomachi paſſio exorta fuit, quæ ad Orci fauces] quaſi patientem traduxit. Tertium demùm obſervaſſe me recordor Anno 1707. in quodam Plebeio, cui Conjux porrexit bibendum Vinum, in quo priùs mortua fuit Anguilla, & hoc ut Maritum ab ebrietate arceret; Plebeius enim ille ferè quotidiè ebrius domum redibat. Aſſumpto autem tali Vino, Vomitu, nauſea, ſingultu, Cardialgia, nec non aliis diris ſymptomatibus tentatus eſt, à quibus difficulter liberatus, abſtemius autem factus, Vinum in poſterùm reſpuebat.

Memorabilis eſt hiſtoria *D. Giſberti Horſtii*, quæ talis eſt. Romæ quidam Hydropicus diù decubuit, cujus Uxor tandem ſumptuum pertæſta veneno illum tollere decreverat, quare Bufonis in olla uſti pulverem ægroto propinat, unde ille copioſum reddit lotium; hinc denuò eundem Pulverem exhibet, ut citius illi ærumnoſam, ſumptuoſamque Vitam cum præcipite commutaret morte, qui multò uberiore exonerata per veſicam ſaburra aquea convaluit, præter Conjugis expectationem; unde hîc quadrat illud, quod *Ovidius primo Metamorphoſ.* cecinit.

. . . . non hoſpes ab hoſpite tutus
Non ſocer à genero; fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa Mariti
Lurida terribiles miſcent aconita Novercæ
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Ut

Ut Dominum ſuum perderet olim Famulus quidam ei propinavit Mercurium in pulmento, à quo nihil moleſtiæ ortum, ſed Vermes in magna quantitate per alvum expurgati fuere, ut candidè mihi faſſus eſt Religioſus fide digniſſimus. Similemque caſum narrat Auſonius in Epigramm. 10. canendo

Toxica zelotypo dedit Uxor macha marito ;
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi ;
Cogeret, ut celerem vis geminata neeem ;
Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta Venenum
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet,
Ergò inter ſe ſe dum noxia pocula certant
Ceſſit lethalis noxia ſalutiferæ ;
Protinùs & vacuos alvi petiere receſſus :
Lubrica dejectis, qua via nota cibis ;
Quàm pia cura Deûm prodeſt crudelior Uxor ;
Et cùm Fata volunt bina Venena juvant.

E Gallia togata quidam mihi retulit de impia quadam fœmina, quæ parabat fumum tam venenatum, ut qui eum odorabat, ſtatim in crudelem cephaleam incideret, imò Puellos ſonticis affectibus tentatos ex hoc fumo fieri autumavit ; ſic quod halitu Venenum fit, eſſe omnium præſtantiſſimum, atque efficaciſſimum docuit *Wierus de Præſtigiis Lib.* 4. Enim verò tenuiſſimum, cùm ſit, ſpiritu attractum ociſſimè per Pulmones in Cor viſcus vitæ primarium, atque in Cerebrum per nares propagatur, & in univerſum Corpus prorepit, primumque ſpiritus, indè humores, poſtremò ipſam partium ſubſtantiam vitiat, atque contaminat ; ſic efficaciter vapore tantùm mediante operabatur Stygis Aqua illa de qua *Lib.* 8. ſcribit *Pauſanias*, cum *Diodoro Siculo.* Fœtorem enim illius quidquid animantium accedit ſubita morte extinguere aiunt ; anhelitu enim diutiùs compreſſo, & reſpirandi facultate, ſunt verba *Diodori Siculi*, per vim exaltationis intercluſa præfocatur, & continuò turgeſcens cadaver inflammatur locis maximè circa

Pulmo-

Pulmones ; Et memoriæ proditum eſt vi hujus Aquæ Stygis enectum Alexandrum Magnum ; mortifera enim illa eſt, teſte *Pauſania* , cùm homini , tùm cuivis animantium generi, nam, & Capellæ ſæpiùs aquæ illius potu extinctæ ſunt ; Accedit quoque quod vaſa , & pocula omnia , ſive vitrea, ſive cryſtallina, ſive murrhina , ſeu è lapide, aut teſta ſint fictili aquæ illius vi franguntur , quin etiam Ferrum , Æs, Plumbum , Stannum , Argentum , & electrum, ea aqua per infuſionem ſolvuntur ; ipſum quoque Aurum , quod neque ſitu , neque rubigine deteri , res ipſa indicio eſt , aquæ tamen hujus virus non ſuſtinet. Porrò notandum Stygis aquam ungulam Equi ſuperare non poſſe , hâc enim ſolâ ità continetur , ut vaſculum non findat. Fides tamen ſit penès citatum *Pauſanium.* Aquam Communem , in qua bullierit , priùs ſublimatum , & Plumbum cum ſale , ſummè venenatam eſſe volunt multi , ejuſdemque perniciei , ac eſt Mercurius ſublimatus ipſe, mitioris tamen acutiei , ratione Plumbi, qui non nihil hebetat moleculas acutas ſublimati, unde ſegniùs operatur , & Mors lento pede accedit. Quædam Furia, non fœmina, ope viridis æris , talem Aquam venenatam arte barbara præparabat , qua exhibita, & præſertim in ſpiritu Vini , necem ſe dare potanti poſſe jactabat. Utinam experta non fuerit ; quemadmodùm fecere olim Matronæ illæ, apud *Valerium Maximum Lib.* 2. *Cap.* 5. quæ cum viros ſuos clandeſtinis inſidiis Veneno peremerunt, & unius ancillæ indicio protractæ pars , capitali judicio damnata , centum ſeptuaginta numerum implevit. Multi quoddam Magiſterium è Cantharidibus arte conficiunt arcana , quo partes internas corporis exulcerant, atque inferunt mortem, Sic *Plinius* referente *Joh. Raviſio Textore* , narrat Coſſinum Equitem Romanum Neronis amicitia notum Lienis morbo laborantem occiſum eſſe, eo quod vocatus ex Ægypto Medicus , ut ejus morbo mederetur, cum Cantharidum potum præparaſſet, eique porrexiſſet ægrum interemit.

Oleum Ricini in modica etiam quantitate aſſumptum excitaviſſe in Plebeo quodam vomitum , & alvi fluxum , & dolores

lores validos, obſervavit Clariſſ. *Franc. Redi in Obſervation. de Viper.* ſex verò guttas hujus Olei exhibiti Pullo nullam attuliſſe noxam. Referunt *Ambroſ. Pareus*, & poſt eum *Clariſſ. D. Bernardinus Ramazzinus Amicus*, *ac Dominus meus perpetuò venerandus omni eruditionum genere inſtructus*, *& in Patavino Archilycæo Lector ſapientiſſimus in ſuâ de Morbis Artific. Diatriba pag.* 32. Clementem Septimum P. M. præeuntis venenatæ facis toxico, per fumum in Corpus admiſſum, interiiſſe; particulæ enim volatiles illius Veneni, per inſpirationem in Cerebrum; & Pulmonem ingreſſæ ſpiritus non ſolùm animales, ſed vitales quoque, & ſanguinem inficere valent, unde Mors derivat. Nonnulli Oleum Euphorbii, & Hellebori aſſerunt, eſſe Venenum, maximè ſi vulneribus inſtilletur. Verùm contrarium eveniſſe ſcribit Illuſtr. *Dom. Redi in Experim. naturalibus*, dum ipſe in diverſis vulneribus expertus fuit, talem inſperſionem oleorum nempè Euphorbii, & Hellebori, nullam attuliſſe noxam; hæc ſunt ejus verba præciſa.

Dall' Euforbio, e dall' Elleboro ho fatto cavare a mia poſta l'Oglio, e avendolo eſperimentato in diverſe maniere di ferite, l'ho ſempre trovato privo di Velenoſità &c.

Ruſticum olim Aquæ vitæ uſu, in qua infuſum fuerat ſublimatum, ſemetipſum necaviſſe deſperatione percitum, mihi retulit Civis noſter Ferrarienſis fide dignus, qui à Domeſticis ejus id acceperat; id autem eveniſſe dicebat ſpatio unius menſis. Sic pariter fœminam plebeiam morte damnatam fuiſſe aiunt, eo quod Maritos ſuos tres, ope viridis æris in beta cocta porrecti, unum poſt alium fraudulenter necavit.

Licet laudanum Opiatum potentiſſimum ſit remedium, attamen, ſi immoderatè ſumatur, Venenum quodammodò dici poteſt; ſic leguntur paſſim hiſtoriæ Mortuorum ex nimia quantitate Laudani Opiati aſſumpti; Licet, quod raró tamen accidit, innoxiè in excedente doſi, aliquando ſumatur; ut accidit nuper in quodam Nobili Viro Melancholico, qui viginti quatuor grana Laudani Nepenthes Quercetani ſumpſit; ut in placido ſopore ſepultus moreretur, quod tamen haud ac-

cidit, nam Urinam copioſè emiſit, & ſic nullam perſenſit noxam, & hoc accidit hoc anno 1712.

De quodam Veneno uſu formicarum ad ſagittas inficiendas facto, meminit *Clariſſ. ac Eruditiſſ. D. Lochenerus in ſua Myrmecologia Part. 3. membr. 3.* quod eruditum opus ut publici Juris faciat enixè, Illuſtrem Autorem rogo.

De Veneno confecto ex ſemine Hyoſciami, & Buffone cum Vino meminerunt aliqui; imò ex ſolo ſeminis Hyoſciami ſuffitu venenoſa ſymptomata ſuborta notavit *in centur. 3. ſuar. Obſerv. Hiſtor.* 24. *D. Hagendornius*, referendo, filiolum Coriarii cujuſdam nondum annum ætatis unum tranſgreſſum fuiſſe, qui præter pavorem, vociferationem, doloreſque cruribus inſiſtere nequibat cum febri, languore &c. Audivit inter ſermones cum Parentibus habitos, vicinam quandam doloroſa crura ſemine hyociami ſuffumigaſſe; Quid fit? Infans hic plus incaleſcere, difficulter ſpirare, & circà auroram ſequentis diei convulſivis artuum motibus agitari cepit, datis licet antiepi lepticis, cordialibus &c. mortuus tamen fuit.

Exemplum delirii ex Hyoſciamo notavit *Bierlingius*; ex Decocto florum Hyoſciami epilepſiam ſubortam fuiſſet refert *Seligerus*, ex ſalino-ſulphureis fœtidis enim atomis convulſivas irritationes oriri poſſe putavit *Illuſtriſſ. D. noſter Præſes Lucas Schrekius in Scholiis ad Obſerv.* 138. *Ann.* 1. *Decur.* 2. *Miſcellan. Academ. Curioſor. pag.* 341. Incautè comedit Infans ſemina Aquilegiæ, Raporum & Hyoſciami, & mortem eſſe ſequutam ſcripſit *Langius de Morbill. Coroll.* 3.

Decoctum cum ſale, & Cicuta ex aqua paratum, moleſtiam afferre poſſe mihi retulit Venetus quidam; qua de re hiſtoriam narrat *Clariſſ. D. Hagendornius* de quodam Artifice, qui Carnem bubulam elixam cum Petroſelini radicibus, ceu putabat, comederat, ex cujus uſu tum ipſe, tum Conjux paucis à ſumpto hoc ferculo horis inſanire, ridere, vociferari, aliaque inſolita exercere ceperunt, tanta cum violentia, tantoque cum Domeſticorum metu, ut vinculis digni judicarentur. Res tùm temporis ad Magiſtratum defertur, inquiritur cauſa, ad amuſſim omnia examinantur, tandem auditur poſt eſum

éſum edulii hujus eſſe ſecuta hæc ſymptomata; Reliquiæ edulii probè examinatæ, radices, & folia Cicutæ, loco Petroſélini in conſpectum præbent; Interrogata Ancilla, undè deſumpſerit hujus farinæ Petroſelinum, reſpondit exhorto domeſtico. Jubetur recens herba afferri & Cicuta ex figura cognoſcitur; Similem caſum refert *Kirchérus de Peſte*.

Sal imbutum ſpuma Buffonis, uti dixi ſuprà, non tantùm Venenum evadit, ſed Saccharum quoque, hoc enim ſal dulce vocatur, & ad multos inficiendos Coquus quidam Gallus utebatur tali ſaccharo ſpuma Bufonis imbuto, quo edulia condita, edentibus offerebat non ſine noxa; quod mihi retulit *Octavius Capellus* Medicus olim noſter Ferrarienſis Doctiſſimus, modò Hydrope denatus.

Radix ſolani Sylvatici ſi in poculum Vini injiciatur, & de Vino illo alicui propinetur, ab omni cibo alienum aſſumentem fore, ait *Geſnerus Lib.* I. *Epiſt.* cum *Schenckio Lib.* 7. *Obſerv.* quod ſi cochleare aceti, aut Succi Limonis biberit, ſtatim liberatur, ac edit, & ita contra alia Venena maximam vim habere ſuccum Citri, Limoniorum, atque aceti credendum.

De Pompeio Columna Cardinali, refert *Jovius in ejus Vita*, qui poſt comeſtas ficus multa nive refrigeratas in complexu Auguſtini Niphi Philoſophi, integris ſenſibus expiravit; hoc tamen per accidens fuit, ficus enim licet glacie frigefactæ venenatæ non ſunt; potiùs verò dicendum, vel à magno frigore, vel ab alia venenata materia immixta fructibus illis Mortem derivaſſe.

Quidam immiſcuit Tabaci pulveri Cantharidum pulverem, & ſtatim ſummo Capitis dolore eſt correptus, una cum mictione cruenta, vix enim tali odorato pulvere ſymptomata prædicta inſurrexere. Ità Coſſinus Eques Romanus, teſte *Plinio* amicitia Neronis notus cum lichene laboraret, vocato ex Ægypto Medico, Cantharidum potu ab eo interemptus eſt.

Pravus eſt etiam, ac venenatus anhelitus felium, ſi *Schenckio* fides habenda. Quidam enim fuere, qui cùm noctu

Mm 2 in

in Lectis feles ſecum habuiſſent, & infectum ab eis aërem inſpiraſſent, hectica febri, & maraſmo tandem conſumpti miſerè perierunt.

Anno 1537. 24. Novembris, referente *Petro Foreſto Obſerv. Lib.* 30. fuit exhibita in Curia Romana in Carceribus ſabellicis mixtura venenoſa ſequens duobus morte damnatis, quæ habebat ſublimati ʒ. j. Arſenici. Criſtallini, Riſagalli ana ʒ. ß. Nucis Vomicæ ℈. ij. Gallorum Elephantinarum No. ij.; Radicis Thymeleæ ʒ. j Cantharidum ʒ. ß. Napelli ʒ. j. Virus quod deſtillat ex dente Viperæ ℈. j. omnibuſque in pulverem redactis tenuiſſimum cum Saccharo roſaceo facti ſunt boli octo, & quatuor uni exhibiti ſunt, & alteri ſocio ſuo quatuor, & juſſi ſunt ſtare apud ignem. Ego autem fateor hanc mixturam valdè venenoſam eſſe, utpotè quæ componitur ex variis, ac præcipuis corroſivis, quæ ſuis penetrantibus, ac ſcepticis particulis componentibus lacerando fibras internas viſcerum brevi mortem adducunt.

Scientiam Fœminarum in Veneficiis prævalere novit etiam *Plinius*, & poſt eum *Frommannus de Faſcinatione Lib.* 3. Hinc fœminas veneficiis apud Romanos Primùm uſas eſſe, autor eſt *Titus Livius*; & ſanè faciliùs ira percitæ venena miniſtrant Mulieres; Sic Vetula quædam præparabat venenoſam potionem ex Mercurio ſublimato, Opio, Calce viva, & Lixivio, ex cujus aſſumptione de facili mors accedebat, propter ulcerationem in Ventriculo, & faucibus factam.

Admodùm Rever. Pat. Franciſcus de Lanis Soc. Jeſu *Sacerdos Philoſophus, ac Mathematicus Inſignis in tom.* 2. *ſui Magiſterii Naturæ, & Artis*, pro certo docet, in omni Corpore venenoſo latere ejuſdem veneni antidotum; ſic ait Ipſe in Nicotiana, Oleum, quod diſtillatione ultimò egreditur, Venenum eſſe omnium pene efficaciſſimum, quemadmodum etiam *Clariſſ. Redi* teſtatus fuit, & nihilominus, aqua ex viridi illa planta ſuavi colore balnei deſtillata ſanandis vulneribus ſola eſt remedium præſentiſſimum, adeò ut nullum ad hunc uſque diem aliud præſtantius remedium ad vulnera, ſe obſervaſſe ait citatus

P. La-

P. Lana; imò addit, Pinguedinem Viperinam, Veneno Viperæ remedium eſſe infaillibile, & obſervat, quod ſi Venenum ſitum ſit in partibus volatilibus, ejuſdem remedium invenitur in partibus fixis: ſi verò Venenum ſit in partibus fixis, ejus Antidotum inveſtigandum eſt in ejuſdem Venenoſi Corporis partibus volatilibus & ſic, cùm Oleum Nicotianæ vulneri inſtillatum Venenum ſit, ejuſdem herbæ liquor aqueus vulnera ſanat, ut ſæpiùs ſe expertum eſſe fatetur *citatus Lana Tom. 3. Lib.* 24.

CAPUT CXIX.

De Amuletis contra Venena.

IN præſenti Capite nonnulla enumerabimus Amuleta adverſùs Venena, à diverſis Autoribus decerpta quorum fides ſit apud ipſos; quoniam circà iſtorum uſum multum vanitatis, nec non ſæpè ſuperſtitionis etiam concurrit; undè à Galeno remedia irrationabilia, & abſurda dicebantur; Attamen aliqua ex iſtis naturalibus viribus pollent propterea non prorsùs rejicienda; Undè ſaltem eruditionis gratia curioſo Lectori ſequentem Amuletorum Catalogum porrigere nòn incongruum putavi. Sit ergo contra ictus venenatos primùm Amuletum Lapis Bufonis juxtà *Mizaldum.* De hoc lapide, & quomodò eliciatur à Bufonibus, & quomodo iſte Lapis verus probari debeat, videatur *Joh. Ad. Weberus*, *Paulinus*, *Henr. Kippingius*, *Ant. Le Grand.*, *Venturinus*, *Lemnius*, *Rulandus*, *Sachſius*, *Gaffarellus*, *Baricellus*, *Muſ. Calceolar.*, *Schroderus*, *Camerarius*, *Wormius*, & *Joelis*, qui, inquit, lapidem in capite Bufonum repertum Auro incluſum, indigito delatum, omnis Veneni præſentiam oſtendit, ſudore enim madeſcit.

Idem alii dicunt de Lingua Serpentis, quæ propriè eſt dens Lamiæ; Porrò Bufones ipſos exſiccatos, manuque retentos curare læſos à Bufone teſtantur *Bartholinus*, & *Paulinus.*

Adamantem Orientalem, Achatem, Hyacinthum, Sapphirum, Smaragdum, & lapidem Draconitem, Venenis contrariari multi putant. His autem remediis non nimis eſſe fidendum ait *Matthiolus*. Exuvias ſerpentum laudant alii. Porrò ſerpentum oculos annulis incluſos, atque geſtatos, ut Carnes tangant, pro Curatione, & præſervatione Venenorum commendat *Wormius in Muſæo*. Idem de Gloſſopetris aiunt alii, à multis Gloſſopetræ pro dentibus Canis Carchariæ reputantur. De quibus legatur *Wagner. Hiſtor. Helvet. Helvvigius Conſ. med. Jo. Reishius*, & *Wolfius in Scrutin. Amulet.*

Cornu Monocerotis in digitis geſtatum à Venenis præſervare ait *Andr. Baccius de Unicorn.* communiter etiam venditant, quod Unicornu ſudet præſente Veneno, ſed pro falſo declarat *Primeroſius Lib.* 4. *de Vulgi error.* De quodam lapide extracto è capite Serpentum Indorum à Luſitanis *Cobras de Cabelo* nuncupato, referunt aliqui contra venenatos ictus miram vim habere; quam tamen virtutem negat *in ſuis Experimentis Dominus Redi*, longum habendo ſermonem de hoc lapillo. De poculo Indorum Regum ex Unicornu, ad indicandum, & infringendum Venenum meminit *Philoſtratus*, cum *Paulo Ammanno de mat. med.* De poculis pariter factis ex Fraxino tanquam contra Venena meminere nonnulli, inter quos *Henr. Salmuth. comment. ad Pancirol. Lib.* 2. Quin, & Fraxini ſuccus ad Serpentum morſus mirabili ſucceſſu à Practicis uſurpatur, advertente *Ant. Le Grand. in Curioſ.* & hoc putant Scriptores provenire ab antipathia Serpentis cum hac Arbore, unde retulit *Plinius hiſt. nat. Lib.* 16. *cap.* 13.) tantam eſſe vim hujus Plantæ, ut ne matutinas quidem, occidenteſque umbras, quàm ſunt longiſſimæ Serpens arboris ejus attingat, adeò ipſam procul fugiat; imò ſequitur ipſe *Plinius*, apud quem tamen fides ſit; ſi fronde ea in gyro claudatur ignis, & ſerpens, in ignem potius, quàm in Fraxinum ſerpentem fugere; Sed de Fraxino, & aliis quibuſdam Plantis ſerpentibus contrariis, ſi vario modo adhibeantur, licet multi non ambigant, id tamen in fabulis refert Inſignis *Franc. Redi in Obſ. de Viperis. Ælianus* pariter narrat Atticas Mulieres

Agni

Agni foliis Cubilia ſubſternere, quod ſerpentibus eadem ſint in feſta. Et *Lobelius* aſſerit odore ſolo Balſami Viperas enecari; quod negare tamen videtur *Paulus Ammannus.* Porrò ſpinæ albæ ſemen expellere Serpentes ait *Dioſcorides*, ſed exiguam Fidem huic Amuleto tribuit *Sanctorius de vitand. errorib. Lib.* 8. Betonicam laudat *Plinius*, ſicuti Myrthum Panicam. *Sim. Paulli in Quadrip. Botanic.* veluti herbas optimas adversùs ſerpentes.

In ſua Hiſtoria Æthiopiæ D. *Job. Luldolfus* ait omnia herbarum miracula ſuperare *Aſſazoe* Plantam efficacem contra Aſpidum venena, ut nocentiſſima ſerpentum genera hac herba tacta ſopiantur, & ceu mortua jaceant, quin, & umbra illius Viperis ſtúporem inducit, ut ipſas innoxiè tollere poſſis, & qui radices hujus herbæ manducaverit inter hydros, & Cherſydros ſine metu ambulare poterit, imò annos multos ab eis tutus erit; Viſique fuerunt Abyſſini, his radicibus uſi, angues venenatiſſimos inſtar Anguillarum manu tractare, collo inſtar collaris circundare, eoſque quandò liberet impunè occidere.

Clariſſ. D. Matthæus Blavv *Medicinæ Doctor Sapientiſſ. in Univerſitate Friburgenſi*, *atque Academ. Curioſus eruditiſſ. in cent.* 1. *obſerv. Acad. Cur. n°.* 4. docet, Petroleum, & internè] & externè certum eſſe Antidotum contra Napelli virulentiam. Magnam ſpem adversùs Venena ponunt multi in lapide Bezoar, quem Amuleti inſtar adhibitum vim Venenis adimere ſcribunt *Cardanus*, *Wormius*, *Serapion*, *Bodinus*, & alii.

Lachrymam Cervi corpori alligatam contrà Venena valere ait *Cardanus.* De Cervi dente idem inquit Agricola, imò ejuſdem efficatiæ eſſe Ungulam dextri pedis volunt alii. Si Corio Cervi induatur homo, is à Veneno tutus erit, teſte *Sexto* Philoſopho Platonico, Pariter os de Corde Cervi geſtatum à venenoſorum animalium morſibus immunem reddire conſtat ex *Theatro ſympth. Rattray*, cui opinioni ſubſcribit etiam *Baricellus in hort. Genial.* Sic *Ælianus*, & *Mizaldus* volunt, Serpentes nunquam accedere, ubi adeps Cervi jaceat. Cornu Rhinocerotis Alexipharmaci titulo in Muſæo ſuſpendi *Imperatus* notante

notante *Thoma Bartholino de Unicornu*, & *Jacob. Wolffio in ſcrutin. Amulet. Medic. cap.* 2. *Sect.* 1.

Laudat *Rhumelius* ſequentem mixturam, quæ ſi prope Cor geſtetur omnis generis Venena fugat, ipſo tamen ſuadente. ℞. Antimonii crudi ℥. iiij. Reguli Stellati pulveris. ℥. ij. Arſenici Albi ʒ. j. fiant cum Tinctura Microcoſmi, & Mucilagine Tragacanthæ, orbiculi cum ſign. Scorpionis. Pariter Cor Upupæ collo appenſum virus omne evitare ſcribit *Alex. Venturinus in med. Animal.*; & *Ego* innui *in mea Zoologia parva part.* 2. *cap.* 27. imò Lupi oculum dextrum collo portatum idem facere ſcripſi in *citata Zoologia part.* 1. *Cap.* 26. De ſmaragdi viribus contrà Venena multa refert *Petrus Johannus Faber in Panchim. Cap.* 15. & *Jacob. Wolffius in ſcrut. Amulet. Medic. pag.* 419. De aliis Gemmis etiam Amuleti loco contrà Venena geſtandis videatur *Helvvigius*, & *Henr. Kippingius in Inſtitut. Phyſic. Lib.* 6. Ramus Mali Granatæ Animalia Venefica fugat, & Corylus ſerpenti funeſta eſt, ut aiunt *Honor. Fabri de Plantis*, *Weckerus de Secretis*, & *Anton. Mizaldus de Secret. hortor. Lib.* 1. quo in loco etiam docet, quod ſi Abſinthium, Artemiſia, & Abrotanum per ambitum horti plantata, vel in angulis commodè ſint diſpoſita, ſerpentes nequaquam illic ſtabulent.

Filicis folia Serpentem non recipere legitur in *Wolffio loco ſupra citat.* Apud *Plinium* habetur, quod ſi locum, in quo verſantur Scorpii, ſurculus, ſivè ramulus veri Heliotropii circumſcripſerit, illi hinc egredi haud poterint; Si autem ipſa herba imponatur, aut reſpergatur protinùs eos emori tradit; idem occidere volunt alii ex tactu radicis herbæ, quam Scorpio idem dicunt, ut ex *Matthiolo* colligitur. Ridiculam Curationem pro iis, qui Scorpionum ictum paſſi ſunt recenſent *Diophanes*, *Apuleius*, & *Zoroaſter*, referente *ſupra citato Wolffio*; quod nimirum læſi à Scorpione retrorſum aſino inſidere debeant aliquandiù, ut ſcilicet facies ad caudam ſit directa atque hinc dolorem illum in Aſinum derivari volunt, eumque non ceſſare priùs, quam Aſinus peditu crebrò ſuccumbat, ac emoriatur; ſed vanitatem hanc eſſe ridiculum nos cum *Mizaldo* credimus. Radis Plantaginis contrà Venena infanti-

fantibus affigitur. Si quis ſilente Luna Rhamnum erutum ſecum ferat, Veneni efficaciam non ſentire ait *Dioſcorides*. Pariter de Anchuſa referunt, ipſam adversùs omnis generis virus vim magnam habere. Efficax eſt Laurus contra Venenum teſte *Martin. Lippenio de Stren. cap.* 3. & *Cornelio à Lapide in Cap.* 8. *Ezechiel.* Malum Citrium plurimùm contrà vim Venenorum prodeſſe ſcripſi *Ego in mea Citrologia*. Bufones venenatos fugare odorem Bryoniæ, vel Rutæ ait *Clariſſ. atque eruditiſſ. D. Chriſt. Franciſc. Paullinus Academiæ Naturæ Curioſorum maximum ornamentum in ſuo Bufone Curioſo pag.* 52. Radicem Pæoniæ frequenti in uſu eſſe Afris, ob ingentem vim immanium ſerpentum inquit *Sim. Paulli in Quadripart. Botanic. claſſ.* 2. præſtat enim viatoribus, & peditibus, eam commendare, ut de collo ſuſpendant, & hac arte ſe præmuniant adversùs ictus, & morſus virulentorum Animalium. Atque hæc ſint ſatis de Amuletis contra Venena.

APPENDIX I.

QUAMQUAM ſingulatim Venena à nobis ruditer, atque incomptè ſint expoſita, attamen Venenorum doctrinam reaſſumendo breviter, ac velut in Compendium redactam pro coronide ipſam hic affigere non incongruum putavi, ut brevi exarata ſtylo faciliùs memoriæ demandetur, & in ea tenaciter conſervetur. Dux ſit in præſenti texenda Appendice *Clariſſ. ac nunquam ſatis laudatus D. Lucas Tozzi Neapolitanæ Scholæ maximum Lumen, ac ornamentum*, qui *in Lit.* I. *Comment. in Aphoriſm.* breviter quidem, ſed nervosè de Venenis diſſeruit. Varia igitur Venenorum genera ad duas Claſſes referri poſſunt; aut enim inimica ſunt ſolidis partibus noſtri Corporis, aut humoribus adverſantur. Primæ Claſſis multa ſunt, & diverſa, ſicuti diverſa ſunt partium genera, ut, verbi gratia, Cerebrum ſtupeſcit ab Opio, coarctantur fauces à ſolano, Pulmones à Lepore marino inficiuntur, veſica à Cantharidibus læditur &c. ut ſeorſim oſtendi in propriis Capiti-

bus Venenorum ſecundæ verò Claſſis ſunt ea, quæ humores, ac potiſſimùm ſanguinem vitiare valent, vel illum diſſolvendo, ac, ut ità dicam, fundendo, vel coagulando, & in grumos vertendo, unde ſiſtitur circulus, & exindè Mors accedit; & talia Venena ſunt, Vipera, Scorpio, Canis Rabidus &c. ex his enim ſanguis, vel plus juſto fluidior evadit, aut concreſcit in grumos, adeòque extincto, vel reſoluto ſpiritu inhabilem reddi motui Cordis, & vitæ tuendæ certè conſtat; & ſic non omnia Venena pari modo inficiunt, & necant; quædam enim, ut malignam ſuam vim exerant cum ſanguine miſceri debent verùm ſi ore ſumantur, nullum damnum inferunt, & hoc pacto Viperæ Venenum, & Scorpii non occidunt; at verò inflicta, & ſanguini mixta, exitiales pariunt effectus; Undè autem ſit, quod à quibuſdam Venenis certæ ſolùm, & peculiares partes afficiantur, reliquæ verò non item? Ut de Cantharidibus, Lepore Marino accidit; ſanè aliundè congruentior ratio peti non poteſt, quam à conſentanea, & diſſentanea actione, quam excitant cum fermentis, & poris partium quas pervadunt. Porrò Cantharides, ſunt verba *citati Clariſſimi Tozzi*, magnam ineunt fermentationem, cum ſero, & urinario ſale, cujus cauſa tantam id contrahit acredinem, ut Veſicam non ſolùm vellicet, ſed etiam corrodat, & mictum ſanguinis inducat, qui deindè uſu lactis ſedatur. Non tamen hinc inficiabor, Venena illa, quæ inflammationes, ulceraque in Ventriculo excitant, ſi interiora vaſa, & cruorem pertingant, illum quoque vitiare, & vel exſolvere, vel coagulare, obſervatum enim eſt in Cadaveribus venenatis ab Arſenico, & ſublimato non ſemel Venam Cavam aſcendentem, & dextram auriculam Cordis cum adjunctis valvulis, eroſas apparuiſſe, & à circulante Veneno una cum infecto Chylo, & ſanguine. A Cicuta verò, Mandragora, Napello, & Hyoſciamo adeò infringuntur ſucci Ventriculi diſſolventes, & Inteſtinorum, ut etiam adjacentes partes hebetent, atque mortificent; indeque pariter Cruorem præterfluentem inficiant, & denique congelent. Apertè igitur modò liquet, quare ab aliquibus Venenis febris, ſitis, ardor, & inquietudo; ab aliis

autem

autem frigus, ſopor, languorque exoriantur, atque etiam magis in uno, quàm in alio viſcere, quoniam non æquè ab illis ſanguis inficitur, neque æqualem fermenta Corporis noſtri depravationem, & perturbationem ſubeunt. Habitudo quoque, & textura membrorum plurimùm ſanè in his valere poteſt; quamobrem Cerebrum, ſuaptè natura debiliùs, magis affici, & gravari ab Opio videmus, quo craſſeſcens ſanguis oneri partibus eſſe ſolet.

Antidotorum porro ratio non adeò inexplicabilis eſſe videtur, quandoquidem, teſte *Sturmio in Phyſic. Electiv. pag.* 475. quod ſpeciatim attinet ipſa Venenoſa Animalia, aut ipſorum partes, quæ proprium Venenum quaſi ſugunt, ac retrahunt, id haud magis mirandum nobis videtur, quam quod ſpongia præſertim leviter prius humefacta, & charta bibula, avidius multò, quàm alia Corpora, humores vicinos, aut vapores humidos imbibant. Ut enim humor omnis (ſunt verba citati *Sturmii*) in motu quodam eſt, & in iſtorum Corporum poros, procul dubio ideò faciliùs illabitur, quia proportionati magis ſunt ſuis partibus, quàm aliorum Corporum pori minus patuli, vel ad cohæſionem minùs apti, & ita venenati halitus motu vehementiſſimo huc illuc agitati, quia in partibus animalis Venenoſi, undè venerant, præſertim contuſi priùs & contriti (ut interiora magis denudentur) vulneri applicati vias, & meatus inveniunt, ſuomet ante motu ordinario paratos, adeòque magis, quam poſſent eſſe ullius corporis pori, ſibi proportionatos, non poſſunt non iſto ſuo vehementi impulſu eo promptiùs confluere, ubi minimè impediuntur. Reliqua verò introrſum aſſumpta, ut pinguia, Oleoſa &c. nulla ratione Venenis reſiſtere videntur, quàm, ut partium ſuarum plexibus illorum partes implicando, aut tarditate iſtarum, harum impetum, & vehementiam ſiſtendo; vel etiàm nonnulla volatilia venenatas particulas unà ſecum avehendo, emovendo, evaporando &c. Præſervativa tandem, vel eadem ratione juvant, ſi ſint è dictorum genere, vel diſpellunt virulentos halitus, ac arcent à corpore animalis, ut accenſa ſulphurea, aut quælibet

 nota-

notabiliora, & grandiora lignorum etiam incendia, vel intrà ſe declarato inſuper modò combibunt.

Quare autem in quibuſdam locis non reperiantur Animalia Venenoſa, ut in Hibernia referente *Clariſſ. D. Carolo Philippo Lombardo in Miſcellan. Curioſ. Decur.* 3. *ann.* 3. rationem ſi quis expectat, ea quærenda eſt in effluviis, ac particulis ſulphureis, acribus, & faciliter inflammabilibus, emanantibus è viſceribus terræ, quæ ſanguinis, reliquorumque humorum circulationem, ac fermentationem præternaturaliter augent, eorum compagem ità relaxant, atque pervertunt, quo minùs particulæ eos conſtituentes in unum, eundemque ordinem conſpirare poſſint, unde Venenoſæ, ac quæ earum naturam ſupplent, (utpotè quæ ad motum ſunt concitatiores, eo quod ſulphureæ ſint naturæ) magis in maſſa ſanguinis, & ſtructura Corporis exaltantur, & prædominantur, unde ſanguinis, & reliquorum humorum circulatio, & fermentatio non ſolùm præternaturaliter augetur, ſed, & vaſa itidem exceſſivè diſtenduntur, ità ut tumor, vaſorum ruptura, ſuffocationis periculum, ipſaque Mors tandem ſubſequatur. Res erit clarior, & firmiori ſtabit ſententia talo, ſi, ut verbis utar *cicati D. Lombardi*, paucis in mentem anatomiam terræ ejus loci revoco, quæ pinguis valdè, ac ſulphurea eſt, ità ut etiam effodiatur, exſiccetur, ac defectui lignorum combuſtibilium ſubſtituitur, eodem modo, ac Belgæ, qui ex terra ejuſmodi pingui, ac ſulphurea ipſorum combuſtibile parant; Hinc terræ huic incumbentes proprio damno conqueruntur de dolore capitis immani, imò ſi comburatur hæc terra, fœtorem de ſe emittit, ipſorumque incolarum aſſidua eſt querela, quod frequenti dolore capitis corripiantur ex illius terræ fumo. Antequàm autem præſentem Appendicem claudamus, advertendum eſſe puto cum *Wedelio*, Venena omnia eſſe, vel Corroſiva, vel fermentativa, vel vaporoſa, vel mixta. Corroſiva autem ſi fuerint eſcharam Ventriculo; aliiſque internis partibus noſtri Corporis inducunt, undè partibus ad vitam abſolutè neceſſariis deſtructis, neceſſum eſt machinam ipſam Cor-

poream

poream ſubrui, & principia vitalia omninò deſtrui, Fermentativa, quæ ſunt, motum præter naturam, eumque vel abſolutè lethalem, vel ſummè tamen periculoſum inducunt, unde calor febrilis, æſtus, deliria inſurgunt. Vaporoſa ſpiritus obnubilant, ſuffocant, & deſtruunt, adeòque Corroſiva ſolidis, Fermentativa humidis, Vaporoſa ſpirituoſis partibus imprimis ſunt hoſtica, Mixta verò Venena univerſis. Quæ autem de his non participant, ut verbi gratia Pix aſſumpta, & plurima alia inter Venena vulgò relata, in numero Venenorum tantùm per accidens talia, & impropriè dicta, referenda ſunt.

Notandum porrò cum *Boneto in Mercur. Compit. Lib.* 18. nullum eſſe Alexipharmacum, quod omnibus æquè Venenis conveniat, adeòque nulli plus eſt tribuendum, quàm reverà indè experientia teſtari poteſt; ſunt quidem Polychreſta quaſi tria, & generalia, Tinctura Bezoartica, Theriaca, Mithridatium, ſeù Orvietanum, quæ ſunt remedia antiquiſſima, & per tot ſæcula probata, adeòque licet inconcinna variorum ingredientium congerie conflata, non temerè rejicienda ſunt. Advertit tamen *Helmontius*, Alexipharmaca ante initum ſomnum maturè propinata eſſe efficatiora, imò intoxicati à ſomno ſunt arcendi, per ſomnum enim facilè irrepit Venenum ad Cor, quod etiam docuit poſt *Avicennam*, *Sennertus*.

Atque hæc ſunt, quæ de Venenis dixiſſe, ac literis conſignaſſe placuit mihi, in arduo, & tam difficili argumento. Itaque Tractatum hunc tenuem de Venenis obſignare, mihi liceat, & ſummum rerum omnium parentem Deum ter Maximum, ter Optimum, ter Beatum ex intimo Cordis ſenſu Venerari. Sit ergo.

APPENDIX II.

Excerpta ex Tranſactionibus Philoſophicis Ann. 1731. *Menſium Martis, Aprilis & Maii. Volum. XXXVII. Num.* 418. *Art. VII. p.* 84--100.

Epiſtola conſcripta a Domino T. Madden M. D. Dublinenſi *ad Dominum* Cromvvell Mortimer M. D. *Regiæ Societatis à Secretis, in qua datur Relatio* duarum Mulierum necatarum a ſolo Veneno Aquæ stillatitiæ foliorum Lauri, *ut et variorum experimentorum in Canibus factorum; ex quibus conſtat dictam* Aquam foliorum Lauri *unum eſſe ex* Venenis *maximè* lethiferis *hucuſque cognitis.*

VIR CLARISSIME.

Ante aliquot menſes hîc aliquid verè inſoliti evenit, quod Veneni maximè ſimul periculoſi lethiferique notitiam nobis ſuppeditavit: hoc hucuſque tale eſſe nunquam cognitum fuit; licet apud nos frequenti in uſu fuerit. Tale dico eſſe ſimplicem aquam, quæ deſtillatur ex foliis *Lauro-Ceraſi*. Aqua hæc in initio lactei eſt coloris, verùm Oleo, quod cum ea in quantitate ſatis magna aſcendit, quantùm fieri poteſt, ſeparato, quod fit aquam trajiciendo per manicam laneam, Aquæ communis pelluciditatem aquirit.

Habet odorem Amygdalarum amararum, ſive nucleorum Perſicorum, & per multos annos frequenti in uſu fuit apud Mulieres noſtrates & coquos, gratum ut conciliarent ſaporem illum quibuſdam obſoniis quæ apud nos *Creams* & *Puddings* vocantur. Vini etiam liquorumque ſpirituoſorum Potatores multum ea uſi fuerunt & ut plurimum partem unam *aquæ ſtillatitiæ è foliis Lauri* cum quatuor partibus *Aquæ vitæ* miſcent.

Talis

Talis uſus, quamvis frequens, nullius unquam, quantum videri potuit, pravi ſymptomatis cauſa fuit, ad hæc uſque tempora, ad menſem ſcilicet *Septembris* anni 1728, in quo menſe accidit quandam *Martam Boyſe* ancillam Domûs cujuſdam, in qua magna hujuſce aquæ quantitas venalis erat, lagenam ejus aquæ plenam a Domina obtinuiſſe, eamque matri ſuæ *Annæ Boyſe* dono dediſſe, tanquam magni pretii & momenti cardiacum.

Anna Boyſe lagenam hanc dono dedit *Franciſcæ Eaton* ſorori ſuæ: hæc tabernam tenebat in urbe, & ejus ope putabat ſe poſſe ſibi conciliare gratiam eorum qui apud ipſam emere ſolebant. Idcirco paucis elapſis diebus duas circiter illius *Aquæ* uncias obtulit mulieri, quæ vocabatur *Maria Whaley*, & quæ ex ipſa merces aliquas emerat.

Maria Whaley circiter duas tertias partes aquæ illius quæ ipſi oblata fuerat, bibit, abiitque. Quod ſupererat potavit *Franciſca Eaton*. *Maria Whaley* aliam petiit tabernam, aliquid aliud emptura, & intra quadrantem horæ, poſtquam aquam hanc bibiſſet, conqueſta eſt (ut ipſe didici) de violenta ſtomachi perturbatione: in domum deducta eſt, & ab hoc momento temporis loqui amplius non potuit; & intra horæ circiter ſpatium ſine Vomitu, Alvi, fluxu, ullave Convulſione mortua eſt.

Franciſca Eaton Tabernaria ea quæ acciderant ſorori ſuæ *Annæ Boyſe* ſcripſit, quibus auditis hæc ad illam venit, affirmavitque, poſſibile non eſſe tale Cardiacum (ſic enim hanc aquam vocabat) cauſam fuiſſe mortis illius mulieris; & ut illam dicti certiorem faceret, convinceretque, tria circiter illius aquæ cochlearia fudit & bibit; Cum *Franciſca Eaton* adhuc per duo circiter minuta colloquuta eſt; & adeo conſtans fuit in affirmando & perſuadendo illi liquorem hunc noxium non eſſe, ut duo adhuc cochlearia hujus fuderit ſimiliterque biberit. Vix ac ne vix quidem in ſedili ſita eſt, cùm ex hac vita migravit ſine ullo gemitu, ullave Convulſione.

Franciſca Eaton, quæ, ut antea obſervavi, paulo plus quàm unum hujus aquæ cochleare biberat, nullam in Stomacho, vel

vel in alia Corporis parte ſenſit perturbationem : verùm ad omnes peſſimos eventus, morboſve præcavendos ſtatim Emeticum aſſumpſit, & ab hoc tempore benè ſe habuit.

Maria Whaley ſepulta eſt, nec ab aliquo, quantum invenire potui, niſi a Magiſtratu qui in Homicidas inquirit (Anglis the Coroner dicto) viſa & examinata eſt. Veni viſurus *Annam Boyſe* poſt viginti quatuor horas circiter ab ejus obitu; ſed mihi Cadaver ejus aperire non licuit. Sexaginta circiter Annos nata erat : Facies & cutis ejus ſolitum habere colorem mihi viſæ ſunt ; vixque mutata erant. Faciei lineamenta, ut ſic dormientis ſpeciem referret. Abdomen ejus inflatum non erat, nec ullum Veneni indicium externum in ejus corpore viſum eſt.

Mors hæc ſimilem alium eventum mihi in memoriam revocat, quem hic narrabo ; jam quatuor circiter ſunt anni, cum hic eventus accidit in Urbe *Kilkenni*. Nobilis Adoleſcens, filius Domini *Evans* Urbis illius Senatoris, per errorem ſumpſit Lagenam *Aquæ* illius *ex foliis Lauri deſtillatæ* plenam, credens eam eſſe *Ptiſanæ* plenam. Quamnam biberit quantitatem incertum eſt, verùm intra pauca minuta ad plures abiit, gemitus edens ob violentam Stomachi perturbationem. Hoc tunc temporis intento animo conſideratum non fuit, quia ille morbo laborabat, cui, vel præpoſtero Remediorum uſui ad Adſtantibus mors ejus tributa eſt.

Ut verò mihi ipſi ſatisfacerem, penitiùſque in hujus Veneni effectus inquirerem, quædam cum quibuſdam amicis feci experimenta, quorum nunc ſequitur narratio.

I. *Die tertia menſis Octobris anni* 1728. dedimus magno Cubitori Cani tres uncias *Aquæ ſtillatitiæ è foliis Lauri* ore bibendas. Tertio minuto poſtquam hanc potaverit, vehementiſſimis convulſionibus laborare incepit. Hæ convulſiones duraverunt per quinque circiter minutas, poſt quæ eum vinculis exſolvi. Incidit tunc in maximam violentiſſimamque reſpirandi difficultatem, quæ circiter per octo minuta duravit, & paulatim minuta eſt : qua finitâ ſe ipſum erigere conatus eſt, ſed incaſſum.

Eum

Eum denuò alligavi, illique dedi adhuc aquæ ſupradictæ ſeſcunciam, qua epota peſſimè ſtatim ſe habuit, & ſine novis ullis convulſionibus, vel iterata reſpirandi difficultate intra duo minuta mortuus eſt.

Ejus Stomachum aperiendo, in eo inveni integram aquæ quam biberat quantitatem; ejus aquæ ſuperficies ſpuma copperta erat, verùm nulla erat in Colore, Conſiſtentia vel Odore mutatio. Interna Ventriculi ſuperficies nullum omninò inflammationis ſignum exhibuit, nec ulla viſibilis adfuit mutatio in ejus Tunica Villoſa.

Venæ Ventriculi, Venæ omnes Meſentericæ, ſimul & Vena Cava ſanguine multum turgebant; è contra Arteriæ inſignem in modum vacuæ erant. In Hepate & Veſica Fellea nullam omninò inveni mutationem. Renes prætermodum ſanguine turgebant, & ſubcærulei videbantur coloris, æquè ferè ſaturis, ac eſt Color Pruni violacei. Cùm inciſuram feciſſem in uno ex his Renibus maximam effluxit ſanguinis ſolito fluidioris quantitas. In Corde nihil præternaturale viſum eſt. In Cerebro nulla planè aderat mutatio.

II. *Die* 24. *Octobris*; Seſcunciam ejuſdem Aquæ Cani minoris magnitudinis dedimus. Ea ſtatim vinculis exſoluta eſt, & intra duo minuta membrorum uſum amiſit. Multoties ſe erigere & incedere tentavit; ſed titubavit, vacillavitque deinque cecidit. Hæc per quinque ſexve minuta circiter, indeſinenter iteravit. Denique violentis affecta eſt convulſionibus, præcipuè in Muſculis Caput & Spinam Dorſi extendentibus. Poſt minuti circiter ſpatium hanc habuit Convulſionum ſpeciem, quam *Opiſthotonos* dicunt; occiput enim ejus ad Caudam fortiter trahebatur.

Dein multum vomuit, & deſierunt Convulſiones ejus. Tunc tranquilla manſit per ſeptem vel octo minuta, niſi quod difficultate ſpirandi, (minore tamen, minuſque violentaquam in priori caſu) laboraret, ſpumamque ex ore dimitteret. Adhuc illi exhibuimus unciam unam hujus *aquæ*, qua epota increvit reſpirandi difficultas, & intra duo minuta de vita migravit.

Aperiendo *Abdomen*, *Thoracem*, & *Caput*, omnia invenimus eodem modo ſe habentia ac erant in priori, quem ſupra memoravimus, caſu.

III. *Die* 25. *Octobris*; Dedimus uncias duas *Aquæ ſtillatitiæ è foliis Lauri* Cani ejuſdem cum præcedenti magnitudinis; in eo eadem planè ſymptomata viſa ſunt ac in præcedenti caſu. Mortuus hic fuit poſt ſemi horam; Doſem iterare noluimus, quia doſem ab eo epotam vomere non potuit. In apertura Cadaveris omnia eodem in ſtatu invenimus ac in primo caſu.

IV. *Die* 26. *Octobris*, drachmas duas & ſemiſſe *Aquæ ſtillatitiæ è foliis Lauro-Ceraſi*. Cani mediocris magnitudinis, dedimus, ſtatimque eum à vinculis liberavimus. Hic tunc totum percurrit conclave, ut feciſſet Canis robuſtiſſimus, nec ullo modo ab ea Aqua affici videbatur; citò tamen uſum membrorum amiſit. Sæpè ſe erigere, atque incedere tentavit, ſed ſemper cecidit antequam ad diſtantiam ſex pedum ex loco in quo aderat, pervenerit.

Poſt hæc multùm vomuit, ſi conſideres ei per vigintiquatuor horas cibum ſubſtractum fuiſſe; poſt vomitum affectus eſt convulſionibus violentioribus iis, quibus Canes, de quibus ſupra, affecti fuerant, idque præcipuè in muſculis Caput & Spinam Dorſi extendentibus. Hæ Convulſiones per octo, decemve circiter minuta durarunt: quibus finitis, Canis tranquillus fuit, cum profunda, quamvis æquali, reſpiratione; dormienti ſimilis. Poſt decem circiter minuta, exſurrexit, aliquod alimentum aſſumpſit, & ſat benè ambulavit. Illum reliquimus; & poſt tres horas redeuntes, illum perfectè ſanum invenimus.

V. *Die* 28. *Octobris*, Injecimus unciam unam hujus *Aquæ* in Inteſtinum Rectum robuſti Canis patulis auribus & cirris, eumque vinculis exſolvimus. Intra duorum Minutorum ſpatium incepit uſum membrorum amittere, & titubare, ſicut alii fecerant. Violentiores cæteris omnibus paſſus eſt. Convulſiones, & præcipuè in Muſculis Colli & Spinæ dorſi. Muſculi ipſius Oculorum vehementiſſimis affecti fuerunt convulſionibus quod Phœnomenon cæteris in Canibus viſum non fuit.

fuit. Ore ſpumam ejecit, frequenter ululavit, reſpiravitque cæteris omnibus difficilius. Hæ convulſiones duraverunt per viginti minuta; iis deſinentibus quietus tranquilluſque fuit, æque ac ſi dormiret, niſi quod oculi ejus erant aperti. Ejus membra tunc omnino paralytica facta fuerunt.

Eum per aliquod tempus erectum tenuimus, & ad inſiſtendum cruribus impulimus, verùm iis uti & incedere conatus non eſt. In eo ſtatu permanſit per quindecim adhuc circiter minuta, quibus elapſis affectus tunc eſt iterum violenta nervorum diſtenſione, quæ intra quinqua minuta finem ejus vitæ fecit.

Aperiendo Abdomen, invenimus Venas Ventriculi & Inteſtinorum multo ſanguine turgidiſſimas, ut in omnibus præcedentibus caſibus. In Corde, Pulmonibus, & Cerebro nulla viſibilis mutatio apparuit.

VI. *Die 30. Octobris*, in anum parvæ canis ſeſcunciam *Aquæ Lauro-Ceraſi* cum tribus unciis aquæ communis calidæ injecimus. Antequam eam exſolvere potuerimus, Convulſionibus affecta fuit, multumque ululavit. Simul ac exſoluta fuerit, cecidit, nec unquam poſtea exſurgere conata eſt. Affecta eſt Convulſionibus, magnaque reſpirandi difficultate per duo circiter minuta. Dein tranquilla manſit, membris extenſis rigidiſque per tria circiter minuta: quo tempore maxilla inferior convulſionibus affecta eſt, & alternis vicibus ad maxillam ſuperiorem trahebatur, & ab ea retrahebatur motu celerrimo.

His factis membra ejus paralyſi afficiebantur & per duo adhuc circiter minuta ægre ſpiritum ore ducebat. Intra ſeptem octove minuta ab injecto clyſtere omninò mortua eſt.

In Abdomine, Thorace & Cerebro omnia, ut ſolent, viſa ſunt.

VII. *Die 2. Novembris*, *Aquæ ſtillatiæ Lauro-Ceraſi* ſemiunciam, cum tribus unciis aquæ communis calidæ dilutam in anum parvæ Canis injecimus. Intra quatuor minutorum ſpatium cum difficultate reſpirare incepit. Eam liberam reliqui-

mus, verùm ſine vacillatione ſtare vel ambulare non potuit. Convulſione affecti fuerunt muſculi caput extendentes; & crura anteriora per tria quatuorve minuta Tetanum paſſa fuerunt, verùm ſine convulſivo motu fuit. Multùm vomuit, alvoque dejecit. Hæc non ululavit, nec magno affici dolore viſa eſt, nec ſenſus per omne id tempus amiſit. Intra ſemihoram ſanitatem recuperavit.

VIII. Die ſequenti Drachmam unam *aquæ deſtillatæ è foliis Lauri* in externam Jugularem. Venam ejuſdem canis injecimus. Affecta eſt convulſionibus æquè violentis ac fuerunt præcedentes, antequam eam a vinculis liberare potuerimus. Hæ per quinque circiter minuta duraverunt, poſt quæ paulatim ſanitatem recuperavit, & deinceps bene ſe habuit.

IX. *Die* 20. *Novembris*; In robuſtum canem mediocris magnitudinis, *Aquæ ſtillatitiæ è foliis Lauri* uncias quatuor aqua communi, aliove liquido non dilutas injecimus. Hic intra duo minuta ad ſummum poſt injectionem convulſionibus & reſpirandi difficultate affectus fuit. Cecidit in terram ſimul ac convulſionibus affici incepit, nec unquam ampliùs ſe erigere conatus eſt, nec fuerunt hujus Convulſiones ullo modo æquè violentæ, & æquè diuturnæ ac in præcedentibus caſibus. Quatuor circiter ſanguinis cochlearia è naribus erupuerunt. Sanguis fuit coloris maximè floridi. Duraverunt ejus convulſiones per quatuor circiter minuta, poſt quæ eum invaſit totius corporis paralyſis & poſt alia tria minuta mortuus eſt.

Invenimus Ventriculum, Inteſtina, Hepar, &c. in eodem planè, ſtatu ac in præcedentibus caſibus ſupra memoratis. Incidendo ad pollicis diſtantiam ab inferiore parte unius è Lobis Pulmonum, ſanguis magna in quantitate effluxit, qui ſolido floridior, fluidiorque mihi viſus eſt.

X. *Die* 14. *Decembris*, Injecimus quinque uncias *Aquæ ſtillatitiæ è foliis Lauri* in anum canis ejuſdem ferè magnitudinis ac figuræ ac verragi Italici. In initio ab ea nullō modo affici viſus eſt, ſed poſt quinque circiter minuta incepit languere, & uſum membrorum amittere. Nullo modo ululavit, nec vehemen-

vehementer agitatus eſt, ut in aliis accidit; verùm vires paulatim amiſit uſumque membrorum, donec tandem omninò paralyticus factus eſt. Nullis affectus eſt, convulſionibus, ſi excipias quandam *Spaſmi Cynici* ſpeciem, qua laboravit per quædam minuta ante ejus mortem quæ accidit intra ſemihoram ab injecto Clyſtere.

Aperiendo Abdomen, Venas multo ſanguine turgidas invenimus: eodem etiam in ſtatu erant Venæ Sinuſque Cerebri.

XI. *Die* 19. *Decembris*, dedimus eodem modo tres uncias *Aquæ Lauro-Ceraſi* Cani venatico magnitudinis Canis Melitenſis. Intra ſeptem minuta mortuus eſt ſine ullis convulſionibus, ſi excipias quod *Tetano* affectus fuerit in muſculis Caput extendentibus.

Cùm *Lauro-Ceraſus* ſit e numero Plantarum ſempervirentium, abundetquæ oleo eſſentiali calido, opinio noſtra fuit alias Plantas ſemper virentes poſſe participes eſſe ejuſdem venenoſæ qualitatis.

Idcircò experimentum fecimus cum *aqua* in Alambico deſtillata *ex foliis Taxi*; de ea enim arbore multum loquuti ſunt Antiqui, & ejus umbra ſola iis lethalis eſſe dicta eſt qui ſub ea ſedebant, vel dormiebant.

XII. Tres *aquæ ex foliis Taxi* uncias injecimus in anum minimi canis venatici; verùm nullo modo indè affectus fuit.

XIII. Dedimus etiam ore bibendas, uncias duas *aquæ* ſtillatitiæ ex foliis *Lauri fœminæ* juniori cani patulis auribus & cirris, ſine ullo effectu.

XIV. Dein experimentum fecimus cum *aqua* ſtillatitiæ *ex foliis Luxi*, quæ habebat odorem maximè narcoticum. Injecimus in anum parvi canis venatici quinque uncias hujus aquæ, verum ab ea aqua nullo modo affectus eſt, licet canem aſſervaverimus per duodecim horas poſt injectionem.

XV. Cupidi ſciendi num venenoſa qualitas *aquæ* ſtillatitiæ ex foliis *Lauro-Ceraſi* oriretur ex igne qui in deſtillatione adhibetur, illique deberetur, affudimus aquam calidam ſupra aliquot *folia Lauro-Ceraſi* contrita, validamque ex iis fecimus infuſio-

 nem.

nem. Hujus unciam Cani ingurgitare tentavimus, cujus mediam partem in Ventriculum intraſſe ſupponimus, & poſt quinque minuta unciam alteram eodem modo dedimus. Canis hic viſus eſt aliquo modo laborare Ventriculo, ſed hoc diuturnum non fuit, cito enim priſtinam vivacitatem, priſtinumque recuperavit robur. Quibuſdam poſt hæc minutis alia adhuc uncia illi per os exhibita fuit, cujus quartam partem amiſſam fuiſſe, & Ventriculum non ſubiiſſe ſupponimus. Huic cito poſt vagus fuit oculorum obtutus, magnoque tremore affectus eſt. Poſt quinque minuta alia exhibita fuit uncia, qua epota tremor ut antea occupavit artus, ſed intra breve temporis ſpatium ad priſtinam ſanitatem & vivacitatem redire viſus eſt.

Animo effingentes parvas has quantitates vires ſuas amittere, per intervalla inter quæ exhibentur, intra decem minuta poſt præcedentis doſeos aſſumptionem, in ejus fauces ſimul & ſemel uncias duas cum ſemiſſe ejuſdem aquæ ingurgitavimus. Hic ſtatim convulſionibus affectus ſuper dorſum ſe volvit, idque fecit ter quaterve, ſed cito poſt ſupra pedes ſe erexit. Hic vacillavit, huic vagus fuit oculorum obtutus; & tanquam defeſſus Canis jacuit. Denique clauſit oculos, Collum ejus extendebatur, & timebamus ne Convulſionibus afficeretur; ſed pro convulſionibus, vomitus accidit quo ejecit maximam Chyli indigeſti crudique quantitatem, in qua magna infuſionis pars viſa eſt; poſt vomitum perfectam recuperaſſe ſanitatem viſus eſt.

XVI. Poſt viginti quinque minuta ab his elapſis ore exhibuimus eidem Cani uncias duas ſucci expreſſi ex *foliis Lauro-Ceraſi*, & poſt decem adhuc circiter minuta alia uncia eodem modo illi exhibita fuit. Intra aliquot minuta incepit amittere uſum Crurum poſteriorum, ſed eorum uſum citò recuperavit. Poſt hæc ſumendo aliam unciam cito poſt præcedentes, incidit in magnam reſpirandi difficultatem, multumque ululavit. Deinde validiſſimas paſſus eſt convulſiones quibus inſignem in modum afficiebantur maxilla inferior & crura poſteriora.

Intra ſpatium quinque circiter minutorum his Convulſionibus

nibus ſucceſſi integra membrorum omnium reſolutio. Reſpirationem habuit maximè difficilem ſimul & lentiſſimam. Expirationis nullum erat indicium. Aliquando duos obſervavimus ad inſpirandum conatus citra intermiſſionem, idque ore ſemper aperto. Aliquando etiam aderat unius minuti ſpatium inter duas inſpirationes.

Poſt hæc in omnibus ſuis Membris tremorem paſſus eſt, & intra tres horæ quadrantes ab ultima uncia epota, mortuus eſt ſine ulla agitatione, ſed cauda extenſa.

Multa ſunt alia ejuſdem generis experimenta a noſtratibus Medicis facta, quæ accuratè cum præcedentibus conſentiunt hanc ſolam excipias circumſtantiam, quod in ea ſint opinione, Venenum hoc in Ventriculo & Inteſtinis creaſſe inflammationem.

Ad hujuſce diſputationis dilucidationem, nos, qui in alia ſumus ſententia, una collegimus ſequentes rationes, ex quibus apparet factum tale non eſſe quale eorum fert opinio, & etiam nullam hic adeſſe ab eo veneno productam inflammationem, licet Venæ Animalis ab eo veneno interemti multo ſanguine turgidæ inveniantur.

Nihil novi quod majorem huic materiæ lucem afferre poſſit, quam analogia quæ obſervari poteſt inter Convulſiones ab Epilepſia ortas, & eas quæ ſunt effectus *aquæ* ſtillatitiæ ex foliis *Lauro-Ceraſi*. Exempli cauſa, in Epilepſia Corpus totum Convulſionibus afficitur, præcipuè verò Convulſiones fiunt in Muſculis Colli, Linguæ, Maxillæ inferioris & Brachiorum.

Horum Convulſionum hic eſt effectus. Cor fortius & frequentiùs ſolito pulſat; ex tali vero pulſatione neceſſariò ſequitur ſanguinem majori in copia pelli ex Arteriis in Venas. Verum quia muſculi poſſunt magis comprimere Venas quam Arterias, (quarum Syſtole iis dat vim hanc preſſionem ſuperandi) idcirco ſanguis, qui ſemper pellitur per ſyſtolem Cordis in Venas, in iis retineri debet per antedictam Muſculorum preſſionem & pauciſſima ejus copia ad Cor redire debet.

Ut rem exemplo illuſtremus, Abdominis muſculi, cùm convulſionibus afficiuntur, Stomachum & Inteſtina premunt, eaſque

eaſque partes agunt ad Venam Cavam Aſcendentem, ut & etiam ad Venam Portarum; hac preſſione, Sanguis, qui ab extremis inferioribus partibus redit, in his Venis retinetur. Et hæc eſt cauſa cur videamus viſibiles proximoſque hujus preſſionis effectus, in eo conſiſtere quod hujus ope Veſicæ Inteſtinorumque Excrementa vi expellantur extra corpus, & frequentiſſimè accidat Seminis Profluvium.

Pariter expreſſione muſculorum Colli, Linguæ, Maxillæ inferioris, eorumque actione, in Jugulares venas, earumque ramos, fit ut ſanguis in Cor per Venam Cavam deſcendentem redire nequeat.

His addere liceat, preſſionem Diaphragmatis & Coſtarum in Pulmones: hæ enim partes Venæ Cavæ aſcendentis & deſcendentis Truncos comprimunt eo ipſo in loco in quo Cordi inſeriuntur.

Indè ſequitur horrenda faciei nigredo durante Paroxyſmo, ut & prodigioſa Venarum Capitis & inprimis Venæ Temporalis inflatio.

Ex his omnibus neceſſariò ſequitur quod, ſi Convulſio diuturnior ſit, homo mori debeat, cùm ſanguinis pars trans Arterias in Venas impellatur, nec ad Cor redeat. Et, ſi hominis Convulſionibus mortui cadaver aperiatur, nullus dubito, quin inveniantur Vena Cava, Vena Portarum, Venæ, Sinuſque Cerebri, ſimul & omnes minimæ venulæ ex his ortæ maxima ſanguinis copia turgidæ; arteriæ vero e contrà ferè vacuæ inveniri debent.

Quod ſi ceſſet Convulſio Epileptica, antequam circuitus ſanguinis ſit omnino interruptus, tunc omnia iterum in priſtinum redeunt ſtatum, venæ non ampliùs premuntur, ſanguis ut antea ſolebat circulatur, & intra paucas horas homo antea æger perfectiſſime ſe habet.

Attamen omnis hæc violenta Corporis convulſio, prodigioſa hæc Venarum inflatio, & hæc ſanguinis circuitûs intermiſſio; hæc inquam omnia fiunt ſine ulla inflammatione, ut patet ex eo quod citiſſimè æger priſtinam recuperet ſanitatem: Si enim ex Convulſione orta fuiſſet inflammatio, febris eam neceſſa-

neceſſario comitata fuiſſet; hæc vero claris, perſpicuis & evidentibus ſignis ſeu notitiam præbuiſſet, & diuturnius tempus neceſſarium fuiſſet ut ſedaretur.

Liceat nunc mihi perdendere Analogiam quæ eſt inter hæc Phænomena & ea quæ ab *aqua ſtillatitia ex foliis Lauro-Ceraſi* producuntur.

Experimentis conſtat, Unciam unam, imo & Drachmas duas & ſemiſſe *Aquæ ſtillatitiæ ex foliis Lauro-Ceraſi* violentiores efficere convulſiones iis quas producunt Unciæ tres, imo & Unciæ quinque ejuſdem aquæ: *vide Exper.* 4. 5. *ad* 11. Si igitur neceſſariò inflammatio fieret ex aquæ hujus in Ventriculum vel Inteſtina receptione, ſanè quò violentior eſſet convulſio, eò inflammatio major eſſe deberet.

E contrà videmus, quò violentior eſt convulſio, eò probabilius eſſe animal priſtinam recuperaturum ſanitatem; *vide Exper.* 4. *ad* 7. Et quum in priſtinum redit ſtatum, hoc eodem plane modo fit, ac in ſanitatis, priſtinique ſtatus recuperatione ab Epileptico, Intra quædam minuta animal evadit æquè validum vivaxque ac ſi nihil omninò accidiſſet.

Nunc ſi omninò inflammatio foret ſequela neceſſaria hujus Veneni, cùm Animalia priſcinam recuperant ſanitatem, adhuc in iis remaneret quædam inflammatio, ſive magna, ſive parva, quæ violentiora diuturnioraque crearet ſymptomata. Verùm cùm nihil his ſimile videatur, cùm ſanitatis recuperatio ſit tàm ſubita, & realis, ſanè validius, clariuſque argumentum dari non poteſt, nullam hîc adfuiſſe inflammationem.

Si *Aquæ Stillatitiæ ex foliis Lauro-Ceraſi* uncia una, majorve exhibeatur quantitas, Animal mortem vitare nequit intra quædam minuta, & in apertura cadaveris hæ videntur Apparitiones. Truncus Venæ Cavæ tùm Aſcendentis tùm Deſcendentis, omneſque Venulæ, quæ ex Venis Meſentericis oriuntur, multo ſanguine turgent Vaſa hæc venoſa ab Arteriis facilè diſtinguuntur, non ſolùm quia eorum tunicæ tenuiores ſunt, ſed etiam quia colore, quem ſanguis oculo videndum præbet, differunt. Jam Concipio omnem inflammationem initium ſuum habere in arteriis, & in eo cauſam ejus

ſitam eſſe quod liberè non poſſit ſanguis tranſire ex Arteriis in Venas. Sed ſi ſemel hæc via libera fiat, (& in hoc caſu liberam eſſe certiſſimum eſt cùm omnes venas ultra naturalem Tonum ſanguine diſtentas inveniamus), tunc inflammatio ceſſare debet, remota cauſa a qua oriebatur.

Prætereà, hoc facto poſito, Venas prætermodum ſanguine turgidas eſſe, neceſſariò concludere eſt, arterias etiam ſanguine turgere non poſſe, ideoque nullam in iis dari poſſe inflammationem, quia, ſi major adſit ſanguinis quantitas in Venis, minor per conſequens, idque pro ratione incrementi in Venis, minor inquam eſſe debet quantitas in Arteriis.

His quæ ſuprà diximus, ſequentem addere poſſumus obſervationem, ſcilicet, quod, ſi quædam ab hoc veneno produceretur inflammatio, præcipuè ſe videndam præberet in interna parte Ventriculi & Inteſtinorum, quia Venenum proximè partes has tangit.

Omnia alia Venena quæ inflammationem creant in Ventriculo & Inteſtinis, agunt primò in Vaſa ſanguinea, & inflammatas corrodunt partes. Inde oriuntur Vomitus, & Hæmorrhagiæ quæ tandem abeunt in Convulſiones.

Facillimè vero quis decipi poteſt Ventriculum Canis aperiendo, & credere in eo dari inflammationem, quia Tunica ejus Villoſa rubra eſt.

Tunica interior Ventriculi Canis, in naturali ſtatu coloris eſt carnei ſubrubri, ideoque citius, validiuſque cæteris omnibus Animalibus Domeſticis digerit. Videmus etiam eum oſſa devorare, eaque perfectiſſime digerere, & quamvis ſint tantum ſemimaſticata, cum ejus Ventriculum ſubeunt, citò tamen reducuntur in conſiſtentiam æque mollem ac eam in quam reduci poſſunt omnia alia Alimentorum genera. Et hæc eſt etiam ratio cur Ventriculi Canum majorem habeant vaſorum ſanguiferorum quantitatem quam ii cæterorum Animalium; vaſorum enim ope, non ſolum Ventriculi vis muſcularis, ſed etiam ejus Calor, qui præcipuum eſt digeſtionis inſtrumentum, multùm augetur.

NB.

NB. Experimenta decimum quintum & decimum ſextum mecum communicavit Dominus *Stephens* Medicinæ Doctor & unus è Sociis Collegii noſtri Medicorum.

Vale, Vir Clariſſime, mihique fave.

Dabam Dublini die 29. Aprilis 1731.

Johannes Rutty *M. D.* Dublinenſis *Editorem docuit, quod præter hæc multa alia ſint experimenta, tunc temporis etiam facta a Clariſſimis & Nobil. Viris, de quibus mentionem facit Vir Clariſſ.* T. Madden *M. D.*, *& quæ cum his conſentiunt; quidam Viri qui iis aderant, multa propoſuerunt, cum quibus volebant fieri experimenta ad videndum num darentur illius Veneni antidota: idcirco* Boli, Acetum & Lac *exhibita fuerunt Cani qui ſorpſerat quandam* Aquæ ſtillatitiæ ex foliis Lauri *quantitatem:* Bolum *&* Acetum *non multum contuliſſe viſum eſt, verum Canis qui* Lac *potavit, ſine ullo pravo ſymptomate ſanitatem recuperavit, ſed ob temporis diſtantiam Dom.* Rutty *M. D. meminiſſe nequit qua in proportione* *Lac illi exhibitum fuerit. In ea tamen eſt opinione pintam Lactis exhibitam fuiſſe. Editor multa fecit experimenta in Comitatu* Eſſex, *tùm* Londini *quæ cum ſupra enarratis congruunt eaque confirmat, ea verò divulgabit in ſequentibus Tranſactionibus.*

Excerpta ex Tranſactionibus Philoſophicis Anni 1731. *menſium Auguſti & Septembris Volum. XXXVII. Num.* 420. *Art. III. pag.* 163 – 173.

Experimenta quædam circa venenoſam qualitatem Aquæ ſimplicis *ſtillatitiæ ex* Lauro-Ceraso *ſive* Lauro communi *facta in Canibus in* Toppingo Hall *in* Eſſex, *Comitatu, die*

24. Auguſti 1731. *ut & alia facta coram* Regia Societate *in ejus Muſæo.* *A* Cromvvell Mortimer, *M. D. R. S. a Secretis.*

Sumpsi quartam partem modii Anglici foliorum Lauri, eaque folia in Alambico, poſui cum viginti quatuor ſextariis Gallicis aquæ (id eſt libris Medicis triginta & duabus) hanc communi methodo deſtillavi, ut hoc fit in Aqua *Pulegii*, *Menthæ*, aliis ve ſimplicibus aquis. Cùm in initio ignis calor major eſſet quam eſſe debet, tranſiit oleoſum quid cum Aqua, (1) quod fecit ut ea lactea appareret, quouſque ſextarius circiter (id eſt unciæ ſexdecim) tranſierit: Hæc guſtu & odore penetrantiſſimo ſimilis erat prunorum Armeniacorum nucleis, ut & aqua altera (2) quæ primam ſubſequuta eſt, & eâ pellucidior erat. Duos primos ſextarios hujus ſepoſui: tunc duos alios ſextarios (3) deſtillatione elicui, quæ aqua in odore & ſapore nullo modo erat æquè acris ac prima, ſed potius ſimilis erat *Aquæ Ceraſorum nigrorum.* Reliquum ferè inſipidum erat. Folia poſt deſtillationem ſubfuſca erant & fragillima, habebantque ſaporem amarum ſine auſtero, vel acutum ſaporem Nucleorum Prunorum Armeniacorum, qualem habent dùm recentia ſunt.

Eodem die poſt meridiem ſumpſi Catulum natum ex Patre & Matre diverſæ ſpeciei, pendentem duas libras cum ſemiſſe, & a ſexdecim circiter diebus natum; Lac e Matris uberibus ſuxerat ante meridiem, ſed tunc a ſex horis cibo omni ſe abſtinuerat. Sumpſi unciam unam aquæ tertiæ, cujus partem aliquam Catulo dedi, idque paulatim ope parvi cochlearis, ut faciliùs eam abſorberet. Poſtquam dimidiam hujus quantitatis partem aſſumpſit, cum liberum reliqui; ambulavit ſat validè, per quinque minuta, nec infirmus viſus eſt, cùm ore ſpumam emittere incepit, & cito poſt quandam Lactis coagulati quantitatem vomuit, & tunc fæces alvinas depoſuit; poſt hæc a morbo liber viſus eſt: Dein dedi illi adhuc tria parva cochlearia: intra decem minuta ille incepit vacillare, parteſque poſteriores poſt ſe trahere: Natibus innixus eſt, querulam edidit

vocem,

vocem, varioſque ad vomendum conatus fecit, ſed nihil unquam vomere potuit; & tunc adhuc circum circa ambulavit, & ſedit, & quærulam edidit vocem, & adhuc per ſpatium quindecim circiter minutorum ſanitatem recuperaſſe viſus eſt: Dein credens aquam ſecundam eum citius ab his ærumnis liberaturum, cum peſſimè ſe habere videretur, ſumpſi ſeſcunciam ſecundæ deſtillationis: Dedi illi primo tria parva cochlearia, & humi impoſui, & intra duorum minutorum ſpatium incepit vehementibus affici convulſionibus, linguam exſerere, validoſque ad vomendum conatus facere, verum ſine effectu; cruribus inſiſtere non potuit, ſed poſterioribus cruribus extenſis jacebat: Poſt quinque minuta tria adhuc cochlearia exhibui, tunc vehementibus laboravit convulſionibus, ſe multoties & per varia intervalla provolvit, caput ad caudam duxit, dein lateri incubuit, multumque tremuit. Poſt octo circiter minuta, adhuc duo parva cochlearia illi exhibui, & novas violentaſque paſſus eſt convulſiones, ſed manſit lateri innixus, & eo in ſitu quatuor crura, unum poſt aliud, extendebat, ilia citiſſimè ducendo; intra quindecim adhuc minuta mortuus eſt, idque poſt horam circiter a prima doſi aſſumpta.

Hora elapſa ab ejus morte, illius aperui cadaver, omneſque partes in Abdomine contentas in ſtatu naturali inveni; Flatibus turgidus erat Ventriculus, quo aperto Lacte vacuus viſus eſt, ſed plenus ſpuma & mucò pellucidò, cujus conſiſtentia multò craſſior erat eâ quam in ſtatu naturali habet Liquor Gaſtricus: uterque omnis odoris expers erat, pars interior Ventriculi nullâ omninò inflammatione afficiebatur.

Aperiendo Thoracem, inveni Pulmones paulo magis rubros quam in ſtatu naturali, quædam etiam vaſa eorum tunicæ exterioris valdè turgida erant: Pulmonum partem ſecando ſat copioſa ex iis effluxit quantitas ſanguinis rubri & pellucidi. Venæ & ambo Cordis Ventriculi turgidi erant, & pleni ſanguinis concreti, coloris obſcurè fuſci, qui meòs digitos infecit colore flavo ſordido, quaſi Gallæ quædam ei admiſtæ fuiſ-

 ſent.

ſent. In illius Cadaveris arteriis ſanguis non erat; Foramen ovale apertum erat.

Caput aperiendo, Dura Mater livida viſa eſt, quaſi contuſa fuiſſet, Venæ ejus, Sinuſque Falciformes turgidi erant, plenique ſanguinis ejuſdem naturæ cum illo, cujus Cor, vaſaque Cor ambientia plena erant. Corticalis Cerebri ſubſtantia Viſa eſt Coloris lividi ſubcærulei inſoliti.

Die ſequenti circa horam quintam pomeridianam ſumſi magnum Canem villaticum ſeptuaginta & quinque libras pendentem. Illum ita ad palum alligavimus ut cruribus inſiſteret, & quidam in manu caudam ejus fortiter tenuit, quia is erat ferociſſimus & gubernatu difficillimus: Injecimus *per Anum* uncias tres ſecundæ aquæ (id eſt illius quæ per alambicum poſt primam exiit); intra quinque minuta multum tremuit, & vacillavit, & mitis fuit & paſſus eſt ſe tangi, poſt ſe traxit crura poſteriora, ſe ſupra caput volvit, palpitavit & ſalivavit, ſed paulatim ita ſanitatem recuperavit, ut erectum ſe tenuerit, quamvis titubans & ſæpè in crura poſteriora delapſus. Poſt quindecim minuta, adhuc unciam unam injecimus; hic nulla re intercedente vacillavit, & in poſteriora delapſus eſt, cito poſt copioſam reddidit urinam. Tunc eum ad aliud duximus ſtabulum, in quo citò fæces alvinas, ſed durioris conſiſtentiæ, abundanter depoſuit: Fæces has humectaſſe viſa eſt ultimò injecta uncia, quæ, ut mea fert opinio, cum hac ultima alvi dejectione exiit. Idcirco aliam ſtatim injeci unciam, quâ injectâ pejus quam antea, ſe habuit ſe enim in unum latus volvebat, & poſt decem circiter minuta, citò in ſómnum cecidit, cum difficultate reſpirandi; Poſt ſemi horam, eum expergefeci, eum ſalivantem inveni, ſopore affectum, poſterioribus innixum, & vertigine laborantem; Poſt horam circiter cum quarta horæ parte a prima injectione, eum ut antea inveni, ſed eum provocando baculo, illud momordit, & quamvis natura ferox eſſet, tranquilliſſimus tamen erat, cùm eum non percutiebam: Poſt quædam minuta titubavit & cecidit adhuc ſtertens: Circa horam nonam noctis benè ſe habere

bere viſus eſt, niſi quod in ſomnum proclivis fuerit. Eum reliquimus per totam hanc noctem ſine Aqua & Alimentis, ſed ob famem aliquam paleæ cui incumbebat partem comedit, ut deinceps invenimus ejus Ventriculum aperiendo. Poſtridie mane, qui erat dies Veneris, dedimus illi aquam & oſſa; potavit avidè & comedit Oſſa, Panem & quicquid illi dedimus, imo & ſanitatem recuperaſſe beneque ſe habere viſus eſt hoc die, & nocte ſequenti, niſi quod valdè ſitiret, in ſomnum proclivis aliquantum eſſet; verùm omninò mitis erat.

Die Saturni hora nona ante meridiem, eum ad palum alligavimus, funemque in ejus ore poſuimus, cujus ope ejus nares firmiter carceribus alligabantur, diligentiſſimè caventes, ne adeò ſtrictus eſſet funis circa collum ut deglutitionem vel reſpirationem impedire poſſet: Tunc illi dedi uncias tres *Aquæ ſecundæ*, trinis vicibus, ope infundibuli, ſimilis iis quibus adaquantur Equi; eas abſorpſit cum magna difficultate, & quaſi gargarizavit: Ad hoc præcavendum, in ejus fauces ſatis profunde infundibulum impuli. Canem tunc è Palo deligavimus, viſuri num incedere poſſet, ſed illicò vacillabat, cadebat, ſe multoties provolvebat, multam Urinam reddebat, & Fæces Alvinas duriores deponebat; nullum vidimus ad vomendum conatum ſed multum ſalivæ ex ore emittebat, palpitabat, & magna in eo reſpirationis difficultas videbatur, naribus enim ſurſum aerem attrahebat, naſum elevando, cùm natibus inniteretur: nam tunc cruribus poſterioribus inſiſtere non potuit: Hic ſæpè caput agitabat, quaſi ab aliqua muſcâ punctus fuiſſet: Hic paulatim in priſtinam rediit ſanitatem, & poſt viginti circiter minutorum ſpatium potuit incedere, & ſatis firmiter cruribus omnibus inſiſtere, quamvis ſemper crura poſteriora debiliora viderentur: idcircò in ea fuimus opinione canem hunc diutius languere poſſe, vel forſan perfectam recuperare ſanitatem, eum igitur denuo alligatum tenuimus, dedimuſque adhuc tres uncias aquæ, cujus dimidia ferè pars ab eo fuſa eſt; & ut vera dicam, ex unciis ſex illi exhibitis, credo uncias tres vel quatuor tantum intraviſſe in ejus Ventriculum: horrendum, altumque edidit ululatum, ſimulque in poſteriora delap-

delapſus eſt, antequam eum ex palo deligare potuerimus, viſuri num incedere poſſet, nec ne. Nunquam in poſterum ſe erigere conatus eſt, ſed in unum latus ſe projecit, palpitavit, linguam extra os exeruit, multumque ſalivavit, quatuor crura ter quaterve diſperſit, & omninò mortuus fuit, immobiliſque poſt quinque circiter minuta. Nullam potui obſervare Convulſionem in Muſculis Colli & Dorſi nec Caput & Cauda ejus ad ſe invicem trahebantur, ut in Catulo obſervavi.

Semihora ab ejus morte elapſa cadaver adhuc calidum aperui. Veſicam contractam vacuamque inveni: *Rectum* leviter inflammatum; Inteſtina Craſſa flatibus non diſtenta; ſed contracta & ferè clauſa; Bilis magna quantitas aderat in Duodeno, erat craſſiſſima & ſimilis videbatur melli coagulato; Veſicula fellea erat ferè vacua; verum quæ in eâ ſupererat bilis æque craſſa erat ac altera: interiori Veſiculæ felleæ parti variæ adhærebant excreſcentiæ, figura & magnitudine lenticulis ſimiles, quales guttæ Ceræ flavæ mollis. Jecur prætermodum inflammatum erat, & ferè lividum: Ventriculus propè Pylorum contractus erat, & adhuc per trium digitorum ſpatium ſupra eum aperiendo, in venimus quaſdam oſſis partes in eo, mediocrem paleæ quantitatem, duaſque circiter Fluidi uncias, in quibus idem omnino erat odor ac in Aqua Lauri: ſed mucus non aderat, ut in Catulo: Quidam ex Villis Ventriculi leviter inflammati videbantur, quia vaſa ſanguifera valdè turgida erant: In ejus Oeſophago, qui inflammatus viſus non eſt, magna aderat muci quantitas. Aperiendo Thoracem, Pulmones prætermodum contracti, ſummo rubore perfuſi & inflammati viſi ſunt In hoc Cane evidenter omnino apparuit, Pericardium Diaphragmati, ut in erectis animalibus, adhærere non potuiſſe, cum inter has partes adeſſet diſtantia duorum pollicum, imo & paulo major; hoc verò ſpatium occupabat dextri Pulmonis Appendicula; ea remota, Vena Cava, eo in ſpatio quod inter Diaphragma & Pericardium medium eſt, quodque eſt triùm circiter pollicum, omnino libera eſt, etenim per ullas fibras membranaſve dorſo non adhæret, ſed ab hac Pulmonis appendicula omninò obvoluta eſt.

eſt. Vena Cava, venæque omnes prætermodum turgidæ erant, ſanguiſque in iis exiſtens coagulatus, licet Cadaver adhuc calidum fuiſſet: In Aorta parva vel nulla aderat ſanguinis quantitas; ſolummodo eam premendo, parva pellucidi Fluidi, quod ſerum eſſe credidi, quantitas, ex ea manavit. Sanguis dextræ Auriculæ, dextrique Cordis Ventriculi validiſſimè coagulatus erat; partes has omninò replebat, ejuſque color valdè obſcurus erat: ſed in ſiniſtra Auricula, ſiniſtroque Cordis Ventriculo, parvus tantùm aderat ſanguinis coacti grumus, qui magis ruber & floridus viſus eſt. Quoſdam conſervavi ſanguinis grumos è Venis, vel etiam ex ſiniſtro Ventriculo deſumptos, idque per viginti quatuor horas; verùm nullus eorum liquefactus eſt, vel in ſerum abiit. Caput amputavi, verùm negotiis occupatus, illud aperire non potui, niſi poſt viginti quatuor horas: magna ſanguinis quantitas ex eo effluxit, & illud aperiendo, vaſa tunc ſanguine turgida apparere non potuerunt, ſed Dura Mater livida inventa eſt: Nullus hîc omninò aderat ſanguis in Sinubus falciformibus: Cerebrum in optimo ſtatu inventum eſt; Vaſa Plexus Choroïdei in unoquoque Ventriculo turgida non erant, ſed livida, nec vaſa aperta erant, cùm nullus in Ventriculis inventus ſit liquor, niſi minima Lymphæ quantitas: res etiam eodem modo ſe habebat in Pericardio, in quo ultra parvum aquæ cochleare inventum non eſt.

In duobus his caſibus, videtur hoc venenum egiſſe ſanguinem coagulando; ſicque coactus ſanguis, Pulmones, Cerebrumve ſubire nequit: &, ut opinor, apertura foraminis Ovalis in Catulo in cauſa fuit cur Catulus diutius magno Cane vixerit; per eam enim aperturam denſiſſimus ſanguis tranſire poterat, & paulò plures circuitus facere quam feciſſet, ſi per Pulmones tranſire debuiſſet; & eandem etiam ob cauſam, in Catulo Cerebrum fuit pars maximè affecta, ut evidenter patuit ex iis quibus affectus eſt convulſionibus: in Cane vero nulla ferè viſa eſt Convulſio, ſed mori viſus eſt ob reſpirandi difficultatem; maximaque ſanguinis quantitas inventa eſt in dextro Cordis ventriculo.

Cùm Londinum redii ſumpſi Canem patulis auribus & cirris mediæ magnitudinis, cum quo in domo Celeberrimi noſtri Præſidis experimentum feci. Fudi tres circiter uncias Aquæ ſtillatitiæ Lauri in vetus vas in quo Coffé facere ſolebant, & dum Canis ab aliquo firmiter tenebatur, in ejus fauces quandam Aquæ Lauri quantitatem ingurgitavi: Hic in initio ſat vehementer ſe agitabat, querulamque edebat vocem: ſed cùm dimidia circiter hujus quantitatis pars ab eo abſorpta fuiſſet, ſe agitare deſiit; ne verò tam diuturnam poſſet protrahere vitam, reliquum illi exhibitum fuit: amiſſa eſt tertia circiter totius quantitatis pars: Tunc humi eum depoſui, ſed nullos unquam fecit conatus ad ſe erigendum, tantummodo rigida extendens crura, illicò obiit. Dominus *Ranby*, qui experimento aderat, eum ſtatim aperuit; in ejus Ventriculo inventæ ſunt duæ circiter unciæ Aquæ Lauri, parumque Muci ſpumoſi; Venæ in univerſum erant maximè turgidæ, ſed ſanguis erat ſemper fluidus; &, ut vera dicam, nullam in ullo viſcerum mutationem obſervare potuimus.

Dedi quatuor uncias *Aquæ ſtillatitiæ Lauri* Dom. *Porter M. D. Coll. Med. Lond. Licentiat.* Hic vi tres hujus uncias in fauces canis ſat magni, ſine magna difficultate, ingurgitavit. Animal illud duas hujus circiter uncias illicò per vomitum reddidit, eaſque pellucidas, nec mutatas, intra quædam minuta prodigioſis mirabilibuſque affectus eſt convulſionibus, citò poſt immobilis factus eſt, & certè mortui ſpeciem præ ſe ferebat. Intra decem minuta iterum vomuit, ejecitque parvam viſcidæ, viridis, valdèque ſpumoſæ materiæ quantitatem. Ab hoc momento ſanitatem recuperare incepit, & intra ſemihoram perfectiſſimè ſe habuit. Per totam noctem in area manſit, & poſtridie mane, cum ne minima quidem perturbatio in eo videri poſſet, extra januam expulſus eſt.

Relatio

Relatio Experimenti facti in Cane cum Aqua ſtillatitia Lauri, *coram pluribus Sociis* Regiæ Societatis *in ejus Muſæo die Jovis 28. Octobris* 1731. *a Domino* Cromwell Mortimer *Regiæ Societatis a Secretis.*

SEMIHORA circiter elapſa ab hora ſexta veſpertina, dedi ſemiunciam circiter *Aquæ ſtillatitiæ Lauri* Cani patulis auribus & cirris mediæ magnitudinis ponderis ſexdecim ferè librarum; hanc omnino invitè abſorpſit, fundens ferè duplum illius quantitatis quam in ejus fauces ingurgitare tentavi. Quidam ex Adſtantibus hunc humi deponi cupiebant, ut ſcirent quemnam produceret effectum quantitas adeo parva. Hic per unum circiter minutum cum ſemiſſe cruribus innitebatur, incepit tunc titubare, & poſt tria adhuc minuta in violentiſſimas cecidit convulſiones, & ejus Collum Caudaque fortiſſimè ad ſe invicem trahebantur: nullo modo vomuit, nec alvum exoneravit, ſed omni momento mortem ejus propinquiſſimam credebamus, quia Convulſiones adeo prætermodum vehementes erant: tunc quidam ex Adſtantibus Lac petit viſurus & experimentum facturus num eſſet Antidotum Veneni adeo noxii & lethiferi. Parum lactis in ejus fauces ingurgitavimus, quod in initio abſorbere non poterat, ſed ſtrepitum adhuc edebat quaſi ferè ab eo ſtrangularetur. Poſt multas periclitationes aliquid abſorbere incepit, id eſt circiter cochleare ſimul, & parum ſublevatus videbatur, convulſionibus deſinentibus, pectus tamen difficillimè movebat; dein tranquillus ſtertenſque manſit quaſi in profundo ſomno, & Lac ſpumæ inſtar per ejus Naſum exiit: Cum eum expergefeci, Oculos aperuit, Lac que facilius abſorpſit quod illi multum ad ſanitatem conferre viſum eſt; ita ut adſtantes in ea opinione fuerint illum ſanitatem perfectam recuperaturum, ideoque abierint. Ego verò adhuc aliquandiu expectavi, quouſque tandem ipſe lac bibere inceperit, cum ipſi offerebatur: Vomuit quandam Lactis quantitatem, quod illi multum levaminis attulit: & tunc

Lac

Lac adhuc bibit, ſed cruribus inſiſtere nequibat. Circa horam ſeptimam illum eo in ſtatu reliqui, credens illum ad priſtinam rediturum ſanitatem, dedique juſſa ut haberet Lanceas duas, aliam lactis plenam, alteram aquæ, quarum unaquæque duos continebat ſextarios, eaſque prope eum poſitas, & ut per totam noctem includeretur. Circa horam undecimam viſus eſt vivens, & circum circa ambulans; ſed poſtridie mane mortuus inventus eſt, poſtquam totum Lac totamque aquam potaſſet, & multum vomuiſſet alvoque dejeciſſet.

Sic invenimus aquam ſimplicem ex Vegetabili deſtillatam, æquè lethiferam ac morſum Viperæ Caudiſonæ, & eam citiùs mortem afferre quam ullum Minerale Venenum; & licet Mortis cauſa proxima eſſe nequeat, cùm parva hujus aquæ quantitas aſſumitur, vel cum aſſumitur mixta cum aliis liquoribus, quandoquidem Mulieres noſtræ peritiores ſoleant Cremoribus addere folia Lauri, ut iis concilient liquoris *Rattafia* dicti, vel nucleorum Prunorum Armeniacorum ſaporem; & quidam ex iis qui Cardiacas componunt aquas, ſoleant uti Baccis hujus Plantæ in Aqua Vitæ, eaſque Ceraſis nigris ſubſtituere, & miſcere quandam hujus aquæ ſtillatitiæ venenoſæ quantitatem cum Aqua vitæ, ad faciendum liquorem quem *Rattafia* vocant, vel etiam aquam illam diluere cum aqua Communi, quouſque guſtu referat Aquam Ceraſorum nigrorum, & licet unicus ejus aquæ ſic mixtæ hauſtus proxima lethi cauſa eſſe nequeat, attamen familiaris horum liquorum uſus certiſſime poteſt eſſe prætermodum noxius, & ſanitati contrarius, & in debilibus hominibus mortem accelerare debet.

Novi, fuiſſe quendam Nobilem Virum qui cum Conjuge ſolitus erat per multos annos bibere unoquoque die exiguum ſcyphum unum aut alterum Aquæ vitæ in qua Baccæ Lauri infuſæ fuerant: & ambos mortuos fuiſſe paralyticos, vociſque uſum aliquandiu ante obitum amiſiſſe.

F I N I S.

JOSEPH

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec non S. R. I. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

CITROLOGIA,

SEU CURIOSA CITRI DESCRIPTIO.

Juxta Methodum, & Leges

ILLUSTRISSIMÆ

LEOPOLDINO-IMPERIALIS ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM GERMANIÆ Facta,

Selectiſque ERUDITIONIBUS, REMEDIIS, *&* *propriis* OBSERVATIONIBUS *breviter conſperſa.*

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

Inſigni

Naturæ Curioſorum Academiæ Cæſareæ

Ejuſdemque Auctoribus & Conſervatoribus

Invictiſſimo

LEOPOLDO MAXIMO IMPERATORI.

Illuſtriſſimo

JO. GEORGIO WOLKAMERO Præſidi,

Adjunctis Præſtantiſſimis,

Sociis Celeberrimis, atque Collegis Doctiſſimis,

Fautoribus Univerſis, & ſingulis;

Citrologiam *hanc ſuam;*

Exiguum quidem, opus ſed Fidiſſimum

Suæ gratitudinis, obſervantiæ, cultuſque

teſtimonium, ſeque prætereà totum

Ea, qua par eſt, Animi Submiſſione

Dicat, & Conſecrat

Semper humilis

JOSEPH LANZONUS.

LECTORI BENEVOLO

S A L U T E M.

M*Edicinam*, *Divinam eſſe ſcientiam*, *monuit ſummus Medicorum Anteſignanus* Hippocrates; *dum ſcripſit*; Medicus Philoſophus Diis æquiparandus; *hanc enim teſte* Diodoro *volunt multi Mercurium primum inveniſſe apud Ægyptios. Aliique Apollinem dicunt ejuſdem primum inventorem fuiſſe*; *unde ad Daphnem Virginem apud* Ovidium libro 1. Metamorphoſ. *dicit ipſe Apollo.*

Inventum medicina meum eſt, opifexque per orbem.
Dicor &c.

Et Macrobius in primo Saturnal. *hujus rei reddens rationem, ſic de Apolline ait.* hinc eſt, quod eidem tribuitur medendi poteſtas, quia temperatus Solis calor morborum omnium fuga eſt; *Ad hanc autem Divinam, atque apud Magnates æſtimatiſſimam nec non à Prudentibus dilectam ſcientiam exornandam, atque colendam plurimæ olim ſurrexerunt Academiæ, multæ apertæ fuerunt Palæſtræ, plurima fuere inſtituta Collegia honoribus, à ſummis Pontifi-*

Pontificibus, *ac Imperatoribus inſignita*, *innumerique ſemper ubique locorum inventi ſunt eruditi Medicorum cœtus*; *Sed præ cæteris nunc eminet ad medicum exornandum ſtudium Collegium Leopoldinum novum*; *hoc eſt S. R. I. Academia Naturæ Curioſa*, *quæ multis*, *abhinc Annis incipiens*, *adhùc parvula in cunabulis ipſis ſapientiores Seculi Medicos recepit in ſinù*, *quales fuere* Clariſſ. Jo. Laurentius Bauſchius *Inventor Collegii iſtius ſemper laudandus*, *& primus Præſes digniſſimus*, Chriſtophor. Schillingius Gregor. Horſtius, Andreas Wolfius, Leonardus Urſinus, *aliique plurimi nunc quidem corpore extincti*, *ſed memoria glorioſa vivi*; *Et modò creſcens inſignes medicinæ viventes Magiſtros habet*, *ità ut neſciam*, *an plus decoris afferat ipſa Academia eiſdem? an verò plus honoris ab iiſdem ipſa recipiat*; *Hujus inſigniſſimi corporis Caput eſt* Illuſtriſſ. D. Joh. Georg. Volckamerus Præſes digniſſimus; *Corpus poſtea conſtituunt Celeberrimi* Schroockius, Harderus, Mercklinus, Volckamerus Junior, Paulinus, Peyerus, Francus, Patinus, Scheſferus, *aliique multi fulgidi medicinæ ſplendores*, *quos futura nominabit Ætas*, *quibus ſed immeritò*, *elapſis menſibus ego additus fui*; *Quià verò celeberrimæ hujus Academiæ finis eſt nunquam otiari*, *ideò ejus Filii*, *ad medicam exornandam facultatem continuò inſudant*, *nova cogitata meditantur*, *nova novis addunt*, *ac proprias obſervationes ad publicam utilitatem eruditè communicant*; *Hinc Tomum Ephemeridum Germanarum Academiæ Curioſæ tenet quovis Anno Medicus Orbis*, *in quo ſingulorum Academicorum Obſervationes leguntur*; *Hinc nunquam otioſi ſecundum Academiæ methodum*, *ac leges*, *nonnullarum Plantarum*, *Animalium*, *ac Mineralium conſiderationes concinnarunt multi*; Hertodtus *enim Crocologiam*, *eruditè depinxit*, Wurfbainus *Salamandrologiam*, *conſtruxit*, Paulinus *Cynographiam*, *Bufonem*, *ac Salviam delineavit*, *Aliique de Caſtore*, *Abſinthio*, *Carduo benedicto*, *Cochlearia*, *Vite &c. curioſé ſimul*, *ac eruditè confecere tractatus*, *quorum numero nunc mihi liceat addere* Citrologiam, *id eſt Mali medici deſcriptionem*, *puſillum quidem opus*, *nec dignum oculo tuo*, Lector Amice, *ad diſcendum tantummodò*; *non ad docendum confectum.*

Ad invidum verò quòd attinet ſi fortè in his pagellis aliquid invi-

 dia

dia dignum reperiat, ut in propria viſcera ſævire deſinat, amicè moneo; Momo autem meliorem mentem ex corde precor, ſimulque rogo, ut is in hoc ſcribendi genere meliora ſubſtituat; Nil quicquam enim me movebunt acerba, & ignominioſa Cavillatorum quorumdam Scripta, dum ſcio me in hoc opuſculo conficiendo Auctoritatibus ſummorum Medicinæ Præceptorum munitum fuiſſe, ſicque pariter, nec me tangent cavillationes indignantium nonnullorum medicorum, qui alienos ſemper labores vituperant, ut fortaſsè ità ſuprà Vulgares ſapere videantur; Obſtrepent ergo, & multa à me ficta, ac minimè vera in medium muſſitent allata; quod mihi non deerunt veritatis Vates, ac Proceres, quos in hac mea Citrologia *propriæ opinionis teſtes excito; Tu interim,* Lector benevole, *amica manu hoc opuſculum accipe, eoque in tui commodum, Proximique ſalutem feliciter fruere; atque rogatum te magnoperè velim, ut crebris illis, qui hic occurunt, erroribus typographicis, ne offendaris; tibique promitto, (Deo tamen lubente) alia opera; Academicum quippè Curioſum opportet* nunquam otioſum *mori; hinc Valè, & me ama; Faxit tandem Divina Clementia, ut omnia cedant in Nominis ſui gloriam, Proximi Salutem, & Noſtri emolumentum.*

Nunquam melius torquebis invidos, quàm Virtuti, & Gloriæ Inſerviendo, &c. *Seneca in Epiſtol.*

JOSE.

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

CITROLOGIA.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM,

De Nomine, ac Deſcriptione Citri &c.

VARIIS fuit olim nominibus citrus appellatus; Malum nonnulli dixere Perſicum, alii Medicum, alii Aſſyrium, alii Heſpericum. Autore *Juba*, ut ait *Hermol. Barbarus coroll. in Dioſcoridem* qui ab Hercule translatum in Græciam, & aureum malum vocatum fuiſſe ſcribit; ita ut *Virgilius* de his intelligere videatur dum canit:

Aurea mala decem. . . . . . .

Nec defuere, qui nuptiale Pomum intelligi citrum voluerunt, editum à Terra nuntiato Jovis, ac Junonis connubio; Malus autem Citra, Medica vocatur, Perſica, & Aſſyria,

Aſſyria, quia apud Medos, Aſſyrios, & imprimis apud Perſas frequens eſt: Hinc in Italiam translata fuit hæc Arbor, poſtea in Hiſpaniam, ubi nunc tantus eſt Citri uſus, ut nemora, campoſque occupet hæc planta. Hebræi Citrum *Hadar* dicunt cujus fructus *Etrogim*; *Hadar* autem propriè pulchrum, formoſum, & decorum ſignificat, id eſt Fructum Arboris pulchrum, quia autem Citrus ſpecioſiſſimus fructus eſt, ideò pro Citro Arbore *Hadar* interpretantur: Hinc celebratur à Judæis octava Septembris dies cum magnis ſolemniis, vocaturque *Chag Araſà* id eſt feſtum Palmarum, ut ait *Hieron. Tragus in Stirp. Hiſtor.* quo die ſumuntur fructus, quos *Etrogim* id eſt Citra vocant, & ſpatulæ Palmarum ad innuendum, quod Deus deduxerat eos per deſertum ad Delicioſam Terram; circumeunt quoque ſeptimo die septies Altare portantes palmas in memoriam depopulatæ *Hiericho*. Ex iſtis ergo facilè liquet Hebræis *Etz Adar* Citream Arborem, fructum verò ejus Chaldæis *Eſrog.*, ſeu *Etrogh.* ſignificare; Hinc *Serapio* Citrum *Atrog.* vocat lingua arabica; voce nimirum nihil quòd ad ſubſtantiales litteras attinet (nam in punctis tantum, quæ *Hebræis*, *Chaldæis*, & *Arabibus* vice vocalium inſerviunt, aliqua apparet, ſed levis mutatio) ab Hebræorum, ſeu Chaldeorum *Ethrog.* differente; unde cum Arabica, & Chaldaica lingua (quæ Judæorum à reditu ex Babylone vernacula fuit, ut multis novi Teſtamenti Vocibus, ut ſunt *Tabitha kumi*, *Bethabbera*, *Maranata &c.* patet) in hac voce conſentiant, nemo impoſterùm dubitare debet, quin *Etrogh* Chaldæorum Citrum ſit; maximè cum *Serapio* ſub voce *Atrhog* ea dicat, quæ *Dioſcorides*, & *Galenus* de Citro jam ante præſcripſerant.

Arborem hanc optimè deſcripſit *Theophraſtus lib.* 4. *de hiſt.plant.* ſub nomine Mali medicæ, ejuſque figuram eleganter depinxit; Attamen etiam de hoc aliquid in præſenti capite addamus; Eſt ergo Malus Citrea Arbor exotica, per totum Annum virens, fructum tenellum, cum matureſcente ſimùl ferens; habet hæc Arbor caudicem Pomorum neranziorum penè conſimilem folia lauri perpetuò virentia, ramulos faſtigiis ſpinulentis hiſpidos, & aculea-

aculeatos; Cùmque Arbor hæc poma ferre inceperit; tanta ipſi ubertas ineſt, ut onere proventus ſemper gravetur, aliis matureſcentibus, aliis verò ſubnacentibus malis; hæc autem fœcunditas arborem hanc comitatur, non in frigidis, ſed calidioribus regionibus. Pomi, quod nonnunquam grandius, quandoque magis exiguum apparet effigies caperata rugis, prælonga interdum rotundior; Odor plusquam jucundus, & qui martias violas ferè referat, acidus ſapor, amara intùs grana; Hæc poma ſeplaſariis, quàm culinis potius nata videntur; Celebratur autem hæc Arbor *in Georgica l. 2.* his carminibus.

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali: quo non præſentius ullum
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia Verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra Venena;
Ipſa ingens Arbor, faciemque ſimillima lauro
Et ſi non altum latè jactaret odorem
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis
Flos apprimè tenax: animas, & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Addamus hîc *Alcibiad. Lucarinum*, Citrum onuſtum fructibus depinxiſſe, indeque ſequenti ornaſſe propoſitione

E Peſo grave è il frutto.

Alludens Patribus Familiæ, quibus filii, ipſorum ventris fructus, plùs ponderis ferunt, quam voluptatis; unde *Tertullianus lib. de nupt. cap.* 4. ait *Liberorum amariſſima voluptas.* A putredine tutam eſſe, hanc arborem monent multi, & propterea immortalitatem indicare; undè *Plinius lib.* 13. *cap.* 5. ſcribit *Materiæ ipſi æternitas, itaque, & ſimulacra Deorum ex eo factitarunt.* De ſimilibus eruditionibus Rhetoricis circa Arborem Citriam vid. *Abbat. Philip. Picinellum in ſuo mund. Symbolic. lib.* 9. *cap.* 8.

Citri autem variant magnitudine, nam quidam ſunt majores inſtar melopeponum, quorum plures ego obſervavi, dum Rippæ Tridenti eſſem; alii Minores, & vulgares; alii Limonum magnitudine; ſic alii prælongi ſunt, alii rotundiores; hinc variant quoque loco natalis, alia enim dicuntur Poma Medicea, alia Aſſyria; aliqua ex Guinea &c. Quæ autem auri colore relucent poma aurengia Vulgus nominat, quæ ex viridi in luteum langueſcunt, citreola; vel Citrula, nominat, quæ ovata ſpecie turbinantur, ſi luteo colore nitent, citrangula, privatim Citrea vocant, ſi herbaceo colore virent limones dicunt; ſi prægrandia modo Melonum orbiculata facie turgent, Ponceria vulgò, quaſi Cerea, vel potiùs citrea poma dicunt; ſi quis autem plura circà Citri differentias cupit legat curioſum opus *R. P. Jo. Baptiſtæ Ferrarii Jeſuitæ* cui titulus eſt *Heſperides*, *ſive de malorum Aureorum cultura*, *& uſu*; in quo inveniet magnam Citrorum varietatem, & in ſpecie eruditiones varias reperiet circà Citrum belluatum, qui formam retinet quaſi capitis Belluæ; hinc variam eſſe aciditatem Citrorum monet experientia; atque hanc arte quoque fieri poſſe teſtatur *Nicol. Monardes*, qui cum *Donzello* aſſerit hujus artificii fuiſſe *Palladium* inventorem Virum in culturæ genere celebrem; Advertendum autem ſub ipſo Citrorum genere comprehendi Poma Aurantia, Limonia, Poma *Adami* dicta, apud Tuſcos *Lomei* vocata; Quorum malorum ſpecies, eſſe ſimiles Citris, ſed non tamen ità efficaces ait *Joſeph. Donzelinus in Theatr. Pharmaceut. part. 2.*

Ubique ferè locorum oriuntur Citri, ſed præcipuè, & in maxima copia naſcuntur in Liguriæ regionibus, in Inſulis maris Ægei, Arcipelagi, Siciliæ, in Neapolitana Tellure, & apud Benacum, ubi pulcherrimos obſervavi citros, & præcipuè dulcis ſaporis multos; Florent autem quovis anni tempore; ità ut aliis decidentibus fructibus jam maturis; alia Poma citria matureſcant; hinc carminibus iſtis vulgatis de Citro caput hoc primum claudamus.

Medica mala ſumus, pelli vis ignea noſtra eſt
Humentis brumæ, nec benè cocta caro.

Terreus

Terreus eſt humor, ſectantur ſemina pellem
Flos calet, & Folium, ſic voluere Dii.
Tarda caro eſt, ſuccus choleram fluxuſque moratur
Cor tepet hinc ardens; hinc tua membra nitent
Semina, flos, folium, & Cortex frigentia mulcent
Corpora, & epurant Aëra peſtiferum;
Sola tamen volumus, mandi, ſic gratus oleſcens
Nos bona dic Veneri, non mala, nec medica.

Citria Arbos juvatur Auſtro, & Aquilone læditur, monente *Ruellio.*

CAPUT II.

De Viribus, ac qualitatibus Citri.

GRæcos, atque Arabes in facultatibus Citri recenſendis nequaquam convenire oſtendit Patriæ meæ honor ſemper colendus: ac nunquam ſatis laudatus *Manardes in Epiſtol.* 3. *lib.* 11. *Galenus* autem, quem ſequitur *Tragus*, aliique plures, Citria mala frigidæ eſſe qualitatis teſtatur; de quo videatur *Matthiolus in Dioſcoridis lib.* 1.

Corticem Citri calefactivam vim, & ſiccantem habere docet *Schroderus.* Pulpam verò refrigerare, & humectare, ac ſemen calefacere, attenuare, & abſtergere ait; Integrum verò pomum Citrium eſſe Alexipharmacum docent omnes, quos legi Autores; hoc patet ex hiſtoria ab *Atheneo* relata, qui ſcriptor aſſerit, quendam facinoroſum integri Citri eſu ab internecione Aſpidum fuiſſe vindicatum; hujuſque hiſtoriæ veritatem confirmat altera hiſtoria narrata à *Frider. Hofmanno clav. in Schroderum*, quæ talis eſt; Medicinæ ſtudioſus Pariſienſis in frequentia quorundam medicorum, de natura, viribus, ac Veneno viperarum diſceptantium in ædibus Pharmacopolæ cujuſdam, ubi haud exigua Viperarum quantitas ex finitimis locis apportata, diſcendi, & curioſi ingenii gratia præſens fuerat, de præ-

ſenti materia ultrò citròque cumreliquis verba miſcens arripit manu, quòd anteà ſæpius illæſus fuerit, viperam tabulæ impoſitam, & ipſo inſcio à Pharmacopæo Gallo rude inter forſipem compreſſam, & hinc ira ſuccenſam, hæc, dum ille ſermoni intentus, reflexo capite dente ſuo pollici dextræ vulnuſculum vix acûs magnitudinem æquans infligit, quo animadverſo illam projicit, vulnere tamen ſpreto; Aſt vix quadrantis horulæ ſpatium interceſſerat quin dira ſubſecuta ſymptomata, convulſio, vomitus, tormina, cum extremorum refrigeratione, brachium croceo infectum colore intumeſcebat, facies cadaveroſa, labia livida, ac tumida, oculis deſidentibus, pollex tum minimè intumeſcebat, niſi ſub fine, nec ex vulnere inflicto, ne guttula ſanguinis aut ullius humoris extillavit; Improviſus, & ſubitus hic tragicus caſus, in multas, & diverſas præſentium medicorum conſilia diripuit partes. Hic ad Theriacam, alter ad Orvietanum, tertius ad cauterium potentiale, ſed nimis tardè, confugerunt; Tandem miſer hic Juvenis decumbens; vivaciſſimus licèt, diſtortus doloribus, ſal Viperarum volatile cum aqua theriacali exigebat inani verò quaſi effectu, continuato enim Vomitu hauſtum rejiciebat, nec clyſteres ullum attulerunt levamen, tota namque Naturæ œconomia haud leviter turbata; Fortè autem fortuna accidit; ut Nobilis quidam exterus ex commiſeratione Ægri tactus, decumbenti pomum Citrium exhiberet, quod vix odoratu, non dicam guſtu, acido ſcilicet ſucco delibatum, incredibile dictum eſt, quam ſubitaneam tulerit opem, omnia momento ceſſabant Symptomata, & non aliter fuerat, ac ſi Jupiter, ut dici ſolet, opitulatricem porrexiſſet manum; ex quo patet, Citrum verè alexipharmacam qualitatem habere.

Tàm ſuccum, quàm ſemina Citri, cibi appetentiam invitare ait *Tragus*; Atram quoque bilem Citrum expellere docet *Dioſcorides*; Impoſitos autem Citri cortices veſtiariis arcis ab eroſionis vitio veſtes vindicare putant multi; certum tamen eſt eiſdem bonum communicare odorem; Corticem Citri ob ſuam virtutem cardiacam ſpiritus confortare ait *Donzelinus*. Citri pulpam acidum volatilem ſuccum in ſe continentem, in

morbis

morbis malignis uſitatiſſimam eſſe ait *Ettmullerus*; ſic, & in ſcorbuto præſens eſſe remedium volunt multi; hinc Belgæ quando in alia abſita loca navigant, ubi tantum non ſemper ſcorbutum contrahunt præſervationis gratia ſuccum citri adhibent; Acidum enim volatile citri corrigit acidum rancidum ſcorbuti, & ſic mala citria convenire in ſcorbuto aſſerunt *Gregor. Horſtius lib. 1. de tuend. ſanit. cap. 6. Mœlenbrockius de Arthritid. Vag. Scorbut. cap. 13. & Balthaſar. Brunerus de Scorbuto.*

Uſum Citrini ſucci autem in Febribus commendat maximè *Nigriſolius in Progymnaſm. & Riverius in Prax.* Corticem Citri carminativam vim habere tradit *Frid. Hoffmannus* & concoctionem juvare; Semen in emulſionibus conferre verminantibus pueris, & Vomitus Gravidarum compeſcere legitur in *Meſſ. med. ſpagyr. pag. 390.* Aſt quia de viribus Citri in Morbis fugandis loqui debemus in altera hujus noſtri opuſculi parte, ideò præſens claudamus caput oportet.

CAPUT III.

De Præparatis ex Citro.

MULTÆ quidem ſunt medicæ Citri præparationes, quas tamen breviter nunc videamus; nam primò condiuntur Poma citria, indè eorum cortices, unà cum floribus; Fit ex Floribus citri conſerva, ut & ex aciditate; fiunt ulteriùs Aqua, Spiritus; oleum, & deſtillatum, & expreſſum, Syrupus, Morſuli, Balſamus, Electuarium, Acetum citratum, & Eſſentia liquida, ac ſicca, nec non lac Citri, quæ omnia nunc ſingillatim ſunt examinanda.

Poma Citria maxima igitur primò condiuntur nondum ſatis matura cum cortice, ac carne inciſa nucleis exemptis, & citronata dicuntur; eodem etiam modo condiuntur minora integra, vel in taleolas diſſecta; Cortices demum condiuntur poſt mitigationem amaroris cum ſaccharo; At hîc quoque audiamus quid de Citro condito afferat *Antidotar. Bononienſe*;

Poma citria, enim ait, fruſtatim ſecta ſaccharo clarificato condiuntur; quin, & condiuntur etiam Cortices citri ad eum modum: ii carne purgati lixivio claro merguntur diebus novem, mutato, ad diem quintum, poſtea merguntur aqua clara, donec amaritudine depoſita dulceſcant; tunc aqua fontis plurima in vaſe mundo coquuntur donec tenereſcant, aquoſa deinde ſubſtantia ab his expreſſa in vaſe lapideo merguntur horis 24. Julepo ſufficienti ex ſaccharo albo, & aqua tripla conſtante, poſt coquuntur igne lento ad penidiorum conſiſtentiam; Extracti cortices ex hoc Julepo reponuntur vaſe vitreo ſuperfuſo ſingulis viciſſim Julepo roſato cocto ad mediocrem craſſitiem ſacchari candefacti; Citros autem hos conditos cor, & ventriculum firmare, coctionem juvare oriſque pravum halitum corrigere ait *citati Antidotarii Auctor. pag.* 112.

Flores citri quoque cundiuntur, flatus diſcutientes aſſumpti; Conſerva duplex eſt; alia quæ paratur ex floribus, & alia ex aciditate; quæ paratur ex floribus tali fit modo. Sumitur tertia pars florum; V. G. ℥. iv. florum, & Sacchari ℔. j. & fit S. A. Conſerva; Conſerva pariter quæ ex aciditate conficitur; fit ſumendo V. G. ℥. iv. Acidi, & ℔. j ſacchari, & fit S. A. Conſerva; Prima Flatus diſcutit, corroborat ſtomachum &c. Altera, eſt egregia ad Virium imbecillitatem, & febrilem æſtum compeſcendum.

Aqua ex corticibus deſtillatur, quæ commendatur in Febribus malignis cum lypothimia conjunctis. Aquam pariter bezoarticam præſcribit *Frid. Hoffmannus in Theſaur. Pharmaceutico.* cujus deſcriptio eſt talis. ℞. Pom. Citr. recent. & ſucculent. num. vj., ſuccus exprimatur, eique adde cortices prædictos Citri ſeminibus excluſis, adde ſucci ſcordii ℔. j. ß. Acetoſæ, rutæcaprar., ſcabioſæ, card. bened. ana ℔. ß. balſamicor. ingredientium theriac. ana q. s. deſtilla in B. M. & doſis ſit ℥ j.

Spiritus citri valdè cardiaci deſcriptio egregia eſt in *Meſſ. med. Spagir. pag.* 391. quæ talis eſt; ℞. Pomor. Citr. q. v. remota parte alba effœta; conſcinde reliqua, ſacchari q. s adde, miſce in vaſculo benè clauſo, ſtent in digeſtione per ſeptem dies continuos poſtmodum deſtilla per Alembicum, & tandem

rectifica

rectifica per arenam; Spiritus prodibit limpidiſſimus, cujus aliquot guttulæ in convenienti vehiculo oblatæ collapſas reſtaurant vires; Oleum deſtillatum itidem cum aqua ex corticibus extillat de quo optimè *Jungken in med. præſent. ſæculo accomod.* At oleum habetur ſuavius ex non fermentatis, quod magis præſtat ad commodum externum, quam internum, pluſque ad deliciam facit, quam ad medicinam; Poteſt, & exprimi oleum ex ſemine, ſed id eſt minus uſitatum. Syrupus duplex paratur ex Citro; primo fit Syrupus de Acetoſitate Citri cujus deſcriptio eſt ſequens ℞. Succi Citri acidi ℔. xij. In vaſe vitreato coque igni prunarum lento ad tertiæ partis conſumptionem, cola, & permitte, donec clareſcat, cujus ſucci clari accipe ℔. vij. ad juſtam craſſitudinem cum julepi clari expurgati ℔. v. & fiat Syrupus, qui æſtum, & fervorem bilis flavæ, & febrium ardentium, & peſtilentium extinguit. Secundò fit Syrupus ex corticibus Citri cum moſcho, & ſine moſcho; hoc modo ℞. Corticum Citri recentium ℔. j. Chermes ʒ. ij. Aquæ Font. ℔. x. coquantur ad duarum tertiarum conſumptionem, & percolentur, colaturæ addantur ſaccari clarificati ℔. ij. ß. fiat Syrupus S. A. & aromatizetur cum moſchi orientalis gr. iv. ſi cupias Syrupum cum moſcho; ſi verò ſine moſcho vis, moſchum linque; hic autem Syrupus Cerebrum, cor, ſtomachum roborat, & oris gratiam commendat. Tertiò demùm fit Syrupus de Citro condito, qui apud Pariſienſes magno in pretio habetur, in curanda inappetentia; talis autem eſt ejus deſcriptio ℞. Corticis Citri ſaccharo conditi, & in taleolas diſſecti ℔. ß. coquantur, in æquis partibus, aquæ cichoriæ, & agrimoniæ, uſque ad putrilaginem; Expreſſioni fortiter factæ adde ſucci Cydoniorum, & aquæ ſtillatitiæ abſinthii pontici ana ℔. ß. Quibus ſimul mixtis infunde per quatriduum Schœnant. ℥. iv. in Vaſe benè clauſo, vitreato, ſuprà cineres calidos; In expreſſione fortiter facta diſſolve ſacchari albiſſimi q. s. Coquantur poſtea in Syrupum perfectum in quo calente diſſolve ambræ cineritiæ ʒ. j. ſervetur poſtea in vaſe vitreo benè clauſo ad uſum.

Morſuli de Citro habentur *in Theſauro Pharmaceutico Frid. Hoffmanni* magnæ virtutis in corde roborando, ac ſpiritibus robur

robur addendo, quorum deſcriptio talis eſt ♃. ſolut. perlar. oriental. ʒ. ij. diſſolve cum ſufficienti quantitate ſucci Citri recentis ad formam pulticulæ; Corticis Citri conditi inciſi ʒ. iij. & ſuprà ignem in patella ſolve ſacchari albi ℥. iv. cum ſucco Citri f. morſuli ponderantes ʒ. ij.

Balſami autem Citri nomine, quia omnes penè Auctores intelligunt oleum ſtillatitium citri, de quo paulò antè locuti ſumus; ideò Balſamo relicto, ad Electuarium Citri cordiale gradum, facimus, quod deſcribitur in *Meſſ. Medic. ſpagyric. lib. 2. pag.* 104. quod Spiritus Vitales, balſamumque naturæ corroborat ſumptum ad avellanæ magnitudinem pro doſi; ſic autem componitur. ♃. Internæ pulpæ Citri ℔. j. Conſerv. roſar. ℥. viij. confect. alchermes ℥. iij. flor. citri condit. ℥. iij. Cortic. Citri condit. inciſ. ℥. j. ß. Margarit. orient. ppt. ʒ. ij. Corall. rubr. ppt. ʒ. vj. ol. deſt. Cinnamom. gut. vi. olei deſtill. Citri ℈. ß., cum Syrup. rubi idæi q. s. f. Mixtura.

De Electuario autem Citri ſolutivo mentionem facit *Joh. Schroderus in Pharmacop. Med. Chymic.* quem videre poteſt curioſus Lector. ut & quoque de Aceto Citrato; & quia ingreditur Citrus Acetum bezoarticum famatiſſimum *D. Diemerbrockij*, ideò iſtius Aceti deſcriptionem hic ponere non incongruum puto, quæ talis, eſt ♃. Angelic., Carlin., Petaſid., Helenii, Dictamni, ana ℥. ß. Zedoar. ʒ. ij. herb. card. bened., Scord., ana ʒ. vj. Centaur. minor., Rutæ, ana ℥. ß. flor. Stœchad., ʒ. ij. Semin. Card. bened., Citri aná ʒ. j. baccar. Juniper. ʒ. iij. f. Pulv. groſſus cui affunde Aceti fortiſſimi ℔. v. ſtent ſimul in loco radiis ſolaribus expoſito per quatuordecim, vel plures dies poſtea colentur cum forti expreſſione; Eidem aceto ſi velis, eundem pulverem adhùc ſemel de novo infundere poteris, tuncque erit multò efficacius; Acetum autem hoc optimum eſt peſtis præſervativum, ejus autem duo, vel tria cochlearia manè bibere oportet ſupermaſticando fruſtulum panis.

Audiamus autem modò quid de eſſentia Citri in forma liquida, ac ſicca dicat *Frider. Hoffmannus Clav. in Schroder.* Eſſentiam enim Citri liquidam tali modò fieri ait ♃. Malorum Citrinorum

trinorum num. 100. dividantur primi cortices à pulpa ipſa, poſtea remota parte ſpongioſa alba in partes conſcinde minutiſſimas, ex reliqua pulpa interna acida ſuccum exprime, quam fortiſſimè, & ſuperaffunde probè cum ſucco mixtis invicem corticibus, adde ſacchari S. Q. & per ſeſquimenſem digere in loco calido; poſtea per B. M. abſtrahe ſpiritum fortiſſimum, quem ſeorſim aſſerva; Reſiduum exime, & cum expreſſione trajice primò per pannum album, deindè verò filtra debitè per chartam bibulam, facta filtratione inde cucurbitæ convenienti, & abſtrahe indè ℥. j. cum ſupradicto ſpiritu fortiſſimo conjungendam, quod reſidui liquoris remanſerit, in cucurbita ſupra dicto ſpiritui permiſce, & in pelicano tandiù circuletur, donec liquor ille pellucidus, & coloris citrini evaſerit; tandem effundatur per lentam inclinationem quod clarum eſt, & uſui ſervetur, fæces verò in fundo reſidentes rejiciantur.

De Eſſentia vero Citri ſicca facienda ſic ſcribit *citat Hoffmannus* Conficitur hæc ex corticibus Citri recentis mediante ſacchari albi aſperſione, quod abraditur iterum cum parte inverſa cultelli in orbe ſtanneo, uſque dum ſaccharum conſiſtentiam acquirat ſiccam. Lac Citri tandem fit à *Sylvio de le Boe* ſic ℞. Spirit. Citri ℥. j. roris ℥. j. ß. m. & habebis Citri Lac. &c.

APPENDIX.

DUos Citros prægnantes vidi ego Annis elapſis in quibus ſectis obſervabantur Citri alii minores; ſuo tamen cortice flavo ornati uti majores; De talibus Citris prægnantibus mentionem faciunt *Clariſſ. D. Willichius epiſt. ad Thom. Bartholin. Michael Doringius ad Sennertum; Olaus Wormius in Muſæo ſuo; G. Harvæus de Animal. Generat.*, *Thom. Bartholinus Centur. 3. Epiſtol.* 41. *pag. mihi.* 153. *Joh. Baptiſt. Ferrarius lib. 3. Heſperid. cap.* 19. *Cornel. Stalpartius Vander. Wiel. Obſerv. centur.* 2. *pag. mihi* 476. aliique plures.

Citrum pariter belluatum, qui capitis fere Agni figuram repreſentabat mihi Anno 1684. demonſtravit Mercator quidam Januenſis, dum ſimul, in navi, Venetias peteremus; ipſoque aperto, ac manducato, ſuccum non acidum, ſed dulcem lingua percepi. Semina autem illius, figuræ valdè ab aliis Citris diſſimilis obſervavit oculus noſter non ſinè curioſitate; tunc enim primò tantum citrum belluatum, de quò eruditè *R. P. Ferrarius Soc. Jeſu* ſcripſit, obſervavit. Citrum manus figuram habentem ſe obſervaſſe mihi narravit *Clariſſ. Franc. Maria Nigriſolus Practicus Ferrarienſis Celeberrimus*; Et de tali digitato Citro meminit etiam *Vlyſ. Aldovrandus libr. 2. de Arborib. pag. mihi 527.*

Citria autem, quam volueris, *Lector Amice*, figuram exteriùs præ ſe ferent, ſi ubi defloruerint, & primum ſui rudimentum exhibuerint, in figuratum internè typum aliquem ligneum, teſtaceum, aut alterius materiæ incluſeris, & deligaveris, donec juſtum maturitatis gradum aſſequantur ita monente *Antonio Mizaldo in Arcan. memorab. cent. 1.*

De Citrii Arboris ſpecie ait nonnulla curioſa *Plinius*, quæ flores tantummodo, at non fructus facit, & de alia narrat fructus tantum, ſed non flores producente; quà de re *legatur Plinius*, *Matthiolus &c.*

Apud *Theophraſtum* mentio fit de arbore quadam in Phrygiæ regionibus oriente quæ ab ipſo dicitur *Cedris*, & ab interprete poſtea ipſius *Theophraſti Gaza*, vocatur *Cedrula.*

Plinius quoque Citri ſpeciem dicit plantam quandam, quæ oritur in Sylva præcipua Montis Athlantis in Mauritania, & habet ſimilitudinem Cupreſſus fœminæ; A multis verò eruditis putatur hæc Arbor *Thuia* deſcripta à *Theophraſto.*

Notandum autem, quòd ſi aliquis velit, Citriam Arborem fructus proprios retinere haud poſſe; ſumere debet quinque partes ſulphuris Citrini, & quinque nigri, & duas partes albi, & Cinnabaris, indè in pulverem omnia ſubtiliter reducere, quo ſuffumigare plantam Citriam debet, & ſic omnes fructus cadent; hoc verò arcanum ego legi jam apud *Albertum Magnum lib. 3.* fides autem ſit penès experientiam.

Notan-

Notandum pariter, Citriam Arborem in Aſſyria ſolùm Mediaque jam ortam fuiſſe, ſi *Plinio* credimus, qui verbosè de illa diſſerit; unde è Perſide Poma Citrea in Græciam illata, indeque in Italiam; nec ut eſui eſſent, aut menſarum uſui, ſed ut odoris gratia inter pretioſa reconderentur, aut veſtibus interjicerentur: *Plinii* certè ætate nondum mandebantur; nec gignebantur in Italia, refertque *Plutarchus* avorum dumtaxat memoria manducari cœpiſſe; Videtur autem in Italiam Arbor perveniſſe paulo antè *Palladii* tempora, ubi mutato ſolo, ab ea quæ in Aſſyria naſcebantur, eò receſſit, ut cùm tempore Anni in Aſſyria fructum ferret, in Italia tantum certis temporibus poma ederet; Ex Italia poſtmodum in Hiſpaniam, Galliam, aliaſque regiones propagata, atque hæc eſt cujus Poma propriè *Citria* dicimus; Antequam autem hæc Arbor Græciæ innoteſceret, jam pridèm Heſperia Arbor, quam Citrum *Plinius* antiquitùs dictam eſſe ait, Vulgaris erat, Domibus decorandis expetita, & Veſtibus odore Pomi, quod nec ipſum tum eſitabatur, imbuendis; Quæ mala modo Heſperia, modo Aurea, modo Citria appellata ſunt; Ex hoc ergo conſtare patet duplicem eſſe Citriam Arborem apud Auctores una parva, quæ medica vocatur, neque altè extollitur; Alia valdè ingens ac alta, qua uſos fuiſſe veteres, ad Tabulas, Naves &c. conſtruendas dicam in *Cap. de uſu œconom. Citri.*, & de hac Poëta ſic loquitur

Ipſa ingens Arbor, faciemque ſimillima lauro.

Hinc aiunt multi cùm *Joh. Jacob. Hoffmanno in Lexic. Univ.* ſub Citri nomine duas diverſas Arbores venire ſcilicet *Thya*, & Citrea, de qua modo dictum; Et quidem *Thya* peculiaris Cyrenaicæ, & Hammoniacæ Libyes arbor, juxtà *Theophraſtum* in Græcia nuſquam viſa fuit, niſi invecta ex Africa; unde Romanis major, quam Græcis ejus notitia, quippe Africæ vicinioribus; quibus tamen non ex Cyrenaica, ſed ex Mauritania afferebantur Menſæ citreæ, ubi, & Citrum naſcebatur; Confines certè Athlanti Mauros arborem citri ferre ipſe *Plinius*

 fatetur;

fatetur; Unde *Atlantica munera*, vocantur Citreæ Menſæ à *Martiali in lib.* 14. *epigram.* 87. dum ſic canit.

Accipe felices, Atlantica munera, Sylvas
Aurea qui dederit Dona, minora dabit.

Aſt ſuſpicatur *Salmaſius*, incognitum illud genus Arborum, & Atlantis Montis peculiare, cujus *Plinius* meminit in lib. 5. ex relatione *Suetonii Paulini* qui primus Romanorum Atlantem trangreſſus eſt, tradentis Arbores eſſe in eo ſpectabilis proceritatis, & frondes habere cupreſſi ſimiles, & Citri Arbores videri; certè omnia convenire, præcipuè foliaturam cupreſſinam, ait *citat. Hoffmannus*, quàm cùm tribuat & Cedro *Vitruvius* prorſus videtur Cedrum, & Citrum confundere, quemadmodum faciunt alii multi.

Tantæ autem, & talis præſtantiæ Citria Arbor ſemper fuit, ut hanc eligere ad ſanctam conſtruendam Crucem, non dedignatus ſit *Chriſtus Dominus noſter*; quod optimè oſtendit *P. Valderama in ſuo Quadrageſimali*; dum innixus Authoritatibus *Bedæ*, *ac Bellarmini*, ait, S. Crucem conſtruentia ligna hæc quatuor fuiſſe ſcilicet Cedrum, Palmam, Cupreſſum, ac Oleam; hinc in *Theatro Vitæ humanæ ad liter. C.* legitur *Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cupreſſus, & Oliva*; hocque confirmat *Gloſſ. in Clem. p. de ſumma Trinitate, & in verbo Cruci*; Atque hinc eſt quod Sancta Eccleſia noſtra canit de Cruce loquendo. *Super omnia ligna Cedrorum tu ſola excelſior &c.* de qua re plura apud *Origenem*, *& Jacob. Pintium de Crucif.*

Divus Auguſtinus, monente *Leonard. Mario comment. in Sacr. ſcript.* agnoſcit pro materia Navis Noeticæ ligna cedrina; quin, ſacram Teſtamenti veteris Arcam ex lignis *Setim* hoc eſt Cedri fuiſſe conſtructam, ait *Amon. Corius concord. in Geneſ. cap.* 7. & *Hoffmannus in lexic. Univerſal. ad litter.* A.

Salomonem ornaſſe Altare cedro colligitur, ex *lib.* 3. *Regum cap.* 6.

Nivem ſuper Cedro non durare aſſerit *Theophraſtus*; item neque hyemem ſentire, nec amittere folia ſcribit *Vitruvius.*

Reſinam

Reſinam ſponte è cedro manare, liquidam primò, mox in grumos concreſcentem ſolis fervore aiunt Botanici omnes; hincque jam Deorum ſtatuæ viſæ ſunt aliquandò ſudaſſe, ut monet *Theophraſtus Hiſtor. Plantar. lib. 5.*

Scobe Cedri fugantur Serpentes, quo fine ſolebant.

> . . . . *odoratam ſtabulis accendere cedrum,*
> *Galbaneoque agitare graves nidore chelydros;*
> *Quin, & odoratæ nocturna in lumina cedri, vrebantur.*

Cùm autem Cedrus rectiſſimo ſit caudice, ac meatum venarum habeat ſimplicem, & in obliquum, facilè vulnus in cacumine ad radicem pervenit; ſic palmæ quoque cerebro vulnerato pereunt, in quo vis vitalis & germinatrix eſt ſita; ità monente *Theophraſto lib. 5. cap. 23. &c.*

Serpentes fugare Cedrum habetur ex *Beda de templo Salomon.* ac ob ſuam celſitudinem principem notare colligitur ex *comment. S. Hieronymi tom. 4. lib. 14.* hinc cedrum virum juſtum ſignificare demonſtrat *Petr. Bercorius in ſuo Reductor. moral.*

Narrat *Plinius lib. 16. hiſtor. nat.* fuiſſe ſuo tempore Uticæ in Apollinis templo trabes cedrinas incorruptas tantæ vetuſtatis, ut inter earum collocationem, & ipſius Plinii ætatem mille centum, & octoginta Anni interfluxiſſent.

Cedrum tradunt ſolertiores naturalium rerum indagatores, fervidioris nonnunquam ſolis radiis percuſſam, inclinatis ſublimiorum ramorum verticibus impalleſcere ſolitam, & areſcentibus præ humoris inopia frondibus parùm ſæpiùs abeſſe ab interitu, niſi induſtris invigilantis cuſtodis manus, cum non multis frumenti granis accedat, eam prope, ſub aridas arboris radices diſſeminet, ex quo fit, ut paucis ſupervenientibus nocturni roris guttulis reviviſcat; ut docet *Jo. Bapt. Hovatus de Eminentia Virginis tom. 1. cap. 17. &c.*

Dianæ tandem ſimulachrum in magno Epheſi templo exiſtens ex eo fuiſſe conſtructum ait *Ruellius*; De ſimilibus autem eruditis Cedri obſervationibus plura dicam in capit. ultimo Secundæ Partis.

Finis Primæ Partis.

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De uſu Citri in Affectibus Capitis.

AD curioſè exornandam citri noſtri deſcriptionem, juxtà methodum Illuſtriſſ. Academiæ Curioſorum incedendo; neceſſe eſt, ut delibatis Citri Deſcriptione, Differentiis, virtutibus, ac præparationibus, deſcendamus in ſpecie ad morbos profligandos uſu Mali medici, vel medicinis, malo iſto imbutis, ab Authoribus Claſſicis ſumptis, vel ex obſervationibus captis; quod breviſſime dabimus ſequentibus paginis; Et ſanè ſi Citrum reſpiciamus; videbimus, ipſum capitis affectus fugare, ac ſummam Palladis Arcem à morbis tutam defendere; Ad capitis enim Gravedinem tollendam Citrum commendavit *Fel. Platerus in obſerv. lib.* 2. dum ſequens præſcripſit medicamentum in forma Electuarii alternis diebus manè ſumendum in quantitate moderata; ℞. *Cort. Citri condit.* zinziber. condit., ana ℥. ß. pulv. roſar. novel. pliris Arcon. ana ʒ. ß. Cinnamon. ʒ. ij. Conſerv. Majoran. flor. ſtœchados, ana. ℥. j. ß. roſar. ℥. j. Anthos ʒ. vj. m. cum Syr. de Betonica. Fiat Electuarium.

Ad frigidam Cerebri intemperiem fugandam, ſequens parat remedium *River. Prax. lib.* 1. *cap.* 1. ℞. *Cortic. Citri conditi*, Conſerv. radic. Acori ana ℥. j. Conſ. flor. Salviæ, Anthos, ana ʒ. vi. nucis Moſch. condit. ℥. ß. mirabolan. condit. num. 1. Theriac. veter., conf. Alcherm. ana. ʒ. iij. pulv. elect. Diambræ, & diamoſchi dulcis ana. ʒ. j. m. cum Syr. Cortic. Citri fiat opiata de qua Æger capiat ad magnitudinem caſtaneæ manè duabus

bus horis antè paſtum ſuperbibendo parum vini generoſi.

In vigiliis *Sennertus* citrum laudat, dùm ſequens exhibet medicamen; ℞ ſpec. diambr. ℈. ij. Diamoſch. dulc. ʒ. ß. ſuccini albi ℈. j. Ambræ Griſ. gr. iij. m. cum Syr. de *Cortic. Citri* f. Pilulæ num. 24. & capiantur tres hora ſomni.

Sequens Electuarium à *Reiner. Solenandro conſil.* 13. *ſect.* 2. commendatur contra paralyſim, ℞. Conſerv. flor. Anthos ℥. j. ß. Conſ. flor. bugloſ. ℥. j. *Cortic. Citri condit.* Zinzib in India condit. ana. ℥. j. radic. Cichor. condit, ʒ. x. ſemin. erucæ, piper. long., ana ʒ. ß. ſpec. diambr. ʒ. j. ß. m. cum ſyr. conſervatarum nucum myriſticarum, f. Elect. S. A.

Contrà Vertiginem morſulos hos præſcribit *Sennertus Prax. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. ℞. ſacchar. roſ. tabul. in Aqu. Scorzoneræ diſſolut. ℥. iv. radic. pæon. Ireos, Scorzoner. ana ℈. ß. Doronici ʒ. i. ſpec. dianthos, aromatic. roſ. diatrion. Santal. ana ℈. j. Extracti Pœoniæ gr. x. olei nuc. moſch., macis, ana gutt. iv. *olei Cortic. Citri* fænicul. ana. gutt. ij. f. morſuli S. A.

Ad Epilepſiam fugandam commendat hunc pulverem *Foreſtus obſ.* 61. *lib.* 10. cum jure pulli ad ʒ. j. ſæpe in aurora ſumendum ℞. Sem. Pœoniæ, pulv. Cran. human. ana. ʒ. iij. Caryophyllor., nucis mochat., *Sem. Citri*, ana. ʒ. j. m. f. Pulvis uſui ſervandus, Mihi etiam placet illud *Joëlis* remedium quod *Grulingius* quoque *in Prax. lib.* 1. integrum tranſcribit, & eſt hoc, ℞. Conſerv. Betonic. Salviæ, Anthos, ana ℥. j. rad. cichor. cond., *Cortic. Citri Condit.* & minutè conciſ. ana. ℥. ß. Spec. diamoſc., Diambr. ana. ʒ. j. ß. pulv. viſci querc., ciner. Cucul. avis, cran. homin., corall. rubr. ppt. ana. ʒ. j. ſem. pœoniæ ʒ. j. ß. ol. Cinnamon. ℈. ß. m. & cum s. q. Syr. de Cichor. f. Elect. S. A. & Dòſis ſit quantitatis ſemi-juglandis jejuno Stomacho.

In Apoplexia levi tamen, nam in forti nullum eſſe poteſt remedium dum *Hippocrates in Aphor.* ait Apoplexiam fortem ſolvere eſſe impoſſibile, levem verò non facile; In apoplexia inquam levi, magnum poteſt ferre juvamen Aqua Apoplectica, *Sigiſmondi Kolreuteri*, quæ ſequens eſt ℞. nuc. moſcat., Caryophyllor., macis, Zinzib., Zedoar., galang. major. & min.,

piperis

piperis albi, nigri, & longi, Cinnamom., Calam. Aromatic., Cyper., gran. paradiſ. Cardamomi, Cubeb., Caſtor., Sem. carvi, fœnicul., Anis., *Cortic. Citri*, Limon., Aurantior., ana. ʒ. iij. Thuris, Myrrhæ, Maſtic., aloës hepat. ana. ʒ. ij. Spic. Ind. Celtic. radic. Gentian., eryng., ireos, pæon. pyrethri, ligni viſci querc., corylin. ana. ℥. ß. fol. Chamædryi, Campit. Salviæ, roriſmarin., majoran. ana. m. ß. Euphraſiæ m. ij. puleg. menthæ, hyſſop., artemiſiæ, origan. ſerpil. Chelidon. ana. m. ß. baccar. Juniper. m. j. flor. Sambuc., Violar., Lavendulæ, tiliæ, roſar. rubr., pæoniæ, primulæ veris, ana. pug. ij. fol. betonic. m. j. Aneti. m. ß. Dactylor. amygdalar. dulc. ana. ℥. ß. Croc. ʒ. j. Conciſ. ac conquaſſat. ſuperinfund. Vini albi generoſ., ſpiritus Vini optim. ana. cyathos ij. ß. Rectè obturato vaſe ponatur per integrum Menſem ad ſolem æſtivum, vel propè fornacem tempore hyemali, ſingulis diebus bis, vel ter agitando, ac poſtmodum fiat Deſtillatio.

In Phrenitide ſequens *Sennerti* remedium mihi placet, quod noſtro exornatur citro, ♃. pulp. tamarind. ℥. ij. radic. Cichor. ſativ. condit. ℥. ß. lactucæ. condit., *pulpæ Citri condit.* ana. ʒ. iij. Conſerv. flor. nymphææ, roſar, bugloſſæ ana. ʒ. v. Acetoſell. ℥. ß. ſpec. diamarg. frigid. ʒ. ß. fragment. lapid. pretioſ. ana. ℈. j. Coral. rubr. ppt. ʒ. j. m. cum Syrup. conſervativo *Citri*, q. s. f. Condit. S. A.

A Clariſſ. *Laz. Riverio* in Mania, ſequenti in remedio laudatur Citrum ♃ Lapid lazuli ʒ. j. ß. turbith. ʒ. j. diagryd. ʒ. ß. Sennæ ℥. ß. Epithymi cremor. tartar., ana ʒ. ij. Cinnamom., *Cortic. Citri* ana. ℈. j. croci ℈. ß. f. Pulvis, cujus Doſis erit ʒ. j. cum juſculo, vel liquore aproppriato.

Ego juſtè affirmare poſſum, unum Rever. Monachum, & unum Civem Ferrarienſem à ſævo dolore Capitis liberaſſe ſola exhibitione *Conſ. ex acredine Citri* ad ℥. j. hoc autem ad plures dies, mane jejuno ſtomacho.

Melancholiam ſanare ſequens remedium ſcribit *Sennertus in Praxi* ♃. *Condit. flor. Citri*, aurantior. ana ʒ. ij nuc. indic. ʒ. iij. *Cortic. Citri.* ℥. ß. Conſerv. flor. nymphææ, roſar., Viol. ana ℥. j. borag. bugloſ. ana ℥. ß. flor. lavendul., Anthos, ana. ʒ. j.

ſpec.

ſpec. Elect. de Gemmis ʒ. ß. diamoſch. ℈. j. Confect. Alcherm. ʒ. ß. tinctur. Corall. rubr. ℈. j. Eſſentiæ Cinnamon ʒ. j. m. cum *Syr. de Cortic. Citri* q. s. f. Conditum ; cujus ſit quantitas nucis Moſchatæ. Tabulæ quoquæ ſequentes à *Williſio* paratæ contra Melancholiam mihi placent. ℞. Pulv. Margar., Eboris. Corall. ppt. ana. ʒ. ij. Spec. lætific. diarrhodon abbat. ana. ʒ. ij. *olei è Corticib. Citri* ℈. ß. ſacchar. alb. ſolut. & ad tabul. cocti in q. s. aqu. meliſſæ f. S. A. Tabulæ ponderis ʒ. j. quarum capiat æger duas vel tres mane hora 9. & 5, pomeridiana ſuperbibendo Hauſtum, aqu. deſtill. appropriat.

Hebræum quendam à profundo ſomno liberaſſe *Excell. D. Jo. Baptiſtam Juſtinum Preceptorem meum amatiſſimum*, dum viveret obſervavi ſolo odore *Balſami Citri*, nec non exhibitione nonnullarum guttularum ejuſdem in juſculo.

In Conſultationibus *Clariſſ. Joh. Fortis tom.* 2. me legiſſe recordor pro catharro optimum ſequens eſſe remedium, nempe Julap. acet. ad uncias iij. *Cortic. Citri* aromatiz. quinque, aut ſex diebus exhibendum, præceſſo tamen medicamento lenitivo, ut Caſſia, vel Manna &c.

Convulſionem tollere ſequens remedium Citro exornatum ſcribit *Sennert. in Pract. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 28. ℞. Conſerv. Pæoniæ, Anthos, ana ℥. j. Majoran., Betonic., ana ℥. ß. primulæ Veris ʒ. iij. bugloſſæ ʒ. ii. pulv. Sem. Card. bened. fœnicul. ana. ʒ. i., radic. Pæoniæ ℈. iv. nucis moſchat cond. ʒ. ß. *Cortic. Citri cond.* Zinziber. cond., ana. ʒ. vi. Galangæ cond. calami aromat. ana. ʒ. i. ß. Cinnamom. ʒ. ß. inciſis incidendis m. cum Syrup. Pæoniæ f. S. A. Electuarium per Vices ſumendum.

Imbecillitatem pariter principum functionum corrigit, & præcipuè ad reparandam memoriam facit monente citato *Sennerto* ſequens Aqua quam Fructus noſter ingreditur, & condecorat. ℞. Cinnamom. ℥. ß. Zinziber. ʒ. ij. Santal. omnium ana. ʒ. iii. pul. Caryophyl., galangæ, nucis moſchat. ana. ℈. iv. macis, cubebarum ana. ʒ. ß. cardamom. ʒ. j. ß. Zedoariæ, ſemin. Nigellæ ana. ℥. j. ß. Aniſi, fœniculi, paſtinac., ſylveſtr. ocymi, rad. angelic., Caryophylat. glycyrrhiz. Calam. aromat., Valerianæ min. fol. ſclareæ, calamint. puleg. !, Menthæ, Serpill. Majoran.

ana ʒ. i. flor. roſar. rubr., Salviæ, Betonic., Anthos, Stœchad. bugloſſ. borragin. ana. ʒ. ii. *Cortic. citri* ʒ. i. ß. ſpec. diamb. ʒ. iii. aromat. roſ., diamoſc. dulc., Diarrhodon. ana. ʒ. ii. Terenda terantur, & infundantur ℔. vi. aqu Vitæ: ſinantur in vaſe vitreo per 15. dies ſtare, occluſo ſubinde vaſis oſculo; Deinde deſtillentur per alembicum in B. M arctè occluſis commiſſuris; In aqu. ſtillat ponantur ſantal. teſſeratim inciſ. ʒ. i. ambræ, moſch. in pet. lig., ana. gr. iv. julep. roſat. clariſſ. ℔. ß. ſtentque ita per 15. dies, poſtea aqua ſeparetur.

Salivationem quoque tollere Citrum docet *Rolfincius Conſult. pag. 659.* dum ſequentes morſulos præſcribit. ℞. Conſer. acetos. hiſpan., roſar. vitriolatæ; oxalydis minor., ana. ʒ. i. *e toto Citro* ℈. vi pulp. aurantior. cond.., *Citri cond.* ana. ʒ. iii. berber. cond, ribium cond., ana. ʒ. v. ſpec. diatragacanth. frigid, ocul. Cancr. ppt. ana. ℈. j. *Syrup. acetoſitatis Citri*, Cydoniorum, ana. ℥. ß. Conſcindantur conſcindenda, & miſc. S. A. cum Sacchar. roſat in aq Cydonior. & acetos. q. s. ſoluti ℥. viij. & F. S. A. Morſuli pondere ʒ. ß.

CAPUT II.

De Uſu Citri in affectibus Thoracis.

NON tantum ad affectiones capitis tollendas, verùm etiam ad medii Ventris, Cordis nimirùm arcis expellendos morbos citrata facere medicamenta obſervavi ex auctorum Practicorum monumentis; & ad noſtram exornandam Citrologiam ſequentia remedia collegimus, quæ à Doctoribus laudantur ad profligandos pulmonum, Cordis aliarumque partium thoracis affectus; nam primò præſtare Citrum in Angina colligitur ex *Diemerbrockio in Diſput. Medic. Thorac. hiſtor. 5.* dum in angina ſequens præſcribitur Gargariſma. ℞. Glyzyrrhizæ raſ. ʒ. iij. rapas duas mediocr. magnitud. herbæ Scabioſæ, Viol., Malv., Mercurial, Betæ, ana. m. i. flor. Camomil., roſar. pallidar., ana. m. *ß. Cortic. Citri* ℥. *ß.* aquæ q. s. coqu. S. A. ad libitum;

Adde

Adde colaturæ Syrup. dianuc. ℥. ii. Diamor: ℥. i. Mellis roſac. ℥. ß. m. f. Gargariſma.

In Aſthmate commendat *Sennertus* ſequens remedium quod Fructus noſter ingreditur, nempe. ℞ Radic. Irid. Florent., Helenii, ana. ℥. ß. pulpæ dactylor., paſſul. mund. ana. ʒ. iii. *Cortic. ſiccor. Citri*, Aurantior. ana. ʒ. ii. benzoes ʒ. i. croci ʒ. ß. Infunde bidui ſpatio in ſpiritu Vini optimè rectificato; poſtea liquor per inclinationem ſeparetur, cui adde Sacchar. cand. pulv. q. s. Spirit. Vini accende, & liquorem continuo agita, donec Flamma ſponte extincta liquor olei ferè conſiſtentiam acquirat, cui adde ol. Sulphuris q. s. ad gratam aciditatem. Pleuritidi, ac Peripneumoniæ, quoque ſuccurrit citri virtus, ſi *Pompeio Sacco* credamus, qui in *Conſult.* 31. ſequentia præſcribit in affectibus dictis modò remedia; ℞. Ocul. Cancr. ppt. Mandibul. Lucii ppt. ana ℈. i. ß. Antimon. diaphoret. gr. xv. m. cum aquæ papav. errat. & *Totius Citri* ana. ℥. i.

In ſyncope, viriumque languore *Ettmullerus* ſequens commendat medicamen. ℞. aqu. Rub. Idæi ℥. iii. acet. theriacal. ʒ. iii. *Spirit. Citri* ℈. iii. Syr. rub. idæi ℥. ß. miſce.

Cordis palpitationem ſequens tollere remedium citro imbutum ait *Isbrand. Diemerbroeck in ſua Prax.* ℞. *Cortic. Citri*, baccar. Juniper. ana. ʒ. v. radic. helenii, fœnicul. ana. ℥. i. Cappar., tamariſc. ana. ℥. ß. herb. Chamædryos, cuſcutæ, fumariæ, borragin, cardiacæ, trifolii paluſt. ana. m. i. meliſſæ m. ii. ſem. fœnicul. ʒ. iij. paſſular. corinth. ℥. ij. Aqu. & Vini ana. p. æq. Coq. S. A. & f. apozema ad ℔. i. ß.

Optimum eſſe Citri noſtri uſum in Pulmonum hydrope ait *Pomp. Saccus in Conſult. ſuis pag.* 113. dum ſequentia laudat. ℞. pulv. Viperin. ℈. i. pulv. Cachetic. Quercet. ſine ſaccharo ℈. i. Trochiſc. Gal. moſc. gr. viij. m. ſuperbibendo Decoct. in Jure; vel aqua Abſint., ligni ſaſſafras ʒ. ß. Calam. aromat, macis ana. ℈. ß. lign. Aloës ℈. i. ſuperaddendo Elixir. vitæ gutt. viii. *Syrup. de Cortic. Citri* ℥. ß.

Ego ſequenti aqua Sacerdotem Annorum 40. liberavi ab Hæmoptoë in Phthiſim jam jam delabente, quam aquam C trus

condecorat. ℞. Carnis Vituli ℔. vi. Aq. commun. ℔. xii. bul· ad tertiæ. part. conſumptionem ; adde in fine Fol. farfar., Pulmonar. , Betonic , ana. m. ß. *Cortic. Citri* ℥. i. ß. radic. liquirit. raſ. ℥. i. Pinearum ℥. ii. ß. facta leni ebullutione deſtilla in B. M.

Ad Tuſſim fugandam, citrum etiam concurrere colligitur ex *Dioniſ. Fontanono lib. de morb. curat. pag.* 158. dum ſequenti pulvere caput conſpergendum eſſe ægroti monet, cum lectum ingredi velit. ℞. *Cortic. citri ſicc.* ʒ. iii. Santali Citrini, baccar. myrthi, Cyper. Caryophylor. ana. ʒ. i. ß. Stirac. calamit. ℈. iv. coriandr. ppt. Cocci infector. ana. ʒ. i. ß. roſar. rubr. ʒ. i. f. pulvis, quo æger, ut dictum eſt utatur : *hinc Citrum* tuſſim ſanare ait *Plinius lib.* 24. *cap.* 5. &c.

CAPUT III.

De Uſu Citri in Affectibus Abdominis

NE putes velim *Lect. B.* ad morbos capitis, ac Thoracis tantummodo fugandos citrum facere ; ad affectus enim Abdominis etiam valere collegi à multis Practicorum remediis ; hinc contra Cardialgiam præſtare Citrum habui à *Rolfincio*, qui in *ſuo ord. ac method. Med. ſpec. Conſult. pag. mihi* 627. ſequens, commendat remedium. ℞. Aqu. Cichor. ℥. iii. Syrup. Viol. Solut., ℥. ß. pulv. Cholagog. Quercet. ℈. i. *Spirit. citri* gutt. iv. m. f. Pot.

In Singultu *Riverius* laudat Citrum in ſequenti medicamine ℞. Cerat. ſantal. & Ungu. roſac. ana. ℥. i. maſtic. ℥. ß. *Cortic. citri*, Carn. Cydonior. ana. ʒ. i. cum ſucco ſemperviv. & pauca Terebinthina fiant emplaſtra duo, quorum alterum anteriùs ; alterum poſteriùs ſtomachi ſedi applicetur.

Vomitum ſedare Fructum noſtrum, ait *Paul. Barbetta in Prax.* dum ſequens emplaſtrum ſtomacho imponendum præſcribit. ℞. ſpec. aromat. roſat., maſtic. elect. ol. nucis expreſſ.

ana.

ana. ℈. iii. macis ſtillatit. *Citri* ana. ℈. ß. Gumm. Caran. q. s. m. f. emplaſtrum efficax etiam dicitur ab *Hoffmanno*, *&* *Luca Tozzio viro Doctiſſ. ac Patrono*, *&* *Amico meo magno*, Sal Abſinthii ad ℈. i. cum *Succ. mali citrii recent.* ℥. ß. quod remedium pluriès feliciter expertus fui, in praxi facienda.

A *Platero*, *&* *Rolfincio* ſequens commendatur Clyſter In Cholera ex quo patet Citrum noſtrum ad Choleræ curam concurrere; ℞. radic. Lilior. alb. exſiccat ℥. ii. Altheæ ℥. iii. herbæ Malvæ, Betonic., ana. m. i. flor. Chamomillæ, melilot., furfuris, ana. m. ß. Semin. fœnu Græci, ℥. ii. *citri* ʒ. iv. Sennæ ℥. ß. f. Decoct. Colaturæ ℔. i. adde Mell. roſat. ℥. i. olei Chamomill. ℥. i. benedict. laxativ. ʒ. iv. Succi betæ ℥. i. m. fiat. Clyſter.

Lienteriam curari deſignat *Sennertus in Prax.* à ſequ. Electuario à Citro condecorato; ℞. Conſerv. roſar. antiq. ℥. i. Diacydon. cum ſpecieb. *Cortic. citri cond.* ana. ʒ. ii. ſpec. aromat roſat. ℈. i. diarrhodon abbat., trochiſc., de ſpodio, de Charabb. Corall. rubr. ppt. ana. ℈. ß. Tunicæ internæ ſtomachi Gallinæ ppt. ℈. i. m. & cum Syrup. myrth. & de Mentha f. elect. S. A.

A Dyſenteria poſſe liberari aſſerit *Rolfincius in Conſult.* ope Citri, quem in ſequenti laudat remedio. ℞. Conſerv. roſar. vet. ℥. iii- Cond. cydonior. ℥. ii. *Cortic. citri*, & aurantior. ana. ℥. i. croci mart. adſtringent ℈. ii. Corall., perlar. ppt. ana ℈. i. Ol. Ceræ ℈. ß. Syr. Cydonior. q. s. m. Fiat elect. S. A.

Liquorem ſequentem ideoque Citrum commendat *Sennertus* in Diarrhæa ℞. Vini Granator. acidor. ℥. i. *Succi Citri* ℥. ß. Julep. roſat. ℥. j. Aqu. Plantagin. tormentill., Caudæ equin. ana. ℥. iv. m.

Me legiſſe recordor apud *Thom. Williſium*, Citrum noſtrum conferre ad curam Colicæ paſſionis, dum ab ipſo ſequens commendatur remedium. ℞. Conſervæ Caryophyllor. ℥ i. Confect. de hiacinth., Alchermes ana ʒ. ii. margar. pulv. ʒ. i. *ß. Syrup. è ſucco Citri* q. s. f. Confect. & detur quant. nucis moſchatæ ter in die.

Militem ſanatum vidi ab iliaca Paſſione ſequenti Emulſione ℞. Hordei mundat. ad crepat. coct. ℥. i. ß. amygdal. dulc. ſem. papav. albi ana ℈. ix. aqu. decoct. hord. ℥. xv. f. emulſio, cui adde *Syrup. Acet. citri* ℥. *ß.* Aquæ fœniculi, *totius Citri* ana ℥. i. m. hæc autem ſumebatur ad plures dies.

Lumbricos fugare ſcribit *Sennertus in Prax.* ſequens remedium citro imbutum ℞. *Pomum Citrium parvum*, excava tantam partem quæ capiat Theriacæ ℈. ii. aloes ℈. i. croci gr. vi. Aſſa pomum, & ſuccum exprime, quo regio Ventriculi, & umbilicus inungantur.

In obſtructione tam hepatis, quam lienis optimum eſſe Citrum ait *Riverius*, ſequens laudando præſidium ℞. Conſer. flor. tamariſci, Capill. Ven., ana. ℥. i. *ß.* Conſ. radic. enulæ camp. ʒ. vi. Chalyb. ppt. cum ſulphure vel aceto ℈. iii. Sal. tamariſc. ℈. ii. Spirit. vitrioli ℈. *ß.* cum *Syrup. conditura citri*, fiat opiata de qua capiat ʒ. ii. aut iii. ſingulis diebus.

Citrum ad hydropis curam conducere monet *P. Barbetta*, & cum eo *Frideric. Deckers not. in dictum Barbett.* ſequens præſcribendo remedium ℞. rad. ireos noſtrat., petroſel., Enul. Campan., ana. ʒ. iii. Cortic. med. ſambuci, fol. Eupator. cannabin., ana. m. i. Soldanell. m. *ß.* bacc. junip. ℥. i. Semin. Fœnicul. dulcis, Cinnamom. acut. *Cortic. citri* ana. ʒ. j. *ß.* conciſa, & contuſa inſuantur ſacculo, & cum pint. iv. vini renani per quatriduum infunde; hujus ter de die ad ℥. iij. inſtillatis Spirit. Sal Amoniac. gutt. vi. aſſumere debet Hydropicus ſanandus.

Icteritiam flavam, & nigram quoque fugare Citrum in ſequenti aſſumptum medicamine ait *Pomp. Saccus in Conſiliis.* ℞. Extract. Cortic. tamariſc., Succi Abſint. condenſat. ana. ℈. i. Salis Abſinthii imbibit. Spirit. Vitriol. dulcific. ℈. *ſs.* bezoart. mineral. gr. viij Croci Mart. gr. x. Spir. fuligin vel C. C. gut. v. *ol. citri* gut. ij. miſce.

Contra dolorem nephriticum *Frid. Deckers comm. in P. Barbet.* laudat Citrum in ſequenti remedio. ℞. Aqu. menthæ, *Cortic. citri* ana. ℥. i. *ſs.* aqu. Vitæ Matth. ℥. i. Laudan. opiat. gr. iii. ſperm. Ceti ℈. *ſs.* ol. cortic. aurantior, macis ſtillat. ana. gutt.

gutt. iii. Spirit. nitri dulc. gut. xv. Syrup. fœnic. ℥. j. m.

Sequentem Emulſionem à noſtro fructu condecoratam in Curatione Stranguriæ laudat *Cl. Volfang. Hoeferus in Medic. familiar. pag.* 47. ℞. Aqu. ſaxifrag., Cichor. Petroſ. ana ℥. iii. fœnicul. ℥. ij. Semin. 4. frigid. major., petroſelini, *citri.* ana. ℈. j. Amygdal. dulcium ℈. iv. m. f. emulſ. cui adde ocul. Cancr. ℈. i. Spec. Lithontript. ℈. ij. Syrup. de iv. rad. ℥. i. *ſs.* manus Chriſti Simpl. q. s. m. fiat mixtura ad Vitrum.

Calculos frangere, expellere, ac ab eis præſervare docet *P. Saccus l. c.* Citri virtutem, dum in ſequenti medicamine uſurpetur; ℞. Aq. Abſint. ℥. iij. *ſs.* Cremor. tartar. ʒ. ij. rad. Ari ſubt. pulv. ʒ. i. *Syr. de Corticib. Citri.* ℥. i. *ſs.* m.

Spiritus ſequens antiſcorbuticus à Citro nobilitatus valdè commendatur in Scorbuti Cura à *Frid. Deckers loc. ſup. cit.* ℞. Cortic. Fraxini. Rad. tamariſci, rad. Fraxinellæ, rad. Capparidis ana ℥. j. ß. Polypodii quercini, ℥. ij. raphani Sylveſt. ℥. iij. Herb. Cochlear., m. iv. naſtrut. hyemal., beccabung., Acetos, Scolopendr. ana. m. iii. baccar. Lauri, Juniperi, ana ʒ vj. Summitat. Centaur. minor., pug. iv. Stercor. anſeris, ℥. i. *Semin. Citri*, Sinapi, Card. bened., ana ℥. ß. Caryophyllorum, Zinziberis, Cinnamomi, nucis moſchat. ana. ʒ. iij. Conciſa, ac contuſa digerantur in arena tepida cum Vin. Gallic. ℔. viii. & Spirit. Vini ℔. iii. per triduum poſtea deſtil. ex arena per alembicum.

Prò Cachexia ſequentem Sacculum format *Volf. Hoeferus in Append. ad Hercul. Medic. conſil.* v. ℞. *Cortic. Citri*, radic. Cichor. recent., ana ʒ. ij. Calami arom. ℈. iii. flor. roriſmar., pug. i. comar. card. bened. Centaur. min. Abſint. ana. pug. ij. m. inciſ. & contuſ. f. Sacculus cum Seric. alb. &c.

Hæmorrhoidalem fluxum, atque Dolorem in muliere quadam quadragenaria fugavi hujus Unguenti applicatione ℞. Ungu. de linar. ℥. j. Adip. ranar. ℥. ß. ol. ovor. ℈. iv. *ol. citri* ʒ j. m. intingatur linteolum, & aponatur calidum loco dolenti.

Morſulos ſequentes in melancholia hypochondriaca laudat Clar. *Rolfincius in ord. ac meth. medic. ſpec. pag.* 115. adeòque

Citrum

Citrum extollit. ℞. *Cortic. citri conditor.*, aurantior. nucis moſchat. in India cond., ana. ℨ. ij. Cinnamomi elect. nucis moſchat., caryophyllor. ana. ℈. i. macis, Ligni aloes, ſantal. Citrin. ana. ℈. ß. Spec. diambr., diarrhodon. abbat. ana ℈. j. trochiſc. de Eupator. abſint. ana ℈. *ſs.* Conſerv. anthos ℥. j. Sacchari albi in aq. roſ. & Cinnamom. ſolut. ℔. i. Olei Caryophyllorum, gr. ii. m. f. morſuli S. A.

Ad alvi obſtructionem tollendam ſequens præſcribit remedium *Cl. Hoefer. in medicat. familiar. pag.* 241. ℞. *Syrup. acetos Citri*, Corallor. rub. Idæi, flor. tunic., ana. ℨ. vi. Aq. Ceraſ. nigr., *e Cortic. citri*, ana, ℥. ii. ß. roſar. ℥. ß. Spirit. Salis q. s. ad ſuavem acorem M.

Tenesſmum curare Syrupum ſequentem ait *Fontanonus de Cur. morb. lib.* 3. ℞. *Syrup. de acetoſitate Citri*, de ſucco oxalidis, de Ribes. ana. ℥. i. ß. liquor. ſtillat. nymphææ, intyb. ſativ. latior., oxalidis, ana. ℥. iij. m. f. Julap. depuratum, & add. Santalor. Citrinor. ℨ. ii. ut fragrantius reddatur.

CAPUT IV.

De Uſu Citri in Morbis Mulierum.

AD particulares Fœminarum morbos curandos Citrum concurrere docent Practicorum multi, ut in ſequentibus patet. Fœdum enim Virginum Colorem citrium malum fugare monet *Sennertus Pract. lib.* 4. dum ſequentem præſcribit potionem ℞. Radic. aperient. ℥. i. rub. tinctor., eryng. ireos, agrimon. *Cortic. citri ſiccor.* Salſæ paril. ana. ℥. ß. Artemiſ., agrimon. Chamædryos ana. m. i. Sabinæ pug. ii Semin. Cartham. excor. ℥. i. fol. ſennæ elect. ℥. ii. mechoacan. Agaric elect. ana ℥. ß. flor. ſtœchad. Arabic. pug. ii. Sem. fœniculi, Aniſi, Galangæ ana, ℨ. ii. Coque ad remanent. ℔. j. ß. edulcoret. ſacchar. f. Pot. clarificata, & aromatiz. aq. Cinnamom ℨ. iii.

Contrà

Contrà menſium ſuppreſſionem Citrum valere docet *Frid. Deckers not. ad Barbet.* in ſequenti remedio.

℞. Aloës lucid. ℥. ſs. Myrrh. rubr. Gumm. ſagapen. acet. ſcillit. ſolut. ana. ʒ. i. ſs. Sal. Ammoniac., extract. ellebor. nigri, Radic. Gentian. ana. ℈. i. Croci, tartar. vitriol. ana ʒ. ſs. ol. Stillatit Macis, *Cortic. citri*, ana. gut. iij. cum Elixir. Propriet. Paracelci q. s. f. maſſa Pilularis, & Doſis ſit à ℈. i. ad. ij.

Ad fluorem album, curandum citrum conducere, judicat *Fontanonus*, dum ſequens laudat Electuarium. ℞. pulv. Trypheræ magnæ s. o. pulv. diambr., pulv. pleres cum moſcho; pulv. diaſatyrion. ana. ℈. iii. Scobis Eburneæ, ſemin. Linozoſtidos ana. ℈. ii. ſemin. Aniſi, ammeos, Cortic. Libani; ana. ʒ. ſs. Spicæ nardi ℈. ij. ſacchari diſſolut. in aq. ſtillat. meliſſophyl. q. s. adjectis *Cortic. citri ſacchar. condit.* conſerv. flor. roriſmar. ana. ℥. ſs. F. Elect. S. A.

Ad Catameniorum nimium fluxum cohibendum juvare Fructum noſtrum aſſerit *Clariſſ. Hoeferus in Medic. familiar. pag.* 192. dum ſequens laudat remedium ℞. *Conſerv. citri*, ℥. i. ſs. roſar. veter. ℥. iij. boli armen. ppt. ℈. ix. nucis moſchat. incis., C.C. ppt. Croci Martis, ana. ℈. iv. cum Syrup. de papav. m. f. opiata involv. fol. Auri.

In furore Ulterino optimum eſſe citrum narravit mihi *Excellentiſſ. Joh. Baptiſta Juſtinus, dum viveret Præceptor meus dilectiſſimus*; nam jurabat ipſe Adoleſcentulam filiam cujuſdam Pictoris Annor. 17. ſe curaſſe à furore Uterino ſequenti remedio ℞. ſummitat. Viticis, folior. lactucæ, ſalicis, flor. Viol., nympheæ ana. m. j. *Cortic. citri ſicc.* ℥. j. coq. f. Potio in aqu. Lactuc. quæ aromatizet. ſem. coriandror. & dulcoretur ſaccharo; cui ſub fine adde Camphoræ ʒ. j.

Ad abortum præcavendum ſequens laudatur remedium à *Sennerto* ℞. Conſ. roſ. ℥. ij. Salviæ, ℥. i. *Cortic. citri cond.* ʒ vi. mirobolan. chebul. cond., pulp. dactyl. ana. ℥. ß margar. pp. ℈. j. magiſter. Corall. ʒ. j. cum Syr. Cydonior. f. Electuarium S. A.

Uteri procidentiam curavit *Dominus Hippolytus à Monetis Fautor meus honorandus* ſpongia ſequenti humore imbuta, & im-

poſita loco affecto ; ℞. Herb. plantag., equiſeti, ana, m. iv. flor chamomil. m. ii. roſ. rubr. m. i. *Cortic. citri ſiccar.* ℥. ij. m. inciſ. & coqu. cum dimidia parte Vini, & aquæ.

Paſſionem hyſtericam fugavit *Claudinus Empiric. Rational. lib.* 4. ſequenti linimento ℞. olei Jaſmini, *Flor. citri* ana. ℥. i. benz. ℥. ß. moſchi gr. iij. Ambræ. gr. ij. m. pro linimento. Et ego epilepſiam uterinam in Conventu S. Margaritæ Urbis noſtræ multarum adoleſcentularum curavi ſequenti bolo ℞. pulv. Caſtor. gr. vij. Sal. Artemis ℈. ſs. *Spirit. citri* gut. v. conſerv. borrag. q. s. m. f. Bol. aur.

In malacia, & pica Gravidarum Citrum noſtrum laudat *Jo. Dolæus in Encyclop. med.* dum ſequens præſcribit Cataplaſma ℞. *Cortic. citri* Acaciæ, Calam. arom. ana. ℥. ß. fol. meliſſæ m. ii, coque. in Vino contuſ. add. ol. nardin. Maſticin. ana. part. æqual. cum mica panis ſurfurac. f. Cataplaſma, quod Ventriculo calidè imponatur.

Ad Gravidarum vomitum ſedandum Citri potentia ſe extendit ut monet *Claudinus loc. ſup. cit.* ſequens dum laudat præſidium ℞. Aniſor. *Cortic. citri*, Cinnamom. ana. ʒ. j. ß. Roſar. rubr. Coral. margar. ppt. elect. de Gemmis ana. ℈. i. m. & cum ſaccharo diſſolut. in aqua chalybeata f. Rotul. ʒ. iij. pro qualibet.

Hydrope Uteri affectam Juvenem, ſe liberaſſe uſu Citri mihi affirmavit *Petrus Dominicus Voltolina Medicus Ferrarienſis Feliciſſ. ac Amicus meus Suaviſſimus*; ſequens enim adhibuit remedium ℞. folior. ſemperviv. portulacæ, lactucæ, Umbilici Vener. vitis, ana. m. ß. *Cortic. citri ſiccor.* ʒ. vi. coque ad mollitiem in Vino auſtero, & contundantur; Contuſis adde Farin. hordei ℥. ij. balauſt. ℈. vi. bol. Armen. ℈. iii. f. Cataplaſma, cui ſi libet ol. roſar. addi poteſt.

Sterilitatem tollunt ſequentes Rotulæ Citro ornatæ, ſi *Claudino* credamus ℞. Thripher. mag. s. o. Diambræ, Diamargar. Calid., Diaſatyr. ana. ℈. i. ß. Raſuræ eboris, ſemin. Mercurial. Coagul. Leporis, Matricis ejuſdem ana. ʒ. ß. ſeſeli ℈. ß. Sacchari ℔. ſs. Diſſolv. ſacchar. aqu. apiaſtri, & cum fuerit coctum adde *Cortic. Citri condit.* ℥. j. Conſerv. Anthos ℥. ſs. m. & f. Rotul. pendent ʒ. ii. pro una.

Pro-

Proprios quoque Virginum, Monialium, Viduarum, & aliarum affectus, ſcilicet Capitis Dolorem, Melancholiam, Anxietatem, nauſeam, Cordis palpitationem; Suſpiria, tollere Citrum monuit *Claudinus* dum ſequens comendavit remedium ℞. Mirobalan. omnium craſſo modo contuſor. & manibus cum oleo amygd. dulcium confricator. ana. ℥. ſs. Aqu. Fumar. ℔. xiv. m. & infund. per horas 24. bulliant ad tertias; deinde adde Ellebori nigri ʒ. ii. ſs. Glycyrhizæ, Polypod. ʒ. ii. *Semin. Citri* ℥. i. ſs. bulliant quouſque remaneant ℔. v. quibus adde fol. ſennæ. Epithymi ana. ℥. i. Bull. quouſque remaneant ℔. iii. Colar. ℞. Colaturæ ℥. ij. Sacchar. roſar. ℥. j. Aqu. Cichor. ℥. ij. m. prò una vice.

CAPUT V.

De Uſu Citri in Morbis Puerorum.

IN cruſta lactea, achoribus, & Favis Puerorum citrum noſtrum commendat *Sennertus*, dum ſequens præſcribit electuarium: ℞. Conſerv. borrag., bugloſſ.; Violar., Fumar. Cichor. ana. ℥, i. radic. Cichor. cond. *Cortic. Citri cond.* ana. ℥. ſs. ſpec. diarrhodon abb., Diamargarit. Frigid., C. C. ppt. ana. ℈. i. cum Syrup. tunicæ F. Electuarium S. A.

Ad puerorum ani procidentiam ſanandam feliciter uſus fui ſæpè ſequenti decocto ℞. Roſar. rubr. balauſt., nuc. Cupreſſ., *Cortic. Citri ſicc.*, Granator. ana. ℥. ſs. Sumach. Thuris, Maſticis, ana. ʒ. ii. Coque in Vino auſtero, & ſpongia decocto hoc madida anus foveatur.

Puerorum Lumbricos fugare ſequens remedium ait *Sennertus tractatu de infant. morbis cap.* 23. ℞. Aquæ Graminis ℥. iv. *Syrup. Acetoſit. Citri* ℥. i. violati ℥. ſs. Spirit. Vitriol. gutt. iii m. & exhibeatur iſtius liquoris Cochleare unum.

Mihi narravit *Excellentiſſ. D. Franciſcus Juſtinus Amicus meus dilectiſſimus Filius non indignus D. Jo. Baptiſtæ Præceptoris mei amatiſſimi,*

tiſſimi, cum eſſet in Vivis, qui tanti Patris veſtigia ſequens feliciſſimè Praxim medicam exercet, Juvenis quidem ætate, ſed ingenio, ac Prudentia Senex: hic mihi, inquam retulit, ſe elapſis diebus, infantem ab Hernia ſanaſſe ſequenti Cerato à noſtro Citro condecorato; ℞. nuc. Cupreſſ. ʒ. ii. balauſtior., pulv. radic conſolid. major., Perfoliatæ, herniariæ, ana. ʒ. i. *Cortic. Citri ſiccat. & pulv.* ʒ. i. ſs. bdellii ʒ. i boli Armen. ʒ. ii. Sanguin. dracon. ℈. iv picis Græcæ ℥. ii. reſinæ Pini ʒ. vi. cum terebinthina, cera, & oleo ovor. F. S. A. Ceratum.

Vomitum in Pueris pluries ſedavi exhibitione ſæpe facta *Syr. de Cortic. Citri* S. M. ad cochlear. i. Ad relicta veſtigia, & ſuperſtites cicatrices Variolarum tollendas multa laudantur à Medicis remedia; verum præcæteris mihi valdè placet illud citro imbutum à *Isbrand. Diemerbroeckio* præſcriptum. ℞. radic. Lilior. albor. ℥. ii. radic. Ari, vel ſerpentar. ℥, i. *Malum Citrium in Fruſta diviſum* num. 1. furfur. macri m. i. aquæ q. s. Coquantur pro lotione faciei tepidè mane. Variolas autem expellere tradit ipſe *Diemerbroeckius tractat. de Variol. cap.* 10. ſequens Conditum. ℞. Pulv. liberantis ʒ. i. C C. uſti ʒ. ſs. *Cortic. Citri condit.*, nucum Jugland. cond., Conſerv. flor. Lavendul. ana ʒ. vi. Syrup. nucis Jugland. q. s. miſce, fiat conditum S. Artem.

CAPUT VI.

De Uſu Citri in Febribus, Peſte, Lue Gallica, &c.

NEque credas, *Lector Amice*, viribus jam ſuprà allatis Citrum noſtrum ſatiari, & debellandi Febres potentia privari; nam, & fugandi febriles æſtus virtutem tenet Fructus noſter, quemadmodum fusè demonſtravit *Clariſſ. Hieronymus Nigriſolius Ferrarienſis noſter in ſuo Progymnaſmate ſecundo*, in quo propriè agit de Uſu Citri, in Febricitantibus, & Puerperis; nam cum aperiant, attenuent, & incidant Citrei ſucci, idcircò in Febribus

bribus juvabunt; Hinc *Clariſſ. D. Frider. Deckers comen. ad P. Barbettam.* Mulierem a Febre intermittente ſanavit ſequenti remedio noſtro fructu imbuto; ♃. Aquæ Menthæ ℥. ij. *Cortic. Citri*, Fœnicul, Theriacal. Simplic. ana. ℥. j. Salis Abſinthii ʒ. ß. bezoartic. Mineral. ℈. i. Spirit. Sal. Ammoniac. gut. xxv. laudan. opiat. gr. iij. ol. Menthæ ſtillat. gut. ij. Syr. card. bened. ℥. i. m. ſubinde hujus liquoris cochlear. unum, atque alterum aſſumatur.

Contrà Febrem tertianam *Volfang. Hoefferus in Medic. famil.* ſequens laudat Præſidium. ♃. *Syrup. Acetoſit. Citri*, Corallor. Viol. ſimpl., ana ℥. ß. Spirit. Vitriol. ℈. ß. m.

Inter cætera quæ laudat pro ſananda Hectica Febri *Frid. Hoffmannus* mihi placet Aqua iſta poſita in ſuo Theſauro Pharmaceutico; quam Aquam Citrus noſter exornat ♃. Aquæ Viol. ℔. iij. flor. & fol. Salviæ, ſeri lact. caprin. depurat. per ſucc. limon. ana ℔. ß. Pulmon. Vituli num. iv. Hepat. eorundem num. ii. Carnis Caponum junior. contuſ. num. ii. Hepat. Gallinar. num. xii. Pulmon. Vulpis recent. num. ij. incid. omnia minutim, & deſtilla aquam S. A. in B. M. huic aquæ adde ſanguinis Porcelli anni dimidii ℔. ij. ß. lactis Aſinæ Caprilin. ana ℔. ij. Succi depurati Pulmonar. primæ Matthioli, Auriculæ Muris, botryos, ana. m. iv. Caudar. Cancror. fluviat. num. xxx. Limac. è ſuis teſtis extract. num. xx. flor. roſ. rub., Hordei cum cortic. ana. pug. vi. Pom. dulc. n. xii. flor. Violar. borragin. ana. pug. vi. *Mal. Citri*, Aurant., ana. num. i. radic. conſolidæ major. altheæ, chinæ elect. minut. inciſæ, liquirit. ana. ʒ. iv. Santal. rubr. ℥. iii. micæ panis alb. ℔. i. ß. Pinear. mund. rec., piſtac. ana. ℥. v. Medullæ nucis indicæ ℥. iv. Spec. diamargar. frigid Calid. ana. ℥. ß. Croci ℈. ii. infunde omnia in ſuprà dicta aqua Magiſtrali, & deſtilla S. A. Doſis hujus poſtea eſt ℥. ii. ad iv. cum Julep. viol. ℥. ß. & gutt. ii. Spirit. Sulphuris.

Malignam febrem tollere Citrum in ſequenti remedio ſumptum docet *Hoeferus loco cit.* ♃. Syrup. de Papav. erratic, *Acetoſit. Citri*, rubi Idæi ana. ℥. i. Aquæ Plantag., Violar., Flor. tiliæ, ana. ℥. ii. Spirit. Vitr. q. s. ad acorem M.

Aqua Bezoartica Cl. *Franciſci Sancaſſini Saxolenſis* olim Celſiſſ. Sablonetæ Dulcis in Bozulenſi Urbe Archiatri famigeratiſſimi ℞. Succorum Scordii, Meliſſæ, Acetoſæ, Rutæ Caprar. ana. ℥. iv. Aquarum Scorzoneræ, Card. Bened. Rut. Capac. *Succi Citri*, ana. ℥. iij. Vini Malvatici, Aqu. Ardent. ana. ℥. i. *ß.* Dictamni albi, *Semin. Citri contuſ.*, Card. Bened. ana. ℥. *ß. Cortic. Citri*, Theriacæ opt. ℥. i. *ß.* Digerantur omnia B. M. in Vaſe optimè clauſo per horas xxiv. poſteà deſtillentur. Indè fæces adurantur fiat ſal. aquæ miſc. Doſis eſt ℥. *ß.*

Miræ hujus Aquæ ſunt virtutes in febribus mali moris, puncticularibus præcipuè Epidemicè graſſantibus, nec non Autumnalibus, ex prægreſſæ ob æſtatis calorem evaporatis ſpiritibus effœta Cruoris Craſi hoc communicante, Auctoris filio *Dionyſio Andrea Med.* nunc *Gazoli ad Olium*, *&* *Amico meo Colendiſſimo.*

Peſtem fugare Fructum noſtrum ait *Thom. Burnetus in ſuo Theſauro Medicinæ tom.* 2. dum ſequens laudat remedium ℞. Confect. de nucibus (quam vide Lector ſi curioſus es apud *Foreſtum*) ℥. j. *ß.* Theriac. antiq. & Mithridat. ana. ʒ. ii. boli Armen. veri, terræ ſigill. ana. ℈. *ß.* cum *Syrup. de Corticib. Citri* q. s. f. mixtura.

Venenis etiam obſtare Citrum didici à *Jul. Cæſar. Claudino in Empyric. rational. tom.* 2. *pag.* 329. dum ipſe ſequentem præſcribit Potum; ℞. Decoct. cord. fact. cum infuſ. ſennæ ℔. *ß.* Agarici trochiſc., Rhabarb. elect. & pulveriſ. ana. ʒ. i. *ß. Semin. Citri contuſ.*, Scordii ana. ℈. ij. m. infuſ. per 12. horas deinde f. fortis expreſſio adde Tripher. Perſic. ʒ. v. Syr. roſar. ſol. ℥. iv. m. pro Potu.

In lue Gallica, quam non eſſe morbum novum egregiè probavit Illuſtriſſ. *Patinus* Patronus & Amicus meus maximus, commendare ego poſſum Citrum dum vidi multos ſanatos uſu Decocti ſequentis, quod *Zecchii* dicunt multi ℞. Mirobalanor. omnium detrit. ana. ℥. *ß.* infund. in ℔. vi. Seri Vaccini per horas 24. deinde adde Epithymi, Polypod. ana. ℥. ß. fol. Sennæ elect. ℥. j. ß. Cortic. ellebor. nigr. ʒ. vi. Sonchi.

m.

m. i. Salſæ parillæ ppt. ℥. iv. Cortic. Guaiaci contuſi ℥. iii. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & in ebulitione Adde Semin. Coriand. ppt. ʒ. j. *Citri contuſi* ʒ. *ß.* quatuor ſemin. frigid. ana. pug. *ß.* bulliant iterum leni ebullitione, poſtea refrigerato decocto in vaſe obturato ſervetur per horas x. tandem facta forti expreſſione coletur. Hujus capiat Æger per vices, & Doſis varietur juxtà ætatem Patientum, quod ad Medicorum prudentiam remittitur.

In Gonorrhœa Citrum commendat *Sennertus in Prax.* ſequens præſcribendo remedium ſcilicet ℞. Radic. Helenii, Fœniculi, Apii, Cichorei, Bugloſſ. ana. ℥. j. fumar. m. ij. borrag. Violar., Scolopendriæ, Capill. Vener., Summitat. Lupuli, herbæ paralyſ. ana. pug. j. Chamæpityos, ſtœchad. ana. ℥. *ß.* Seminum fœniculi ʒ. iii. Citri, ʒ. ii. omnia infunde per diem, & noctem in s. q. aquæ pluvialis & Fumariæ quibus poſtea addantur mirobalan; chebulor., indorum, citrin ana. ℥. *ſs.* folior. ſennæ, epithymi polypodii querc. glycyrrhizæ, ana. ℥. j. Cortic. ellebori nigri, ʒ. ii. rhabarb. ʒ. *ſs.* ſchœnant. ℈. j. Poſtea coquantur, & colentur; Fiat Potus longus per ℔. ij. Addendo Syrup. infuſ. roſar. ℥. i. de Fumar. ℥. *ſs.* Sacchari q. s. ad dulcedinem.

Ad Elephantiaſim curandam facere Citrum docet *Joh. Harttman. in Praxi chymiatric.* dum ſic ait. In die aſſumat Æger alcool ſerpentum cum Saccharo mixtum, cum conſerva roſar., *Cortice Citri*, & flor. nympheæ fiat opiata cui adde guttas aliquot Auri potabilis anglici, aut ſæpe exhibeatur mithridatum cœleſte Quercetani.

CAPUT VII.

De Uſu Citri in Affectibus Externis.

INTER cætera, quæ commendat in curatione Arthritidis vagæ ſcorbuticæ *Clar. Valent. Andr. Mollembroccius*, mihi maximè placent duo hæc ſequentia remedia; Primum ſumitur ex

octavo

octavo capite ſui tractatus *de Varis*, *ſeu Arthritide vaga ſcorbutica*; & eſt elixir Citri purgans *Domini Michaëlis*, quod ſic paratur. ℞. Radic. Jalapp. ℔. i. ſs. ſemin. cartham. ℔. i. Gumm. de Peru, Scammon. roſati ana. ℥. ſs. Extrahe elixir Citri, adde aliquid Aquæ Cinnamomi, & *Syr. è ſucco Citri* ac Doſis ſit ʒ. iij.

Eſſentiam pariter Citri laudat, quæ tali modo fit; Reſcinde flavos Citri Cortices ſubtiliſſimè, relictam pulpam pone ſuper fornacem ad ſex, vel octo dies, deinde exprime ſuccum, & deſtilla per cucurbitam, exibit ſpiritus, vini ſpiritum æmulans, quem ſuperaffunde corticibus, extrahet tincturam flaveſcentem, palato, & oculis jucundiſſimam; Corticibus, ne interea temporis pereant inſperge parum Aquæ Citri, vel roſarum.

Alterum remedium exhibet iſte Auctor in cap. 15. ejuſdem tractatus, & eſt ſequens Aqua quæ externè adhibetur; ℞. Cinnamomi, Caryophyl. Cubebar.; nuc. moſchat; Galangæ, Zinziberis, Cardamomi, Maſtic., ladan; Zedoar., *Corticis Citri*, Aloës hepaticæ, olibani, baccarum lauri, Herbæ Meliſſæ, Menthæ, Majoranæ, Matricariæ; Serpilli, Origani, Pulegii, Salviæ; Chamæpityos, Chamædr., Florum Anthos, Lavendulæ, Camomillæ roſarum alb. rub, Pœoniæ, Sambuci, Cheiri, Stœchad; Saſſafras; Seminum Aniſi, Anethi, Piperis longi, Nigri, Radic. filicis, Caryophyllatæ, Croci. ana. ʒ. ii. Inciſa, & contuſa infundantur in ℔. vi. Spiritus Vini optimi, poſtea deſtilla in B. M. & adde Moſchi, Ambræ, ana. gr. iij. Sacchar. clarificati q. s. Uſui ſervetur in Vitro benè munito.

Ad Arthritidem pariter fugandam etiam non ſcorbuticam, *Harttmannus* Citrum commendat; dum ſcribit; maximoperè pro corroboratione naturæ in Arthritide valere Magiſterium perlarum, à *Riverio* plurimo cum fructu præparatum, & exhibitum hoc modo; Perlas reduce in pulverem impalpabilem, quemadmodùm alias redigi ſolent vulgariter Margaritæ ppt. his in vitro ſuperfunde *Succi Citri recentis* q. s. ut fiat inſtar Paſtæ; relinque aliquandiù, poſtea ſolve cum Aceto, & remoto aceto per inclinatio-

clinationem à fæcibus aliud affunde, donec Perlæ ex toto fuerint ſolutæ; Collectum Acetum miſce, cum tertia parte aquæ fluviatilis; deſtilla per retortam ex igne Arenæ, primùm igne lento, poſteà fortiori, deſtillatum reaffunde capiti mortuò reſtitanti, & viciſſim ſolve, poſtea cola per filtrum, evapora admodùm lentè, & reſtabit Perlarum Magiſterium, & hujus ℈. j. ad ſummum ſumatur jejuno ſtomacho.

Scabiem Citrum tollere tam internè, quam externè apparet, primò internè ex *D. Hoeferi Medic. familiar. pag. mihi* 171. Sequentem enim pulverem laudat iſte Auctor ℞. Semin. Aniſi, fœniculi, ana. ℥. iv. *Cortic. Citri* ℥. *ſs.* Saſſafras ℥. i. *ſs.* Salſæ parill., radicis Chinæ ana. ℥. j. Santali rubr., polypod., ana. ℥. *ſs.* Cinnamomi ʒ. x. Incidantur minutiſſime & miſceantur ad chartam, Externè commendatur Citrus in Scabie à *Pharmacopœa Auguſtana* dum ſequens præſcribit remedium ℞. Styracis liquidæ ℥. i. Terebinth. lotæ, Butyri loti, ana. ℥. ij. *Succi Citri*, vel Limon. ℥. *ſs.* Cerulſæ lotæ ℥. i. Salis ℥. ii. miſc. fiat S. A. Unguentum.

Infantem ego elapſis diebus curavi Aphthis, hoc eſt, ulceribus oris, & gingivarum albicantibus laborantem, ſæpe inungendo hoc remedio ℞. *Syrupi è Corticib. Citri* S. M. è roſis ſiccis, mellis roſat ſimpl. ana. ʒ. i. *ſs.* maſtic. electæ pulver. ʒ. *ſs.* Spiritus Vitrioli gutt. iv. m.

Ad Plicam curandam citrum noſtrum concurrere docet *Joh. Prævotius* referente *Sennerto in Prax. lib.* 5. *part.* 3. *ſect.* 2. dum ſequens præſcribit Electuarium ℞. Conſervæ Cochleariæ, Betonicæ, Salviæ, Cichor., Chamædryos, Chamepityos, *Cortic. Citri. cond.* radic condit. Scorzoneræ rob. Juniperi, Confect. Alcherm; Syrup. Borraginis, *Acetoſit. Citri* ana. part. æq. fiat Electuarium. Sequentem pariter mixturam commedat ℞. rob. Juniper. ℥. ii. extracti calami aromatici ℈. i. Croci ℈. *ſs.* Conſerv. Cochleariæ ℥. iii. fumar. acetoſæ ana. ℥. i. *ſs. Succi Citri* recent. ℥. iv. aquæ Scorbuticæ ℥. vi. Cochleariæ ℥. iv. Cinnamomi ℥. *ſs.* Stent in digeſtione poſtea colentur.

Brachii ulcus in Matrona curavit *Hoeferus* ſequenti medicamine, à fructu noſtro ornato; ℞. fol. ſennæ elect. ʒ. vi pulpæ

tamarind. rhabar. Cremor. tartari, ana. ℈. iv. paſſul. min. ʒ. vi. macis ℈. i. f. Decoctum cum Aquæ Fumariæ ſtent in infuſ. per noctem, mane repetatur coctio ad tertiam in colatura diſſolve mannæ ℥. i. ſs. pulv. Jalappæ, Cryſtal. tartari, ana. ℈. ſs. m. f. Potio. præmiſſa hac potione. ℞. chinæ optimæ ʒ. vi. Salſæ parillæ, ligni ſaſſafr. ana. ℥. ii ſs. infunde inciſa in aquæ fontis puriſſ. ferventis ℔. viii. per horas 24. ſtent in loco calido, dein coque ad dimidias ferè; colatura detur in Vaſculo mundo; & ſumat quotidie ℥. vi. pro ſudore eliciendo, interponat unum Diem, & repetat purgationem; ℞. Remanentias decocti, adde ſacchari commun; ℥. iv. Aquæ, Fontanæ, ℔. xvi. coque ad remanent ℔. i. ſs. in fine addendo *Cortic. citri extim.* ℥. i. Cinnamomi ʒ. vi. ſervetur pro Potu ordinario.

Fœdam in Puella Phthiriaſim, hoc eſt morbum ſævum Pedicularem fugavi lotione ſequenti, quam Citrus ingreditur. ℞. Lupin. amaror. pug. iii. Semin. Staphiſagriæ pug. ii. *Cortic. Citri ſiccar.* ℥. i. Fiat decoctio in Aceto acerrimo, quò decocto univerſum corpus à capite ad pedes uſque lavabatur.

Contrà lentigines citrum laudat *Sennertus Pract. lib. 5. Part. 3. ſect. 1. cap. 3.* dum ſequenti utitur remedio: ℞. *Unguent. Citrini recent.* ℥. iii. amygdal. dulcium diutiſſimè piſtatar. farinæ fabarum ana. ʒ. i. oſſis Sepiæ, Cornu Cervi, farinæ hordei, ana. ʒ ii. Incorporentur cum melle, & miſceantur.

Ad Ambuſta curanda membra feliciter Ruſticus utitur ſucco Citri, & omnes maculas cutis iſto ſucco appoſito delet.

In Eryſipelate, refrigerantes emulſiones, *Syr. acetoſit. Citri*, cum ſpiritu Vitrioli commendat *Hocferus in ſuo Hercul. med. lib. 5. cap. 1.*

Volaticas, ſeu impetigines ego pluries curavi, & præſertim in una Famula Domus meæ, quæ Volaticis ſævis in manibus laborabat; ſolo *ſucco Citri* appoſito, & ſæpè adhibito; Arcanum enim expertum eſt prò impetigine, *Citri*, vel Limonum ſuccus.

Legiſſe me recordor. apud *Sennertum Prax. lib. 5. part. 2.* præter alia remedia, quæ a Practicis adhibentur in curandis

Gan-

Gangrænis, & ſphacelis, valdè commendari ſequens remedium ℞. Conſerv. cochlear. ℥. iii. Salviæ ℥. ii. ſpec. diaxiloaloes ʒ. i. *Cortic. Citri condit.* ℥. *ſs.* rob. juniper. ʒ ii. cum Syr. Betonicæ f. Electuarium ſecundum Artem.

A Pernionibus, non ruptis tamen in Pedibus, ac manibus multos liberavi ſolo ſpiritu vini optimo cum paululo *Spirit. Citri*: appoſito ſæpe; hoc enim remedio *Claram Uxorem meam dilectiſſimam* hyberno tempore liberam à Pernionibus facio.

In fiſtulis curandis locum habere poſſe Citrum noſtrum mihi dixit Chirurgus quidam Italus, qui multas curaſſe feliciter fiſtulas jurauit ſequenti remedio ℞. Unguenti ægyptiaci ℥. *ſs.* ſublimati ʒ. *ſs.* lixivii ℥. i. *Aquæ florum Citri*, Plantaginis ana. ℥. iii. m. & bulliant nonnihil.

In doloribus dentium debellandis feliciter ſæpè in Praxi facienda ſequens exhibui remedium, quod eſt ℞. Camphoræ modicum in Aceto bulliat parùm, & in ebullitione adde *Aquæ florum Citri* parum; deinde teneat æger in os; cui ſimile remedium præſcribit *Bartholom. Montagnana conſil.* 87. & *Thomas Burnet. theſaur. Med. practicæ tom.* 1. *lib.* 4.

In vulneribus, à Viperis illatis prodeſſe citrum volunt multi, & oſtendi ego in Parte prima hujus opuſculi, hiſtoria *Hoffmanni*, & *Athenæ* verum *Illuſtriſſ. Franc. Redius Italicæ Medicinæ ſplendor*, ac *Dominus meus ſemper colendus*, fabuloſas has putat hiſtorias, dum ipſe *in obſervat. de Viperis* ait; Duos Gallinaceos Pullos à ſe quatuor diebus continuè nutritos hordeo infuſo in Decocto Citri, ultimo eorum guture impleto fruſtulis Citriorum, elapſis duabus horis curaſſe ipſos à duabus Viperis morderi, indè unxiſſe inſuper Vulnus cum quinta eſſentia Corticum Citri, aſt intrà tres horas morientes ambos vidiſſe.

Ad Varos, ſeu Jonthos fugandos ſequens remedium præſcribit *Joh. Stephanus in ſua Coſmetic.* ℞ Amygdal. amar., ſem. Melon. ana. ʒ. vi. contundantur in mortario dein affundatur *Succus Citri*, & addito combuſto alumine fiat linimentum, quo utatur, æger.

In fiſtulæ lachrymalis curatione commendat Citrum *Guil.*

Fabritius Hildanus, *cum Thom. Burneto* dum ait. Convenire Conſerv. betonicæ, roriſmarini, Salviæ, Majoranæ Primulæ Veris, Pœoniæ, Confect. Alcherm. *Cortices Citri* &c.

A Phlyctænis infantem liberavi anno elapſo hoc modo; Phlyctænas in facie ſucco plantaginis, & Solani oblinire juſſi Nutricem; poſtea adhibita etiam creta, & aceto linimenti inſtar, & decocto roſarum ablui juſſi; interim, ut Nutrix ipſa cibis frigidis alteratis cum *Succo citri*, vel Agreſtæ uteretur mandavi, atque ut lactis ſerum biberet; quò, & puer poſteà alvum exoneravit, atque his remediis infans brevi convaluit; hanc autem curationem inſtitui ad immitationem obſervat. 8. Chirurg. lib. 2. *D. Petri Foreſti.*

Ad cadavera condienda, & incorrupta ſervanda Cedrum facere legitur apud *Plinium lib.* 24. *cap.* 5. nam cedrus magna, ipſe ait, quam Cedrelatem vocant dat picem, quæ cedria vocatur; & hæc defuncta corpora ejus ſervat, viventia corrumpit; mira differentia, cum vitam auferat ſpirantibus; defunctis prò vita ſit. Hinc huic cedriæ ineſſe talem vim præſervandi cadavera à putredine aſſerit *Galenus lib.* 7. *de ſimpl. med. facult.* cum *Dioſcoride de Cedro lib.* 1. Cæterum *Joan. Kirchmannus de funerib. Roman. lib.* 1. *cap.* 8. uſos reperit veteres in condiendis mortuis, & putredine abigenda potiſſimum ſale, Nitro, *cedro*, aſphalto &c.

Cedriam viſum acuere, & albugines ab oculis fugare docet *Matthiolus lib.* 1. & vermes Aurium necare impoſitam, cum aceto mixtam tradit *Dioſcorides*; hanc lendines, pediculos, ac vermes occidere aſſerit *Matthiolus* ipſe; immò aliqui, eam inunctam mentulæ conceptionem impedire, ac conceptum in Ventre matris extinguere volunt.

Semen Citri cum vino bibitum hæmorrhoidibus opitulatur monente *B. Piſanello*; Atque ad fœtorem oris conducere decoctionem cedri ore detentam ait ipſe *Piſanellus.*

Optimum eſſe Citrum ad lepram fugandam docet *Leonard. Marius com. in Levitic. cap.* 14.

Cedriam odontalgiam tolere ſcribit *Cornel. à Lapide.*

Liquo-

Liquore cedrio igni admoto Avium vulnera linunt Ruſtici ; & ſic parti læſæ medentur ; ità monente *Columella.*

Cedrio tandem liquore oculis perunctis claritas conciliatur , quam eruditionem mihi nuper communicavit *Eruditiſſimus Joſeph Malateſta , Garuffius Ariminenſis Doctor , ac Amicus meus amatiſſimus.*

CAPUT VIII.

De Uſu Citri œconomico.

USum Citri culinarem omnes non neſciunt Mulierculæ , nullum enim fere ferculum eſt , nullæ cupediæ ſunt , ad quas exornandas , atque condiendas Fructus hic non interveniat ; Acido enim ejus ſucco Dapes jucundiores evadunt nullamque , ut verum fatear , menſam obſervavi , quod ubique non viderim Pomum Citrium triumphare , & ſuper aſſam , elixamque carnem pari greſſu progredi , atque in Epularum fine , principiove pari debacchari triumpho ; nulluſque tam inſcius Cupedinarius eſt , qui neſciat Convivia , à Citro condecorari , malumque medicum eſſe Dapum condimentum , ac ornamentum.

Citrium autem pomum Scriniis impoſitum veſtiariam ſupellectilem à tineis inoffenſam cuſtodit , ita ſcribente *Anton. Mizaldo Arcan. centur.* 1. *& Cardoſio Philoſ. lib.* Quin illius ſuccum contra deleteria pharmaca juvare docent omnes , quos legi Auctores , ut ſuprà demonſtravi in Parte prima hujus opuſculi ; immò addo contrà aquam illam venenatam primò in Mantuana regione diſſeminatam vulgo *Aqueta* dictam , qua ſcilicet exhibita ad tale , & determinatum tempus homo necatur , contrà inquam iſtam plurimùm valere liquorem Citri ; ità ut , docente Experientia , hujus Aquæ venenatæ antidotum, ſit fatendum , eſſe Citri noſtrum ſuccum.

Citri verò Arboris ligna materiam præſtant æternam , mo-

nente *Theodoreto*, undè ex hac fuiſſe *Salomonis* Templum conſtructum volunt multi, hincque derivaſſe dictum illud. *Dignum eſt cedro*, dicunt aliqui; hinc Numæ libri cedrati ſub terra defoſſi durarunt annis 535. monente *Plinio lib.* 13. *cap.* 13.

Undè *Horatius* Cecinit

Speramus carmina fingi poſſe linenda cedro.

Et *Ovidius lib.* 1. *de triſtib.*

. . . . *nec Cedro charta notetur.*

Mala citria flacceſcere inſperſo pane in eorum cumulum ſcribit *Fracaſtorius*, adducitque cauſam cur flacceſcant in ſuo libro de *Sympath.*, *& antipath. cap.* 11. *idem*, inquit, & *citriis accidere inſperſo in eorum cumulum pane putandum eſt, attracta enim in panem humiditate eorum, atque illic ceu alieno in loco putreſcente, principium reliquo datur, ut computreſcat, qua de cauſa flacceſcunt ea mala.*

Adverſus faciei rubedinem nimiam, aquam ſequentem multi laudant, in qua fructus noſter eminet. ℞. Aceti alb. aquæ roſar., *Succi citri* ana. ℔. i. Sulphuris Vivi pulveriſati ℥. iv. m. & omnia deſtillentur per retortam, & hac aqua ſæpè ad faciem lavandam utatur.

Aquam pariter ſequentem laudat *Roſcellus*, qua Adoleſcentulæ poſſunt viſum abluere, & ſic formoſiorem reddere; ℞. *Aquæ citri* ℔. i. flor. fabar. ℥. iv. aluminis zuccherin. ℥. ii. Salis Gemmæ ℥. j. Camphoræ ʒ. ß. moſchi, gr. ii. miſce & omnia pulverizata ponantur in aqua ſupradicta, & ſtent in infuſione per quatuor dies, inde addantur Aquæ Viol. alb., ℥. viii. & poſtea deſtillentur per alembicum & exibit aqua optima, ad uſum ſervanda.

Oleum ſordidum emundare Citri radicem in ipſum demerſam ait *Ruellius*.

Oleo florum citri utuntur ſæpe nobiles Fæminæ ad partes corpo-

corporis odore grato accomodandas ; cujus olei conficiendi modum rectè deſcribit *Laz. Grandius* in ſuis Arcanis. Succo Citri uti quoque Tinctores omnibus notum eſt.

Chymici multi, Citri ſuccum ſolvendis margaritis affundunt aceti loco ut monet *Sim. Paul Quadrip: batanic: claſſ.* 3. Hinc quibuſdam in regionibus, & ipſa folia Citri matribus familias grata ſunt, ut iis, æquè ac lauri foliis, & Juniperi baccis cibos condiant; Ad manus faciemque à rugis, & maculis ſervandas, ideòque decoras, atque formoſas faciendas ſequens remedium, præſcribit *Roſcellus* ℞. *Citrum* num. 1. & in eo perforato impone borragin. mineral. ℥. i. poſtea involvatur linteo lineo, & ponatur ſub cineribus calidis; indè exprime, & illius ſucco Manus, ac Faciem lava.

Aquam pariter ſingulariſſimi odoris, atque Imperialem dictam deſcribit *citatus Roſcellus*, quam fructus noſter ingreditur ℞. Aquæ roſarum Florum mortelli florum Citri ana. part. æqual. quæ aquæ ſimul deſtillentur iterum, cum bona quantitate Roſarum damaſcenar. & Caryophylor. inciſor. & ità habetur Aqua Imperialis.

Multi ſunt qui Tabaci pulverem accommodant odore florum Citri; aſt hic pulvis nimium caput calefaciendo plus nocet, quam proſit.

Manthecam nonnulli accommodant odore florum Citri, quæ apud noſtras Adoleſcentulas magni eſt uſus.

Citri odorem necare Serpentes ait *D. Hieronymus Fabianus Fori Saraceni Medicus Experientiſſimus, & Amicus meus ſemper colendus* in ſuo libro cui titulus *Angelica Panacea &c.* pag. 184.

Ex ligno Cedrino qnandoque rogus, & pyra parabatur maximé apud Indos, ſic *Calanus* Indus ex lignis odoriferis, Cedro, Thyo, Cupreſſu &c. pyram paravit, in eaque ultrò ſe combuſſit, ut tradit *ælianus lib. 5. Var. hiſtor. cap.* 6. de hoc etiam vide *Kirchmannum de Funer. Romanor.*

Citri Acidum ſuccum facere acetum acrius docet *Galenus de Aliment. Facult.* 2.

Feruntur Citri acres medullas mutare dulcibus, ſi per triduum aqua mulſa ſemina ponenda macerentur, vel ovillo

lacte,

lacte, quod præſtat; monente *Palladio de Re Ruſtica lib.* 4.

In Ægypto, ac Syria Reges inopia abietis Cedro ad Claſſes feruntur uſi, ſcribente *Plinio 2. hiſtor: natur: lib:* 16. *cap.* 40. quod confirmat *Petrus Bellonus Medicus Gallus lib: de Agricultura pag: mihi* 59. dum hæc ſcribit. „ Theophraſte meſme eſt tè- „ moin que le grand Cedre vient auſſi bien en Cilicie comme „ en Syrie: car ainſi dit ſon interprete (& in Sicilia, Syriaque „ Cedrus) & au ſixieſme chapitre du quatrieſme livre dit (quin „ ad navalem materiam Cedrum Syria gignit eaque ad triremes „ utuntur) entendant par cela, que puis, que les foreſts en „ ſont verdoyantes, que les habitans en font galeres, & navi- „ res. Hinc *Suetonius* de Caii Caligulæ liburnicis ita fermè ſcri- bit, adeò ut videatur imitatus eſſe Hieronis navem; fabricavit, inquit, & de Cedris liburnicas gemmatis pupibus, verſicolori- bus velis, magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium, & pomiferarum Arborum varietate, quibus diſcumbens de die, inter Choros, & ſyphmo- nias littora Campaniæ peragraret; ut ſcribit *Lilius Gregor. Giral- dus de re nautica lib.* 1. *cap.* 7.

Cedrum autem Clavum non tenere monet *Plinius Secund: hiſtor: nat: lib:* 16. *cap.* 40.

Cedria licet à multis Defunctorum Vita dicatur, nullate- nus tamen veſtes, pelleſque tinea velut erodit; Cedrus vero præſervat, ut docet *Dioſcorides cap: de Cedro &c.*

In ſacrificiis Eumenidibus faciendis Antiqui admittebant lignum Cedri; hoc que ligno uſos eſſe docet *Natal: Comes, in mythologia lib:* 3. *cap.* 10. dum hæc habet. Non enim illa ſacri- „ ficia, quævis ligna admittebant, ex quibus ignis fieret, ſed „ tantum cedrum, & alnum, & Juniperum, & Blamnum, è „ quibus Pyra fiebat, ante foveam quandam triplici ordine ex- „ cavatam, tum victimarum illis Sacrificiis convenientium ſan- „ guis in foveam effundebatur, at corporum membra ſuper „ pyra urebantur cum quibus multæ res, multaque herbarum „ genera miſcebantur cum precibus &c.

Me legiſſe recordor apud *Giraldum de Re nautic. lib.* 1. *cap.* 4. illos

4. illos; qui Phœniciam, Syriamque colunt cedro magis uti, ac aliis lignis, & hoc quia Pino egent. Uſos etiam fuiſſe veteres in ſacrificiis Citro colligitur ex *Plinio Secundo hiſtor. natur. lib.* 13. *cap.* 1. dum hæc ait.

„ Illiacis temporibus non auro, nec thure ſuppliccabatur, „ Cedri tantum, & Citri ſuorum fructuum in ſacris fumo con„volutum nidorem verius, quam odorem noverant &c. Hinc credidit *Perrotus* Veteres olim variis odoribus uſos commendandi halitus gratia, & à Parthis hoc primò inventum eſſe, ut ſic ingluvie, ac nimio potu conceptum virus extinguerent; ac fallitur, inquit *Cæſar Zarotus in Med. Martial. tractat. lib.* 1. Sipontinus hic Præſul, dum putat odoramentis Parthos abigere tentaſſe fœtorem Vini, licet enim Citri, vel granum, vel florem, vel totum pomum aſſumpſerint; non tamen qua ſuavis eſt, aut odoratus Citrus noſter Parthorum crapulas medebatur ſed quatenùs eſculentis additus, digerebant, ut docent *Theophraſtus* ac *Plinius*, cùm *Virgilio* canente

. . . . . . animas, & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis;

Theophraſti temporibus citro non utebantur in cibis, ſed tantum ob odoris deliciam ſervabantur Poma citria; quæ a putredine tuta longo tempore conſervantur ſepulta in milio, aut hordeo, hoc docente *Matthiolo in Dioſcorid. lib.* 1. *cap.* 132.

Ex citri ligno menſæ fiebant magnoperè à Romanis expetitæ, ut monet *Hoffmannus in Lexic. Univerſal.* unde *Ciceronis* menſa famoſa eſt.

Volunt multi in Cypro Cedrum maximam fuiſſe antiquitùs ad longitudinem pedum 130. ex quâ ſecta planta concinnatam fuiſſe Demetrii Triremem dicunt; de quò vide *Matthiolum loco ſupra citato.*

De citroſa Veſte mentio fit apud *Nævium* dum inquit

. . . . pulchram ex auro, veſtemque citroſam.

De Triumpho Cæſaris ex Citro ſcribit *Velleius Patercul. lib.* 2. *cap.* 56. & licèt *Terentius* aſſerere videatur Citri uſum apud Romanos nondùm fuiſſe, refellitur tamen illo *Cratonis* apud *Feſtum* ex oratione: Ne quis iterum Conſul. fiat: *Dicere poſſum, quibus illa, atque ædes ædificatæ, atque expollitæ, maximopere Citro, atque ebore, atque Pavimenta Phœnicis ſlent*; Plura de hac re Vid. *Lexicon. Univerſal. Joh. Jacobi Hoffmanni ad litteram C.*

Antiqui cedro utebantur ad Avorum imagines conſtruendas, ut colligitur ex *Virgilio in Æneid. lib.* 7. dum ſcribit.

Quin etiam veterum effigies ex ordine Avorum
Antiqua ex Cedro.......

Jactabat Pharao, monente *Cornel. a Lapide comm. in Ezechiel,* ſe uſu Citri Judæorum infirmitates, & Clades ſanaſſe.

Lacedæmones (Ariſtophane Grammatico Auctore) Deos ſuos mali Citrii ramis coronare ſolebant.

Tabernacula Dei ex cedro jam conſtruxiſſe Hebræos, legitur apud *Joh. Euſeb. Nierembergium in leg. Grat. & Hector. Pintum Comm. in Eſaiam cap.* 41. Cedri Oleum multum celebratur ab Autoribus in Uſu œconomico, indicans forſitan veri olei fontem (ut loquar verbis *Hieronymi Laureti in Silva Allegoriar.*) Miſericordiæ videlicet, & Pietatis divinæ locum, cui Cedria arbor reſpondet; quam plantam enixè commendat *Iſidorus.* Cedrus autem ſuſpendendis tectorum apta culminibus eſt, eò quòd hujuſmodi materies, & procera ſit ſpatiis, nec oneroſa parietibus, quemadmodùm docet *D. Ambroſ.* 3. *Hexameron. cap.* 13.

Sufficiat deniquè ad majorem Cedri commendationem aſſerere, Dominum Deum habitaſſe in domo cedrina; legitur enim in 2. *Regum cap.* 7. Vides nè quòd ego habitem in Domo cedrina &c.

Et hæc ſunt, quæ de Citro ac Cedro adducere breviter, ut promiſi Tempus permiſit; adeoque Citrologiam noſtram curioſam Divino Auxilio ad finem perduximus; Huic ergò ſit Laus, Honor, & Gloria in ſempiterna Sæculorum Sæcula.

FINIS.

CLA-

C L A R I S S I M O

JOSEPHO LANZONIO

MEDICO FERRARIENSI PRÆSTANTISSIMO.

I L L U S T R I S S I M Æ

ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM
Germaniæ Collegæ Ornatiſſimo Epicharmo dicto
Animadverſionibus, Zoologia, Obſervationibus,
nec non aliis Monumentis editis notiſſimo.

Quòd nunc de CEDRO *abſolutum Opus exponat.*

CARMEN GRATULATORIUM.

OMnia, quæ ſcribis ſunt Cedro digniſſima; Amice,
Sed quæ de Cedro vix Cedrus ipſa capit:
Stent aliis Pario monumenta ex Marmore, fuſa
Vivificent alios Æra ſignata diù.
Temporis injurias non ferdent, LANZONE, *vetuſtas*
Vix vultus noſces, vix legis atque notas!
Aſt quæ pro Cedro ſcripſiſti, æternà manebunt
Donec odoratus floreat Orbe Citrus.
Non cariem ſentit, tineaſque coercet, è libro hoc
Cedrus at æternum diſcit habere jubar.
Ipſe, Machaonio turgeſcens Nectare, Morbis
Te Auctore, ac morti Bella jucunda movet?
Hinc procul Invidiæ gliſcenti ſmegmate chartas
Tangere non auſit fœda litura tuas.
Perpetuò ut viridi ſplendeſcit Cedrus amictu,
Sic vireat ſemper Gloria certa tibi,
Illa tuum nomen ſervat, Gratiſſima Malus
Dedecet ingrati ſtigmata cruda mali.

Turbatiſs. ſibi tempore Amico meritiſs.
Veritate Muſam manu ducente Occinebat.

Dionyſ. And. SANCASSANUS *Med. Gaz. ad Ollium.*

INDEX

INDEX OPUSCULI

PARS PRIMA,

EAQUE THEORETICA.

CAPUT I. *De nomine, deſcriptione, loco, natali &c. Citri.* Pag. 315
CAP. II. *De Viribus, ac qualitatibus Citri.* 319
CAP. III. *De Præparationibus ex Citro.* 321
APPENDIX. 325

PARS SECUNDA,

EAQUE PRACTICA.

CAP. I. *De Uſu Citri in affectibus capitis.* 330
CAP. II. *De Uſu Citri in affectibus Thoracis.* 334
CAP. III. *De Uſu Citri in affectibus Abdominis.* 336
CAP. IV. *De Uſu Citri in Morbis Mulierum.* 340
CAP. V. *De Uſu Citri in Morbis Puerorum.* 343
CAP. VI. *De Uſu Citri in Febribus.* 344
CAP. VII. *De Uſu Citri in affectibus externis.* 347
CAP. VIII. *De Uſu Citri Oeconomico.* 353

JOSE-

JOSEPHI
LANZONI,
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec non S. R. I. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

ZOOLOGIA
PARVA,
SIVE
TRACTATUS
DE
ANIMALIBUS
JUXTA

SCHRODERI, HOFFMANNI, ETTMULLERI,

aliorumque Recentiorum mentem concinnatus.

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

EXCELLENTISSIMO

CLARISSIMOQUE

VIRO

D. JO. COSMO

BONOMO,

PHILOSOPHO, ac MEDICO PRÆSTANTISSIMO,

Practico LIBURNI *Celeberrimo*,

PATRONO, & AMICO MAGNO

JOSEPH LANZONUS

S. P. D.

PAtere VIR EXCELLENTISSIME, ut ingenioli mei par-

vus iſte fœtus, quam à Parente ſuo nequit à Celeberrimi Nominis Tui ſplendore lucem trahat; quod cùm dico, non tantum Familiæ tuæ notam ubique nobilitatem indico; nam

Et genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra puto . . . . .

Verum famam tui inſignem, quam ob obſervationes optimas à te in publicum editas ab orbe Litterario meritò adeptus fuiſti, colo; Hinc à grato colloquio coactus, quo per litteras tuas Amiciſſimas per aliquot menſes fruor, non poſſum, quin mortalibus cunctis meam ergà te obſervantiam patefaciam; ideò qualecumque hoc opuſculum fuerit, tibi ceù munuſculum offerendum puto, quod

ſanè

ſanè per quam exiguum eſſe non diffiteor, ſed ex offerentis animo æſtimaturum te probè norim; Aſt ne obſervationibus te novis in Reipublicæ Medicæ emolumentum ſemper intentum diutiùs interpellem, pretioſi tibi temporis diſpendio moleſtiam pluribus non creabo; Valè interim, VIR CELEBERRIME, & me etiam quod ſoles, amare perge.

PROOEMIUM.

Zoologiæ nomine Artem intelligo modum tradentem, quo Animalia in uſum medicum trahi debeant, ut ſanitas corporis humani inde vel conſervari, vel reparari poſſit; Animalia verò primò, tam viva, quam mortua ad Zoologiam faciunt, pariter ea, vel integra, vel ipſorum partes, vel excrementa: integris enim Animalibus utitur Medicina, quia ſæpè vivum catulum aliave animalia adhibet; partibus etiam, quando, verbi gratia, Hepar Lupi, Pulmones Vulpis, Cranium Humanum, & ſimilia, necnon excrementis quoque, dum Cornua, ungues, pilos, ſtercora, &c. adhibet; hæc autem omnia ſunt in uſum vocanda quando juſtam ſuam magnitudinem habent, & mediam ætatem ſunt ſortita, bono corporis habitu fruuntur, & valetudine; ſin ex interemptis animalibus medicamina expectantur, illa ſumere debet Medicus, quæ violenta morte interiere; ità enim ſpiritus inſitus, & humidum radicale, quod in ſeneſcentibus, ac morboſis ſenſim conſumitur, integrum aliquandiù manet; experimentum enim docet cranium, Cornu Cervi, aliorumque Animalium partes, quandiù balſamica pollent ſubſtantia, vires ſuas retinere; ideò ait Frid. Hoffman. clav. in Schrôder. *Medicos de hac re ſollicitos eſſe debere, ut in praxi facienda medicamentis ab Animalibus deſumptis boni oriantur effectus; Claſ-*

ſes

ſes Zoologiæ ſunt quatuor; Prima Animalia terreſtria exibet, quam nunc tibi, L. B., exibeo; Secunda Aves; Tertia Piſces; Quarta Inſecta præbet quas partes ſeorſim, & immediatè poſt hanc habebis; modò verò ſpe aliarum hanc primam recipe, & laboribus meis, ut aliàs feciſti, legendo fave.

DIONISII

Dionysii Andreæ Sancassani Med. Pract. Prof. Gazoli ad Olium pro ſingulari modeſtia Eruditiſſimi Authoris qui Parvam Zoologiam ſe exaraſſe diſcendi ergo Amiciſſimè Communicavit.

TETRASTICON

Ambiget hæc tua qui volvet monumenta Machaon
An doceas diſcens, diſcas an ipſe docens?
Diſcere multa Cupis, dum ſcribis plurima, diſce
Te docuiſſe modo, quod didiciſſe juvet.

EXASTICON

Oſtentent alii Lyibicos domuiſſe Leones
Belua quid prodeſt robore fracta ferox.
Quæ ad medicam faciunt Animalia ſuggeris artem.
Pharmaca de Brutis belle paranda docens.
Ex te ut Joseph, *Mortalis cum fœnore vitæ*
Exanimes diſcat mox Cicurare feras;

DISTICON

Auſpice te ferri ſæclum Ferraria *vincat*
Aurea cui proſtat Lanzea *mente tua.*

JOSE-

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

ZOOLOGIA PARVA.

PARS PRIMA,

DE

Quadrupedibus, de Serpente & Vipera.

CAPUT PRIMUM.

De Agno.

AGNUS Animal notum eſt; ex quo in uſum medicum veniunt pulmones, fel, ſtercus, ſanguis, oſſa, coagulum, & lana.

Pulmones Agni pinguis, ac robuſti ſiccati exempta arteria in vaſe figulino, & refrigerati, in loco ſicco ſervantur, qui impoſiti arcent inflammationes; Hinc *Aëtius* pulmones Agni coctos cum pane manducatos noctu mingentes in ſomno curare ait

Fel ad Cancrum, Epilepſiam, Cachexiam fugandam cum eſſentia Chelidonii aſſociatum commendatur à multis.

Stercus in aceto ſolutum, eryſipelata curare impoſitum ſcribit *Dioſcorides*.

Sanguis Agni ſiccatus, pulverizatus, & potus, ab omni veneno præſervat; Oſſa incinerata vulnera conſolidant, & in omni alvi fluxu bonum præſtant effectum. *Vid. Schröder.*

Coagulum ad venena expellenda, & præcipuè contra Aconitum, potum in vino commendatur, necnon valet ad lac coagulatum ſolvendum, cum aceto ſumptum; quin, & ipſum cum ſucco plantaginis bibitum quaſcumque alvi fluxiones nimias, ſanare docent *Gordonius*, & *Gilbertus*.

Lana tandem cum Corio, Anginæ, aliiſque colli tumoribus impoſita confert, quin etiam ſcribente *Frid. Hoffmanno* dentitioni infantum leniendæ collo appenſa prodeſt. *Vid. Cap. de Ove.*

CAPUT II.

De Alce.

ALCES, magna dicitur Beſtia, & ab aliis Equicervus, eſt animal Gregarium, Biſulcum, ad figuram Cervi accedens, quo tamen majus eſt, natura timidum, comitiali morbo obnoxium ſi *Schrödero* credimus; hujus ad medicum uſum faciunt nervi, cornu, cerebrum, & ungula.

Nervi circumligantur membris ſpaſmo obnoxiis.

Cornu uri poteſt & vaporari philoſophicè calcinatum ut Cornu Cervi quod valet in Epilepſia, Variolis, &c non caret enim optimo ſale volatili; ex hoc cornu Gelatina paratur quæ ad affectus dictos prodeſt; conficitur ex eo, & ſpiritus, & ſal volatile, & oleum, quæ multum diaphoretici habent, & ad multos tollendos affectus valent; vid. *Hoffman. clav. Schröder.*

Ex medulla Cerebri Alcis multi ſunt qui aquam deſtillant, & pro epileptico arcano tenent; Ungula tandem vel externè adhibetur, vel internè, tamen præparata; Exter-

nè

nè in Epilepſia valet pro uſu Amuletico ut docet *Luc. Tozzius.* Quæritur autem qua ratione in epilepſia faciat, & reſpondet *Ettmulerus*, non tantùm agere ob vim abſorbendi acidum, ſed & per aliam ſecretiorem cauſam; Alces enim eſt beſtia admodum meticuloſa & à ſtrepitu etiam arboris in fugam pellitur; hic autem metus in totum corpus transfertur, & primò in ungulas & quidem poſteriores unde vis hæc dependet; eligenda autem eſt ungula pedis dextri poſterioris, nec dubito quin omnium expectationi, tam ſæpius per experientiam probata ſit reſponſura. Præparatur verò lege communi hæc ungula, & inde paratur magiſterium cum aceto, vel cum ſpiritu nitri abſtrahendo, non præcipitando cum oleo tartari, quod præſtantius erit; eleganter etiam ex Cornu Alcis per ſpiritum Vitrioli, poſt mediocrem iſtius abſtractionem copioſa aquæ affuſione præcipitando paratur, ſed hoc potius ad alterandum, & adſtringendum adhibetur, quam ad ſudores movendos, ut ait *Frid. Hoffmannus loc. cit.*

CAPUT III.

De Apro.

APER, porcellus, ſeù verres ſilvaticus, glandibus, caſtaneis, & ſimilibus veſcitur, coit initio hyemis, & vere parit: de hoc animali in uſum medicum veniunt dentes, ſpuma, ſanguis, genitalia, fel, adeps, ſtercus, cerebrum, hepar, veſica, urina, coagulum.

Dentes contra pleuritides, & inflammationes omnes internas optimi ſunt ad ℨ. j. in pulvere propinati, coagulatum ſanguinem ſolvunt, acidum abſorbent, quo abſorpto ſudor ſequitur; Dens Apri deſtillatur à multis, qui dat ſal volatile unde elegans *Schröderus* ex eo magiſterium parat ſolvendo cum aceto deſtillato, & præcipitando cum ſpiritu vitrioli vel oleo tartari, quod tamen magiſterium nihili facit *Ettmullerus.* Paratur etiam ex dente hoc Gelatina, ut Gelatina Cornu Cervi & in pleu-

 ritide

ritide eſt remedium egregium ; externè autem Apri dens collo puerorum appoſitus ortum dentium accelerat ; de quo *Venturinus.*

Spumam Apri coctam in vino, & exibitam vomitum ſedare ait *Sextus Placitus.*

Ex ſanguine iſtius animalis ſunt qui aquam cum plantis refrigerantibus, & humectantibus deſtillant, & pro atrophia tollenda commendant, vid. *Harttmannus in Prax.* & *Sperling. Zoolog.*

Genitalia contra epilepſiam ſumpta valent, & ad veneris impotentiam, ac prolificationem faciunt, Fel ſtrumas ſanat illitum, Venerem ſtimulat, & bullitum in cortice mali punici inſtillatum aurium dolores ſedat ; Adeps inſervit pro unguento Armario conficiendo, commendatur ad leniendos laterum dolores, ac rejectiones ſanguinis ſiſtendas.

Stercus Apri cum aceto ſolutum, eryſipelata, & renum dolores ſanat impoſitum ; aridum autem, ac pulverizatum cum vino bibitum dyſenteriam curat. Cerebrum coctum, & cum vino exibitum ſedat dolores, atque in ſerpentum morſibus prodeſt.

Hepar manducatum quacunque forma, morſibus venenatis obſtare ſcribit *Dioſcorides*, quin cum vino potum alvum ſiſtere docet *Sextus Placitus.* Veſica aſſata, & manducata tollit incontinentiam urinæ ſi *Aëtio* credimus. Urina comminuit veſicæ calculos ſumpta, aurium dolores inſtillata mitigat, & cum oxymelle bibita epilepſiam fugat. Coagulum tandem hujus animalis bibitum facit ad omnia mortifera, & eſt velut Theriaca, de quo vid. *lib. cui titul. Kyranis eſt.*

CAPUT IV.

De Aſino.

Asinus animal eſt omnibus notum, pigrum, melancholicum, cujus multæ partes ad medicinam faciunt, nempe

Corium

Corium cum pilis, ungula, ſanguis, lac, urina; ſtercus, adeps, caro, pulmo; jecur, ſplen, fel, oſſa, auris dextra & ſordes aurium.

Corium cum pilis ſupra pueros impoſitum eos prohibere à timoribus aſſerit *Hoffmannus.* Ungula in epilepſia ungulæ Alcis vicaria putatur, in ſuffitu facit ad fœtus mortuos eliminandos, pulverizata, & ſumpta à muliere lactante lac multiplicabit ſi *Matthiolo* credimus; *Aſini* ungula pulverizata, & cum oleo mixta ad curandos perniunculos utitur *Al. Venturinus.* Quin ex hac *Pithagoras* annulos conſtrui curavit ad arcendam epilepſiam; Sanguis potus ad guttas quatuor, vel quinque, cum vino febres tollit continuas, impoſitus ſiſtit hæmorrahgias ab auribus emanantes, bibitus à quartana liberat; *vid. citat. Venturinum.* Hinc in Aſelli ſanguine ſingulare invenit ſecretum contra maniam *Joh. Michaelis*, & ſumma cum euphoria hoc adhibuit ad multos ſanandos maniacos *Frid. Hoffmannus* quin & *Etmullerus* verno tempore ſanguinem ab aure Aſini recipit in linteum novum, & exſiccat in camino, ut de ſpiritu, ſeù ſale volatili lignorum participet, magiſque ſudorificus ſit, hunc aſſervat per integrum annum citrà virium debilitatem, ſub uſu inde recipit hujus lintei fruſtulum, injicit in aqua deſtillata hyperici, & fœniculi, quoad uſque ſanguis extrahatur, dein bibat æger quod pro ſummo ſpecifico contrà maniam commendat.

Lac nutrit, & abſtergit, ideòque phthiſim ſanat, prodeſt in Lithiaſi, Arthritide, & morbis ventriculi, atque menſes ciet; Lac Aſinæ in ore detentum mitigare gingivarum dolores aliqui notant; Vermes necare, venenis obſtare in gutturis apoſtematibus prodeſſe, ventremque laxare docent alii; quia verò Aſinus eſt beſtia ſana, & longæva, ideo lac ejus præ cæteris ſalubrius eſt; modus autem utendi erit; ut præmiſſis præmittendis æger cibis dulcioribus per quatuor dies nutriatur, poſtea tempore matutino ab ℥. vi. ad xii. propinetur lac Aſinæ tepidum, cui uncia una ſacchari addi poteſt, ne tam facilè coaguletur; hinc tempore veſpertino tribus horis ante cænam eodem modo, & eadem doſi exhibeatur; cibus interea dulcis ſit, & minus acidus. Externè quoque lac A-

ſinæ gingivas ſtabilit, podagricos dolores compeſcit, & faciei gratum conciliat colorem.

Urina Aſini externè adhibita ad caput abluendum à Porrigine liberat, ſcabiem ejicit, & verrucis, callis, atrophiæ, podagræ medetur, vide *Schröderi Pharmac.* Internè verò in Renum, & Veſicæ morbis peculiariter juvat; bibita calida adhuc phreniticos ſanat monente *Dioſcoride*; quin bibitam ſanare eos, qui calcem aſſumpſere, ſcribit *Job Ketan.* necnon in uvula relaxata prodeſſe notat *Apollonius.* Stercus Aſini externè adhibitum ad modum emplaſtri, ſanguinis hæmorrhagias ſiſtit; internè verò pulverizatum, ac bibitum cum vino. *Dioſcorides* adhibet ad ſcorpionum ictus ſanandos; hinc talem adhibendi ſtercus Aſini formam dat *Ettmullerus in Schröder. Dilucid.* quæ ad omnes ſiſtendas hæmorrhagias valet ℞. ſtercoris Aſini expreſſi ℥. j. ß ſyrupi myrtini aquæ Plantaginis; ana. ℥. ß. Miſce & detur ægroto inſcio. Sunt etiam qui ſyrupum, ex ſtercore Aſini parant, quo utitur *Prævotius in med. Pauper.* & *Schombor. M. M.*

Adeps concolores cicatrices reddit, & pilos facit creſcentes.

Caro Aſini cocta, & manducata phthiſicis prodeſt, & pulverizata perniones ſanat de quo *Avicenna*; Pulmonis Aſini pulverem domi detentum ſerpentes fugare ſcribit *Plinius*, & bibitum in vino albo tuſſi mederi docet *Hali.* Jecur aſſatum jejuno ſtomacho ſumptum valere in epilepſia narrat *Dioſcorides.* Splen. Aſini aſſatum & pulverizatum, & cum vino generoſo ſumptum Lienis durities diſſolvit & lactis magnam copiam gignit referente *Galeno.* Fel Aſini eryſipelata tollit, & porros Ani evellit applicatum. Oſſium decoctionem bibitam contra venena facere ait *Plinius.*

Ex anteriori parte dextræ auriculæ ſi philacterium fecerit Medicus, dederit portandum mulieri ſanguinis fluxum patienti eadem die ſanabitur hoc confirmante *Auctore libri cui titulus Kyranis eſt.* Aurium ſordes demum temporibus illitas ſomnum conciliare docet *Frid Hoffmannus.*

CAPUT

CAPUT V.

De Bove, & Vacca.

BOs, & Vacca animalia notiſſima ſunt, vitam ad Annos 21. producentia, ex quibus à medicina ſequentes adhibentur partes; Cornu, fel, jecur, ſplen, ſanguis, medulla, adeps, lapilli, lac, butyrum, caſeus, priapus, oſſa, ubera, inteſtina, & lingua.

Cornu epilepſiæ medetur; in ſuffitu ad corrigendum aërem contagioſum adhibetur, quin & cinerem ex Vaccæ cornu confectum naribus inſufflatum hæmorrhagias ſiſtere docet *Rhaſes*; Fel Bubulum, vel taurinum, tam internè quam externè adhibetur; Internè in Clyſteribus proritat alvum contumacem; externè adhuc tepidum Lienis regioni impoſitum levamen afferre ſpleneticis narrant multi, umbilico illinitur contrà lumbricos; Ulceribus, ac doloribus aurium medetur, & hæmorrhoïdas aperit applicitum. Ex felle Bovum aquam deſtillat *Ettmullerus* quæ cicatrices oculorum delet, & acrimonia ſua volatili viſum clarificat.

Jecur Bovis aſſatum, & pulverizatum cum vino generoſo potum ſanguinis fluxum prohibet, & in Hepate roborando eſt efficax.

Splen adhibetur contrà menſium ſupreſſionem; Lienis durities tollit; *Crollius* ex ſplene bovino eſſentiam conſtruit, cujus deſcriptio apud *Schröderum* & *D. Michaël.* eſſentiam ſpleneticam compoſitam parat, & cum martis eſſentia mixtam ad menſium fluxum nimium ſupprimendum exhibet. Sanguis ſiccatus, & in pulverem redactus vulneribus impoſitus ſanguinem ſiſtit, intrinſecè adhibitus ſingularem fert opem in dyſenteria, & extrinſecè emollit tumores, faciei maculas abſtergit, & verrucas tollit. Medulla nervorum indurationi medetur, & trementia membra reficit. Adeps Bovis ſpecialiter uſurpatur ad inteſtinorum mordicationem, & teneſmum ſiroſis affectibus medetur. Ungula in ſuffumigio arcet aërem malignum; in cinerem reda-

ѐta, & intus ſumpta copiam lactis præbet, & omni veneno reſiſtit; Ungulæ autem fragmenta frixa, & ſumpta dyſenteriam ſanant; cavendum tamen ne beſtia ſit laſciva, ſi enim laſciviat tunc ejus ungula dyſentericis putatur lethalis à *Frid. Hoffmanno.*

Urina dolores aurium lenit, cum myrrha inſtillata ſanat comitialem morbum, unde ruſticus quidam apud *Libavium* filiam epilepticam lotio vaccino curavit; ex urina Vaccæ ſuffumigium ad pudenda parat *Laur. Hoffmannus* quod præſervat prægnantes ab abortu; Stercus adhibetur in aduſtionibus, inflammationibus, veſparum morſibus, & hydropicis in forma cataplaſmatis, quod etiam cataplaſma cum melle urinæ difficultati conferre docet *Avicenna*; ſuffumigatum ſub ſella patientis ſtercus vaccinum ob ſingularem ſuam vim anodynam commendat *Ettmullerus* ad partum accelerandum, & ipſum locis ambuſtis impoſitum optimum eſſe remedium advertit. Ex hoc aqua deſtillatur, quæ non ſolum coſmetica eſt, ſed in calculo prodeſt, & in infantum torminibus, intus ſumpta; & ſæpè ſtercus hoc gratum ſervat odorem; vid. *Dan. Horſtii diſpenſ. Chym.*

Lapilli alii inveniuntur in ventriculo, aliique in cyſtide fellea; qui in ventriculo reperiuntur, ictero; & calculo medentur, ſi *Quercetano* fides habetur; In Provincia *Xantung* ex Vaccarum ventriculo educitur lapillus coloris lutæi ſi *Frid. Hoffmanno* credimus, qui ovum Anſerinum in magnitudide æquat, bezoartico præſtantioris virtutis à Medicis putatus ex terreſtri ſubſtantia non compoſitus, ſed ex minutiſſimis herbarum fibris. Vid. *Chin. illuſtrat. pag.* 206. qui verò inveniuntur in felle, ex ſale volatili alcalino, ab acido coagulato conſtantes multi ſunt uſus in calculis frangendis; cum aceto ſumpti ad ſanguinem congrumatum diſſolvendum faciunt, & in ſcorbuto curando egregii ſunt; de generatione verò iſtorum lapidum felleorum videatur *Wormius in Muſæo.*

In lacte tria ſunt notanda, primò generatio mirabilis ex gramine, & fœno, ſecundò triplices diſtinctæ ejus partes, & tertiò uſus; quoad primum lac eſt ſubſtantia pinguis, butyroſa, & oleoſa, unde mirum, qua ratione ex fœno tam elegans poſſit generari liquor, hincque apparet quantum valeat prima digeſtio;

quoad

quoad ſecundum prima ſubſtantia eſt butyroſa, oleoſa, & ſulphurea, ſecunda caſeoſa, & ſalina, & tertia vehiculum iſtorum eſt ſerum nitroſum; quoad uſum lac in genere eſt optimum alimentum, dulce, & nutritivum, hinc contra Tabem; inteſtinorum eroſionem, renum ulcera, veſicæ dolores, diarrhœas, teneſmum nihil meliùs eſt quam hoc lac potum; Butyrum maiale oculorum hebetudini prodeſt, dolores artuum lenit; advertit tamen *Frid. Hoffmannus* ejus uſum prægnantibus, & hyſtericis noxium eſſe. Caſeus recens dolores podagricos lenit, hepatis æſtum mitigat, & exomphalo infantum ſuccurrit impoſitus. Priapus Tauri tritus, & exhibitus dyſentericis prodeſt, nec non colicos dolores mitigat. Oſſa ad roboranda viſcera, & ad arcendam epilepſiam à *Schrödero* adhibentur, quin, & oſſa Vaccæ pulverizata ad ſanguinis fluxum cohibendum exhibet *Avicenna cum Maroldo Pract. M.*

Ubera Vaccæ juvenculæ cocta, indurata, & pulverizata, lac provocare dicitur à multis ſumpta; Inteſtina Bovis ſiccata, & pulverizata in vino, aut in cibis exhibita, quamlibet alvi fluxionem ſiſtere ait *Aëtius*. Lingua tandem Vaccæ ſiccata, & pulverizata mulieri lacte carenti propinata, lactis generationem promovet, vid. *Alex. Venturinum.*

CAPUT VI.

De Bubulo.

BUBULUS eſt animal Bovis figuram & naturam imitans, majus tamen, & crudelius, colore nigrum, cujus multæ ad medicinam partes ſunt facientes, videlicet cornua, ungulæ, coagulum, adeps, hepar, lac, urina, ſtercus, & vulva.

Cornua, & ungulæ ſpaſmo medentur, ſi annulus exinde factus digitis manus geſtetur. Coagulum humores ſanare ſcribit *Dioſcorides*, contra potum cicutæ facere advertit *Schröderus* & tandem ad ſanguinem coagulatum ſolvendum adhiberi poſſe teſtatur *Venturinus*. Adeps Bubuli in vulnerum tumoribus, &

ſciatica à multis commendatur. Ex hepate conficitur extractum miræ efficaciæ ad nonnullos tollendos affectus cujus deſcriptio videatur apud *Crollium*, *Hartmannum & Beguinum.* Lac cum nitro, & aceto ad hemicraniam fugandam fronti applicat *Plinius*, aliique auribus imponunt ad auditum recuperandum. Urina dolores mitigat articulares; & aurium morbis medetur inſtillata.

Stercus maximè facere ad ſciaticæ curam impoſitum docet *Schröderus*; in Apum, Veſparumque ictibus prodeſſe tradit *Aëtius*; & cum aceto in formam emplaſtri ad Podagram ſanandam, arcanum eximium eſſe notat *Plinius.* Uulva demum bubulina exſiccata, quia moſchi odorem ſpirat adhibetur in unguentis à nonnullis Pharmacopolis de quo vid. *Bartholinus in Epiſt. med. & Rolfincius.*

CAPUT VII.

De Buſone.

BUFO animal notum eſt, terreſtre, inter venenata primum tenens locum, & ſequentes dat partes medicinæ, nempè corpus totum, lapidem, ſperma, & jecur; etſi itaque animal hoc ſit deterrimum, ac venenoſum tamen intrinſecè, & extrinſecè prodeſt, internè enim pulvere proprio lymphas hydropicorum per urinas educit, de quo *Wierus*, & *M. Donatus*; Sal quod nonnulli ex buſone combuſto extrahere tentant ſpem omnem eorum eludit, nullum enim ſal fixum ex animalibus combuſtis parari poteſt, ut ait *Frid. Hoffmannus.* Sed ſalia volatilia per deſtillationem, ſumma ignis vi ſaltem inde evocari poſſunt, ideòque quæ de ſale buſonum dicuntur, de illorum pulvere exſiccato eſt intelligendum, vid. *Pet. Joh. Faber*, *Helmontius de Peſte*, *& Kircherus.* Extrinſecè in aceto maceratus imponitur buſo ad eliciendum venenum, ad ſananda putrida ulcera, ad malignitatem peſtilentialem arcendam, ad hæmorrhagiam narium ſiſtendam, umbilico alligatus ad fluxus hyſteri-

cos

cos inhibendos, atque plantis pedum imponitur à *Schrödero* ad ſebres, phrenitides, cordiſque morbos debellandos. Contra Scrophulas coquit bufones in oleo olivarum & applicat *Borellus*; emplaſtrum parat *Cnœffelius* ex bufone pro angina cujus deſcriptio eſt apud *Hoffmannum.* Ceratum bufonis alii componunt ad urinæ incontinentiam curandam, cujus formula eſt ſequens. ℞. bufonum lib. j. olei olivarum lib. *ß.* ceræ, ℥. iij. bulliant, in olla ad medietatem conſumptionis, & fiat Ceratum quod extendatur ſupra alutam regioni renum applicandum.

Lapis bufonis gemma eſt bullæ inſtar altera parte cava, altera convexa, coloris viridis melior eſt; hunc lapidem multi negant inter quos *Ettmullerus*, qui ait merum figmentum, & mendacium eſſe, credit enim ipſe hunc lapidem ſubſtantiam eſſe teſtaceam, ſeù cranium bufonis; *Olaus Wormius* putat inſtar fungi in ſaxis naſci; *Boëtius* hunc omninò oriri negat in bufonibus; Concedentes autem hunc lapidem dicunt iſtum geſtatum à venenis præſervare, virus à venenatis morſibus elicere, & omnes hæmorrhagias ſiſtere; vid. *Encelius*, *Saracenus de Peſte*, & *Libavius.*

Sperma bufoni tympaniticis applicatur à *Schrödero.* Jecur demum hujus animalis cancro ulcerato impoſitum, nonnulli tanquam ſummum commendant arcanum, vid. *Venturinum in Arcan. Animal. Cap. de Bufone.*

De bufone plura curioſis dabit, & eruditè *Chriſt. Franciſc. Paulinus in ſuo Bufone Curioſo.*

CAPUT VIII.

De Cane.

CANIS notiſſimum animal eſt, quod ſequentes dat partes medicinæ, quæ ſunt caput, adeps, cerebrum, cor, hepar, fel, ſanguis, lac, caro, lien, aurium cerumen, ſtercus, urina, dens, pellis, & pili.

Catulus autem primò ventri impoſitus colicos dolores mitigat, & de hoc notandæ ſunt obſervationes *Borelli*, qui catellos podagricorum pedibus non ſine felici eventu impoſuit; Ex catellis parvis adhuc vivis deſtillant nonnulli aquam, quæ magnum præſtat levamen illinita podagricis partibus, quin ex catulis balſamum ad reſolvenda contracta membra componit *Schröderus*. Caput Canis rabidi coctum cum vino morbum regium curat ſi *Sexto Placito* credimus. Adeps vulneribus confert; ob ſuam vim vulnerariam, & ob ſuum ſal volatile in exulceratis pulmonibus curandis valet; externè autem in podagra, hydrope, auriumque dolore ſedando juvat, lendines capitis arçet, ac ſcabiem corrigit, vid. *Corteſius Zwelferus & Ephemerid. Germ. An.* 3.

Cerebrum in maniacorum cura extollitur à *D. Joh. Michael.*; idemque oſſium fracturis applicat cum fructu *Hollerius*.

Cor canis pulverizatum cum vino ſumptum epilepſiæ medetur.

Hepar adhibetur ab *Avicenna* exhibitum in canis rabidi morſibus ſanandis. Fel catuli cum aceto potum epilepſiam curat, & hoc remedium in Anglia uſitatiſſimum eſt; vid. *Dolæus*. Sanguis canis bibitus à membrorum tremore liberat monente *Æſculapio*, ac contra morſum rabidæ beſtiæ valet. Lac epilepticis pueris exhibetur à multis, & parturientibus propinatur à *Venturino*, Lac catulæ bibitum capillos auget, in aures immiſſum ſedat dolores; ac oculis impoſitum ſuffuſiones tollit, videatur *Plinius*.

Caro cocta, & manducata manuum tremorem arcet. Lien canis extrà impoſitus lienis durities delet, ac annihilat. Aurium cerumen adhibet *Archytas* ad ſanandas quartanas febres.

Stercus honeſto nomine, album græcum dicitur, & varias habet virtutes; multo enim ſale armoniacali gaudet, valet in colica, & dyſenteria internè adhibitum ſi *Zacuto Luſitano* fides habetur. Ictericos, & epilepticos in convenienti potu datum ſanat, & vulnerarium eſt inſigne, unde potiones vulnerarias ingreditur; externè etiam anginæ medetur, tumores emollit emplaſtrizatum, quod etiam *Galeni* temporibus uſitatum

tum erat; cum terebinthina impoſitum canis ſtercus curat hæmorrhoidas, vid. *lib. cui tit. Kyranis eſt.* Urina furfures abſtergit, verucas abigit dictante *Schrödero*; Dens pulverizatus cum butyro illitus puerorum dentitionem facilitat, ac odontalgiam ſanat, vid. *Pet. Hiſpanus, ac Rhaſes.* Pellis applicatur extrinſecè ad nervos contractos emolliendos. Pili denique impoſiti canis morſibus medentur, de quibus optimè *Joſeph. Falconius, & Chriſt. Franc. Paulin. in Cynograph. curioſ.*

CAPUT IX.

De Capro, & Capra.

CAPER maſculus Hircus dicitur, Capra fœmina eſt, & capella nuncupatur; animal eſt alacre omnibus notum, & auditu acuto pollet, à quo medicina deſumit cornua, coagulum, ſanguinem: jecur; lienem, carnem, ſevum, lac, ſerum, lapillos, ſtercus, urinam, veſicam, omentum, fellis veſiculam, teſtes, pilos, & ungulas.

Cornu enim Capri utitur medicina in ſuffumigiis ad Veternoſos excitandos, & ejus pulverem adhibet ad ſtabiliendos, ac dealbandos dentes. Coagulum hirci cum ſucco plantaginis ſanat diarrhœas, ac menſes nimios ſiſtit, epilepticis convenit, & mammarum duritiem diſſolvit. Sanguis dyſentericis prodeſt, calculos frangit, unde aliqui hunc ſanguinem adamantes rumpere dicunt; *Helmontius* in Pleuritide optimum eſſe ſcribit, cui ſe aſſociat *Zwelferus*; Præparatur ex ſanguine hircino ſpiritus, oleum, & ſal volatile, de quibus apud *Schröder. Pharmacop.* Jecur coctum, & manducatum viſum corroborat unde in collyriis adhibetur ab *Avicenna.*

Lien capræ deligatur ſuper ſitum lienis obſtructi, & obſtructiones tollere docet *Pet. Hiſpanus in Theſaur. Pauper. cum Dioſcoride.*

Capræ carnem ſæpè comeſam viſionem acuere tradit *Venturinus.*

Sevum hircinum podagræ opitulatur, hæmorrhoidum doloribus medetur, ac nervis contractis prodeſt. Lac phthiſicis convenit, anginæ dolores mitigat, cantharidum veneno obſtat, & in clyſteribus vermes necat. Serum intus ſumptum in ſcorbuto eſt optimum, imo & in leucophlegmatia prodeſt, ſcabioſos juvat ob turgentiam nitri ſui volatilioris; adhibeatur autem modo, quo utitur *Frid. Hoffman. com. in Schröd.* Lapilli in ventriculo, ac cyſtide fellea caprarum reperti ſumma vi pollent diaphoretica.

Stercus emplaſtrizatum cum urina pueri ad ſanandam porriginem facit, apoſtemata mammarum impoſitum ſanat, durities genitalium, & ſplenis tollit, podagram fugat, tumores annihilat, colicam mitigat, & dyſuriam arcet. Urina calida epota calculos frangit, menſes provocat, in hydrope convenit deſtillata.

Veſicam exſiccatam, & pulverizatam ad ʒ. j. exhibitam urinæ incontinentiam curare nonnulli volunt. Omentum feroces ſpiritus mites reddit, ac efferatos compeſcit, calidè impoſitum prodeſt in colica, ac mania. Fel hirci viſionem acuit, oculis appoſitum, febremque quotidianam ejicit in cataplaſmate redactum, & ventri impoſitum, vid. *Petr. Hiſpanus & Rhenani Chim.*

Teſtes cocti, & manducati mictum nimium cohibent. Pilorum cinis hæmorrhagias ſiſtit, & ex pilis ſuffumigium in inguinum doloribus ſanandis aliqui parant. Ungulæ tandem pulverizatæ venenatas ejiciunt beſtias, ac cum oleo communi mixtæ diſſolvunt ſtrumas; vid. *Venturinum.*

C A P U T X.

De Rupi-Capra.

RUPI-Capra animal ſylveſtre eſt, figura domeſticis capris ſimile, in Alpibus morari gaudet, unde in copia ſunt iſtæ capræ in Alpibus Epiſcopatus Saliſburgenſis, ex quibus medicina

medicina ſequentes in uſus habet partes, quæ ſunt ſanguis, ſevum, jecur, fel, ſtercus, & lapis. Sanguis bibitus recenter à Rupicapra extractus, Vertigini medetur. Sevum phthiſicis confert. Jecur diarrhoeas ſiſtit pulverizatum, ac ſumptum in vehiculo convenienti. Fel thymos circa præputium ejicit, oculorum nubeculam impoſitum delet, ac emplaſtrizatum ſummum coſmeticum eſt; vid. *Annotat. in Piſanel.* Stercus pulverizatum, & ſumptum calculum expellit, ac ictèritiam fugat. Lapis demum, qui in ventriculo hujus animalis reperitur nihil aliud eſt, quam maſſa cute coriacea nigra ſplendente rugoſa obducta conſtans ex herbarum depaſtarum fibris, ponderе levis, odore grata, de quo lapide optime *Welſchius in peculiari tractatu:* Dicitur Bezoar germanicum à multis, quia pulverizatus cum vino ſumptus alacritatem animo præbet, partum accelerat, menſes ciet colicos dolores ſedat; febres malignas cum aquis cordialibus exhibitus arcet, adverſus venena maximè facit, Peſti medetur, & dyſenteriam ſanat, cujus doſis eſt gr. xv. ad xx.

CAPUT XI.

De Capri - Cerva Orientali.

CAPRI Cerva animal eſt Perſiæ, ac Indiæ Orientalis partim Cervo, partim Capræ ſimile ex cujus ventriculo habetur bezoar Orientale magni faciendum in medicina, cujus pulvis de multo ſale alcalino participat, & exhibitus ad gr. x. venenis reſiſtit, ſudores ciet, utilitatem affert in malignis febribus, colica, dyſenteria, ictero, vermibus, calculo, peſte, ac difficili partu; De genuitate hujus lapidis vid. *Schröderus Ettmullerus. Bauhinus Zwelferus Hoffmannus* & alii.

Cornua quoque hujus animalis in uſum medicum veniunt ob ſuam balſamicam vim, ac ſalis volatilis copiam, undè rejectis lapidibus utitur tantum cornu ad dictos debellandos affectus

tus *Jo. Dan. Major.*, Ego autem, & Cornu, & lapide uterer; virtute magnas, & in cornu, & in lapide concedens.

CAPUT XII.

De Capri - Cerva Occidentali.

Occidentalis Capri-Cerva animal eſt Capri-Cervæ Orientali ſimile ſed cornibus orbum, ex cujus ventriculo ſumuntur lapilli eaſdem habentes virtutes, ac orientales, prætérquam quod alvum nonnihil movent. Doſis tamen major eſt doſe Orientalis nimirum Bezoar Orientalis Doſis eſt à gr. iij. ad xij. Occidentalis autem Bezoar doſis eſt à gr. x. ad xx. uſque.

CAPUT XIII.

De Capreolo.

Capreolus animal eſt corporis Cervi figuram referens, parvula habens cornua, timidum; alacre, & noctu etiam viſu pollens, cujus ſequentes partes medicinæ inſerviunt, nimirum caro, coagulum, jecur, cerebrum, fel, lien, ſtercus, & adeps.

Caro cocta, & manducata diarrhœas, ac dyſenterias ſanat. Coagulum bibitum ab aquæ timoribus præſervat, ac externè labiorum ulcerationi medetur. Jecur manducatum oculorum aciem reficit. Cerebrum capreoli timores puerorum fugat ſumptum, *vide Venturinum.* Fel maculas faciei abſtergit, oculorum nubeculas delet, ac penis ulcuſcula ſanat, ſi *Serapioni* eſt habenda fides. Lien mirabilem parit effectum in ventris doloribus ſedandis, pulverizatus, ac bibitus cum vino generoſo. Stercus pulveriſatum & potum cum vino ictero medetur monente *Schrödero.* Adeps denique oculorum dolores tollit illinitus de quo *Alex. Venturinus.*

CA-

CAPUT XIV.

De Caſtore.

CAstor animal amphibium eſt, à quo medicina pro uſu accipit, Axungiam, Caſtoreum, & pellem.

Axungia in nervorum affectibus prodeſt, ideòque membris reſolutis, convulſis, epilepſiæ, apoplexiæ, Paralyſi, medetur.

Caſtoreum non eſt, ut nonnulli putant Caſtoris teſticulus, ſed eſt veſicula liquore oleoſo plena, pingui, & ſale volatili imprægnato, ſimiliſque liquor ſanè non invenitur in regno animali ſi *Ettmullero* credimus; hujus vis fundatur in ſale volatili admodùm oleoſo, & penetranti, unde ad affectus nervorum valet, idcircò in apoplexia, lethargo, epilepſia, ſtrangulatione uteri, convulſionibus &c. curandis præſtat externè, & internè adhibitum; Ex hoc nonnulli oleum, & extractum eliciunt, de quo vide *Pharmaciam Schröderianam & Diſpenſatorium Auguſtanum.* Paratur quoque eſſentia de qua apud *Mich. Ettmuller. in Schröder. dilucid. & Sperling.*

Pellis denique impoſita fert opem podagricis, ac Paralyticis; De Caſtore autem plura dabit curioſis *Olaus Wormius in ſuo Muſæo.*

CAPUT XV.

De Cato Zibetino.

CAtus Zibetinus animal peregrinum eſt, ex quo Zibetum concretum in veſica inter teſtes medicina depromit; Mas varii eſt coloris plerumque tamen cinerei, ſubnigris diſtinctus virgis; Fœmina eſt albidior mare, & ad colorem flavum tendit; Hoc animal oritur in multis Indiæ Orientalis, ac Occidentalis partibus, & in Regno Peruano magna copia horum

animalium invenitur. A tali excremento hoc animal maxime vexari ait *Frid. Hoffmannus* cùm ex intimis corporis partibus ad emunctoria prorumpat, & ſudoris inſtar ſub axillis præcipuè & loculis intra clunes ſitis colligatur non procul à membro genitali; vid. *Franc. Hernandez.*

Zibetum calidum, ac humidum eſt, atque anodynum, externè ſæpè uſurpatur, rarò autem internè; convenit in colica umbilico inunctum, ſtrangulationem ab utero tollit vulvæ applicatum ex hoc cum Ambra, & Moſcho aqua paratur eximiæ virtutis de qua in *Theſauro Pharmaceut. Hoffmanni.* Sunt, qui pro exercitio venereo roborando hoc laudant, imò ſunt qui zibetum cum balſamo apoplectico glandi penis illitum pro fœcundatione commendant, referente *Mich. Ettmullero.*

Pellis ventris Cati zibetini eſt ſaluberrima in omnibus frigidis affectibus ventriculum enim roborat, ſi ipſi impoſita geſtetur

Nigritæ, & Mauri carne hujus animalis veſcuntur licet peſſimi odoris, & ad venerem præſtare maximum ſtimulum fatentur. De hoc animali autem plura dabunt *Caſtel. de Hyæna Odorif. Th. Bartholin. cent. 4. hiſtor. prima, Fab. Columna ad Joh. Fab. Lyncæum in Epiſtol.* aliique plures.

CAPUT XVI.

De Cervo.

CERVUS animal eſt vivaciſſimum ad 100. vivens annos; velociſſimum, è quo medicina ad uſus varios accipit cornua, corium, os de corde, cor, genitale, teſtes, pulmones, ſanguinem, lachrymas, medullam, ſevum, lapidem, ungulam, coagulum, urinam, & ſtercus.

Cornua cruda, & pulverizata multo ſale volatili pollent; malignitatem corrigunt, ſudores cient, humanum balſamum corroborant, in variolis, epilepſia, febribus proſunt; ut

melius

melius agant nonnulli ea urunt, & cum aquis cordialibus præparant; quod Cornu Cervi uſtum *Zwelferus* ceù inutile planè rejicit, quia omni virtute eſt caſtratum, & in terram mortuam redactum Ego vero cum *Joh. Michael. Horſtio*, *Rolſincio*, *Hoffmanno* eum convenientiſſimum eſſe cogito experientia edoctus, Cornu Cervi uſtum ebullitionem humorum ſedare, diarrhœam compeſcere, vermes necare, & licet particulæ ſalinæ cum ſulphureis videantur deſtructæ, tamen nihil obſtat, alia enim eſt ignis, alia archei ſtomachici operatio cum remedii adaptatione quam nullus intellectus humanus ſatis aſſequi poteſt; Quidam magiſterium conſtruunt ex Cornu Cervi de quo *Schröder.* Alii Gelatinam, ac unguentum de quibus in *meis Animadverſ.* Alii extractum, ac ſpiritum conflant de quibus optimè *Meſſ. med. Spagyr. pag.* 598. *&* *Le Mort Chym.*

Cur autem Cervus cornua deponat, variæ Auctorum ſunt ſententiæ; *Voſſius*, cauſam putat cornuum contiguitatem cranio, non continuitatem, dum cuti dumtaxat adhærent, *Helmontius* rationem aſſignat quod cornua iſta partim de materia ſint oſſea, partim de lignea & propterea ſpinas, & ramulos æmulari, & annuatim decidere ob proprietatem frondium; ob nimiam duritiem putat *Zwelfer.* cornua à Cervis deponi, quæ prohibeat quò minus pro alimento ipſorum copioſe affluens ſanguis diſpergi, ac circulari poſſit, ex ſanguine circa brumam collecto vermiculos tractu temporis enaſci. qui erodendo pruritum excitent, donec Cervi concitati cornua arboribus affricent, & tandem decidere faciant; taleſque vermes obſervavit *Ariſtotel. lib.* 2. *hiſt. Anim.* cum *Plinio*, viditque *Conrard. Heresbacchius in Comp. therapeut.*

Corium ſerpentes fugat delatum, ac ſuffocationem uterinam compeſcit.

Os de corde Cervi nihil aliud eſt quam tendines muſculorum cordis, qui ob ætatem in oſſeam degenerant ſubſtantiam; hoc à malignitate ſumptum tuetur, partum cuſtodit, palpitationes cordis fugat, & melancholiæ medetur; vid. *Frid. Hoffman. Clav. in Schröder.*

Ex corde aquam eliciunt nonnulli inter quos *Joh. Fortis*,

quæ vim ſummam cordis confortativam poſſidet. Priapus vim habet diureticam, venerem ſtimulat, colica correptis auxiliatur, dyſenterias fugat, & in pleuritide pulverizatus, & in aqua ſcabioſæ propinatus nihil eſt præſtantius. Teſticuli ſicci cum vino poti ad ſuſcitandam venerem valent, de qua re *Schwenckfeld.* Pulmo cervi ſiccatus, & pulverizatus cum melle quavis mane jejuno ſtomacho ſumptus tuſſim arcet monente *Plinio*; Sanguis cœliacorum profluvia ſiſtit, & eſt efficax contra toxica; ex hoc balſamus antipodagricus, ſal volatile & oleum conficiuntur de quibus *Joh. Schröder.*

Lachrymæ contra morbos venenatos valent, monente *Zacuto*, in difficultate partus proſunt confirmante *Horſtio*, licet *Ettmullerus* nullum eſſe harum uſum afferat. Medulla dolorem tollit parti impoſita, dentium dolores mitigat, & in ulceribus tibiarum laudatur à *Plinio.* Sevum Cervinum contuſionibus medetur dictante *Matthiolo*, curat convulſiones, perniones ſanat, tumores emollit, vulnera adſtringit, dolores ſedat, ac excoriationes ſuperficiales conſolidat impoſitum. Lapis in ventriculo Cervi inventus cum lapide Bezaar viribus ſuis convenit, componitur enim ex acido, & alcali urinoſo, ita tamen, ut alcali prævaleat, de quo legatur *Wedelius.* Ungula combuſta, & incinerata dentibus applicita odontalgiam curat; vid. *Venturin. in Secret. Animal.*

Coagulum Cervi potum menſes nimios ſiſtit monente *Dioſcoride.* Lac coagulatum ſolvit, ac fungorum veneno adverſatur, vid. *Haly.*

Urina denique impoſita auribus auditum amiſſum reſtituit & bibita renum dolores ſedat. Aqua è Typhis cervinis ob varias eminet virtutes de qua *Schröder.* Stercus contra hydropem valet, vid. *Plinius.*

CAPUT XVII.

De Cochlea.

COCHLEA notiſſimum animal eſt, ſequenteſque exhibet medicinæ ſui partes, ſcilicet teſtam, pinguedinem, ac mucum.

mucum. De hujus animalis ovis optimè ſcripſit *Ant. Felix Abbas Marſilius ad Malpighium.*

Cochlea externè adhibita coſmetica eſt, in formam emplaſtri prodeſt in diſcutiendis ſeroſis tumoribus, in conſolidandis vulneribus, herniis reſolvendis, hæmorrhagiis ſiſtendis; optima etiam eſt in aurium doloribus, Arthritide, occulorum inflammationibus; ac Hydrocephalo; Vid. *Venturin.* Internè autem aſſumpta Cochlea in Phthiſi commendatur, in colico fugando dolore, in ſcreatu ſanguineo, & in tuſſi fuganda: Ex cochleis præparatur aqua, quæ antiphtiſica exiſtimatur de qua *Mynſicht.*

Teſta pulverizata calculoſis, ac hydropicis cum bono fructu exhibetur, ac externè adhibita herniam inteſtinalem curat.

Pinguedo in elixato brodio ſupernatans oculorum rubedini medetur. Mucus glutinans eſt; & coſmeticus.

CAPUT XVIII.

De Cuniculo.

CUNICULUS animalculum eſt Leporini generis; fœcundum valdè, ex quò à medicina ſumitur axungia, & cerebrum necnon totum ejus corpus.

Axungia tumoribus, ac nervis induratis confert, perniones ſanat, impoſita. Cerebrum venenis reſiſtit monente *Schröder.*

Integer cuniculus exuſtus, faucium inflammationi medetur cum coſti folio impoſitus, ut docet *Hoffmannus in Schröder.*

CAPUT XIX.

De Elephanto.

ELEPHANTUS animal eſt rariſſimum placidum, ac docile, a quo medici ſumunt, narices, hepar, ſanginem, pilos,

 oſſa,

oſſa, adipem, denteſque. Narices ſi *Plinio* creditur ſolo tactu dolores capitis fugant. Hepar coctum, & manducatum epilepſiam curat. Cruor fluxiones ſiſtit rheumaticas. Pili in ſuffumigio venenoſa ejiciunt animalia. Oſſa pulverizata cum aqua plantaginis ſumpta dyſenteriæ medentur. Adipe ſi quis ſe ungat venenata animalia à ſe projicit monente *Avicenna*.

Dentes demum vulgò Ebur dicti, eiſdem cum Cornu Cervi pollent virtutibus præ cæteris tamen acidum valde attemperant, ac phlogoſes compeſcunt; Ex his ad modum Cornu Cervi paratur Gelatina, quæ maxime convenit contra abortum; iſti dentes habent vim alexipharmacam, ideòque necant vermes, humorum ferociam mitigant; ſal volatile obtinent, & oleum empyreumaticum ſi *Jac. Le Mort* credamus.

CAPUT XX.

De Equo.

EQUUS animal regale eſt, velox, omnibus notum, à quo ſumuntur pro uſu medico ſanguis, coagulum, lac, ſtercus, lichenes, teſtes, pinguedo, fel, oſſa, ungula, pili, ſaliva, dens, lapis, & ſudor.

Sanguis Equi admiſcetur ſepticis, ac cauſticis, & ob ſuum ſal volatile in caduco ejiciendo valet. Coagulum bibitum dyſenteriæ medetur, & durities viſcerum reſolvit impoſitum, vid. *Haly*. Lac Equæ phthiſicis utile, ac aſthmaticis putatur potum, ac in doloribus matricis fugandis exhibitum valet, vid. *Venturin*. Quin & ad variolarum eruptionem promovendam exhibetur à *Frid. Hoffmanno*.

Stercus internè contrà colicam, uteri ſtrangulationem, & pleuritidem adhibetur, hoc utuntur aliqui ad variolas expellendas, ac fœtum mortuum, quod præſtat ratione ſalis volatilis in eo contenti: Externè hæmorrhagias ſiſtit impoſitum, ſuffumigatum fœtum mortuum educit; & pulverizatum vulneribus prodeſt immiſſum; vid. *Paulin. in Cynographia curioſa.*

Lichenes

Lichenes ſunt excrementa calloſa in Equorum cruribus naſcentia, laudantur ad uterinas ſuffocationes; ex his extractum conficitur pro calculo; & epilepſia cum ſpiritu vini, vel alio appropriato ſpiritu de quo *Schröder.* Teſtes Equi exſiccati, & pulverizati exhibentur ab *Henrico ab Heer.* in difficili partu, & in doloribus colicis proſunt, vide *Mich. Ettmullerum.* Pinguedo luxationibus illinitur, renaſcentes facit pilos, & ſpaſmis medetur.

Fel edulcoratum in plumbeo vaſe, exhibitum quietem inducit, & cum melle illitum viſum acuit; vid. *Kyranis.* Oſſa pulverizata cum aceto emplaſtrizata podagram ſanant monente *Fideli.*

Ungula in ſuffitu fœtus mortuos expellit, ac pediculos fugat, frixa autem in butyro internè exhibita dyſenteriam arcet, ac ejus pulverem ſumptum calculos frangere ait *Plinius.* Pili cruoris fluxum cohibent. Saliva pota tuſſim ſanat, & phthiſes, ac verrucas tollit. Dens Equi pulverizatus dentes dealbat affricatus. Lapis *Hippolithus* à nonnullis dictus in ventriculo, aut inteſtinis inventus in virtute æmulatur Bezaar, de quo lapide Videatur *Jordan. & Phil. Jacob. Sachſ. Schroochius, & Bonet. in Med. ſeptentr. tom. 2.*

CAPUT XXI.

De Erinaceo.

ERINACEUS Animal eſt terreſtre quod hyeme in arborum cavernis occultatur, veſcens muribus, malis, juglandibus, & ſimilibus. Hujus partes Medicinæ inſervientes ſunt: Jecur, Axungia, Ventriculus, ac totum corpus ipſius.

Jecur exſiccatum cum oxymelle ſumptum renum vitiis auxilio eſt, Cachexiamque tollit. Videatur *Dioſcorides.* Axungia Herniis medetur, docente *Harttmanno.* Ex hac linimentum conſtruit *Ettmullerus* pro infantum Epilepſia curanda. Ventriculus aſſumptus dolores colicos curat, videatur *Schröder.* Erinaceus tandem

tandem totus coctus, & ſumptus diureticum arcanum eſt. Vid. *D. Michael. & Foreſtus l.* 21.

CAPUT XXII.

De Fele.

FELIS Animal notum eſt, viſu optimo præditum, ſequentes medicinæ præbens partes, ſcilicet Adipem, Sanguinem, Caput, Stercus, Pellem, Secundinam, & carnem.

Adeps certum eſt remedium in colica umbilico impoſitus. Cruor caducum curat, & herpetes fugat. Caput incineratum oculorum vitia corrigit inſufflatum vid. *Mizaldus.* Stercus cum aceto illitum Alopecias curat, & arcet podagram. Pellis fertur ad articulos contractos ſanandos. Secundina collo apenditur ad oculorum affectus. Caro hæmorrhoidibus impoſita dolores earum mitigat. v. *Haly.*

Nota Felem ſylveſtrem majoris eſſe efficaciæ ac ſit domeſticus.

CAPUT XXIII.

De Homine.

HOMO inter Animalia primum poſſidet locum, ex quo in Medicum uſum ſumuntur capilli, Ungues, Saliva, Aurium ſordes, Cranium, Dentes, Oſſa, Uſnea Cranii, Sudor, Lac, Menſtrua, Secundina, Urina, Stercus, Semen, Sanguis, Calculus, Pediculi, Membrana fœtus caput cingens, Lumbrici, Mumia, Teſtes, Umbilicus, Cerebrum, Cor, & Uterus.

Capilli enim primò ab homine vivo deſumpti cum aceto morſus canis, & cum vino capitis Vulnera ſanant, pulverizati ſanguinem ſiſtunt, ulcuſcula capitis fugant, ac cancrum impoſiti. Vid. *Plinius*, deſtillati dant phlegma, ſpiritum, oleum, ac

ac ſal volatile, idemque intelligendum eſt de pilis aliorum animalium, quæ omnia ad generandos capillos faciunt. Ungues vomitum movent ſumpti in infuſione lymphas hydropicorum educunt, ac curant podagram vid *Helvetius*, *Marc. Marci*, *&* *Henric. ab Heer.* Saliva ſpiritu acido-armoniacali, turget, coſmetica eſt contra morſum ſerpentis valet.

Notandum autem morſum hominis iracundi adeo eſſe venenoſum, ut inde ſuperveniat Gangræna monente *Hildano*, & hinc eſt quod *Helmontius* venena animalium in certo animi pathemate latere putat. Aurium cerumen vomitum movet. colicam ſedat aſſumptum, externa vulnera, ſcorpionum ictus, ac fiſſuras cutis ſanat.

Cranium hominis morte violenta interempti, calcinatum philoſophice cum aqua antiepileptica epilepſiam fugat ſumptum; ex hoc magiſterium, pulverem, extractum, oleum; ſal volatile, galreda, & eſſentia parantur pro epilepſia ejicienda, de quibus *Schröder*

Dentes pueri ſecum lati dolores arcent referente *Plinio.* Oſſa humana pulveriſata cum vino bibita arthritidi mederi ait *Avicenna* Uſnea cranii tanquam oſſium humanorum vigor confermentatus virtutem etiam mumialem in ſe tenet abſconditam, de iſta auctores diverſas habent ſententias. Alii enim putant ex ſolis craniis ſuſpenſorum eligendam eſſe quod ſpiritus mumiales ſtrangulati in calvariam intrarint; Alii ſive ex ſtrangulatis, ſive aliis capitibus eam eliciunt dummodo morte violenta ſint interempti illi, ex quorum craniis mucus iſte, ſive uſnea elici debet, pro quibus ſtat *Ettmullerus*

Eſt igitur uſnea mucus naſcens in cranio aëri expoſito, qui ob ſuam vim mumialem hæmorrhagias ſiſtit loco affecto applicatus, & eſt baſis unguenti ſympathetici, de quo in *meis animad.* vid. Lectorurioſus *Kircher. in reg. Nat. ſympath.* *&* *Boyleum in philoſoph. experimental.*

Sudor contra ſcrophulas facit monente *Schröder.*, ac tumores ſanat ſcribente *Argel. in Galen.* Lac phthiſicis convenit, ſi ſugatur ex ubere, vid. *Felix Plater.* quin & externè adhibitum cum albumine ovi inflammationem aurium fugat

monente *P. Hiſpano.* In oculorum affectibus tollendis laudatur à *Dioſcoride.* Ex hoc fit butyrum, quod contra phthiſim & ophthalmiam eſt præſtantiſſimum. Menſtrua internè ſumpta, ad calculum, epilepſiam, ac menſes ciendos valent. Externè adhibentur in doloribus podagræ, apoſtematibus, ac carbunculis peſtilentialibus, vide *Schröder.* & *Frider. Hoffmannus.* Secundina ſtrumas tollit appoſita; exſiccata, pulveriſata; & ſumpta epilepſiam fugat. Aqua à ſecundina extracta pellit fœtum, & epilepticos ſanat, vid. *Harttman.* & *Ettmuller.* Urina ſumpta hydropi; hepatis obſtructionibus, peſti, lienis tumoribus medetur internè ſumppta. Ex hac ſpiritus, ſal volatile, oleum; ac magiſterium componuntur ad varios debellandos affectus, vid. *Frid. Hoffman. clav. in Schröd.* Externè urina adhibita ſcabiem necat, tumores reſolvit, gangrænam arcet, veſparum ictus ſanat, ulcuſcula capitis delet, ac oculorum affectibus medetur, videatur *Dioſcorides.*

Stercus impoſitum dolores mitigat, in tumoribus malignis prodeſt crematum, & in potu exhibitum paroxyſmos febriles arcet, ac à napelli veneno liberat. Ex hoc deſtillato exit aqua, & oleum. Aqua inſtillata unguibus oculorum medetur, fiſtulas curat, & internè adhibita hydropem ſanat, ac lithiaſim. Oleum autem valet ad tineas capitis, impetigines, & cancrum mortificat; Internè icterum ſolvit. Vide *Libav.* & *P. Poter. in Pharmac.*

Notandum verò quod utriuſque graveolentia tollitur rectificationibus, & cohobationibus.

Ex ſemine humano ad conciliandum amorem mumiam magneticam aliqui conficiunt, & homunculum ſuum ex hoc meditatur *Paracelſus*; quod fabula futilis, & ab omni ratione aliena a ſanioribus philoſophis putatur.

Sanguis ſiccatus ac pulveriſatus hæmorrhagias ſiſtit impoſitus & volaticas ſanat monente *Harttmanno*, illitus Anginam tollit; Vid. *Plinius*; Internè etiam ſumitur pro epilepſia fuganda, ſumma tamen cautione opus eſt in hoc ſumendo, nam facilè grumeſcit, & putredinis virus accipit; Ex hoc de-

deſtilla-

deſtillatur Aqua, & oleum, quorum vires ſunt refrigerare ambuſta, fiſtulas purgare, ac phthiſes curare; Vid. *Beguin.* Paratur antipodagricum Balſamum à *Schrödero*, & ſal Volatile & ſpiritus; Vid. *P. Joh. Faber.*, *Ettmullerus & Hoffmannus.* Mumia Vitæ tandem conſtruitur, quæ inſignis eſt energiæ in curandis carbunculis, cujus deſcriptio eſt ℞ ſanguinis hominis lento igne exſiccati q. s. imprægnetur ſucco limoniorum & vitrioli ſpiritu, & cum pauca myrrha in trochiſcos paretur; Doſis ſit ʒ. ß. in aqua cinnamomi, quam tamen mumiam parvi facit *Hoffmannus.*

Calculus pulveriſatus, omnibus convenit obſtructionibus; ſudoreſque ciet, de quo *Jac. Bontius.* Ex hoc *Clar. Tachenius* duos ſpiritus elicere tentat in ſuo *Hippocrate Chimico* ex quibus calculorum arguit compoſitionem, hic lapis microcoſmicus eſt, qui in febribus peſtilentibus prodeſt, in philtris ſumptis egregiæ virtutis eſt, & ſi in ens primum reſolvatur ſummum erit remedium docente *Ettmullero.* De calculo humano plura apud *Helmontium Zwelferum; Borrichium*, *Hoffmannum & meam Adit. ad Ol. Borrich.*

Fel viſum clarificat, ut docet *Venturinus.* Pediculi à ruſticis devorantur contra icterum. Membrana caput fœtus cingens adverſus colicam commendatur à *Schrôdero.* Lumbrici ſiccati, & pulveriſati ſumpti lumbricos expellunt. Mumia externè in conſolidandis vulneribus valet. Ex hac *Quercetanus* tincturam parat, quæ morbos pectoris ſanat. *Crollius* extractum componit, quod adhiberi poteſt in venenis aſſumptis. *Tenzelius* elixir ex mumia elicit in peſte maximè juvans.

Teſtes hominis pulveriſati poſt menſium fluxionem mulieri exhibiti conceptionem adjuvant ſcribente *Trotula*, & *Mayow.*

Umbilicus pueri recenter nati latus dolorem capitis fugat. Vid. *Joh. de Kethan.*

Cutis alligata ventri prodeſt in difficili partu, ac affectibus hyſtericis. Pinguedo dolores mulcet, contracturas removet, ac maculas variolarum delet illita. Cerebrum antiepilepticum inſigne putatur, ex quo Chymici oleum, ſpiritum, & aquam educunt ad epilepſiam curandam. Vid. *Harttman. Prax.*

Cor ſiccatum & exhibitum epilepſiæ medetur. Ex utero ſal volatile paratur, quod pro fœcunditate ſumptum inſervit. Plura de medicamentis ex homine deſumptis videantur apud *Becherum med. microc.*

CAPUT XXIV.

De Leone.

LEO Animal eſt notum, ac ferox, medicinæ inſerviens pinguedine, ſtercore, cruore, cerebro, pulmone, jecore, ſorde, felle, carne, pelle, & oſſibus.

Pinguedo cutem lucidam facit inuncta, dolores aurium ſedat inſtillata calide, ac nervos dolentes ſanat, illita tepidè, Stercus antiepilepticum eſt, unde Chymici ſpiritum contra caducum parant, de quo videatur *Hoffmannus.*

Cruor Leonis in furno exſiccatus & ſumptus ſonticum fugat affectum, cujus tamen ſal volatile, & ſpiritus in ejiciendo caduci miaſmate majorem tenent facultatem. Ex cerebro ſal volatile, ſpiritum, ac oleum deſtillari volunt aliqui ad epilepſiam, peſtem, & uteri ſuffocationem curandam.

Pulmones exſiccati, & ſumpti phthiſi opitulantur. Vide *Hoffmannum.* Jecur exſiccatum & ſumptum cachecticis, ac hydropicis prodeſt Ex corde leonis aqua deſtillatur, cordialibus additis aromaticis. Fel commendatur à *Plinio* tanquam ſummum medicamen contra epilepſiam. Caro cocta, & manducata quartanas fugat, ac hypochondriæ medetur. Vid. *Joh. Melderus.*

Pellis impoſita hæmorrhoïdum dolores ſedat monente *Ariſtotele* Oſſa demum pulveriſata, & exhibita cum aqua deſtillata ſcorzoneræ febres ejiciunt Vide *Al. Venturin.* Et oſſa leonum colliſa ignem excitant. Vid. *Wechtler tom.* 1. *pag.* 124.

CAPUT

CAPUT XXV.

De Lepore.

LEPUS animal eſt timidiſſimum notum omnibus, a quo cinis, caput, oculus, ſanguis, pulmo, cerebrum, cor, hepar, fel, renes, inteſtina, teſtes, matrix, coagulum, axungia, ſtercus, urina, & pili ſumuntur.

Cinis ex integro lepore combuſto ſumptus in vehiculo apto frangit calculos, in quo tamen cinere nullam eſſe virtutem putat *Fr. Hoffmannus.*

Caput incineratum Alopeciæ ſubvenit. Oculus ſiccatus vertici impoſitus in partu difficili prodeſt, ac ſecundinas expellit. De oculo leporis optime ſcripſit *Macaſius in promptuar. Medic.* Sanguis vitia cutis tollit, aſſatus dyſenteriæ, calculo, veneniſque medetur. Pulmo perniones ſanat impoſitus, memoriam acuit, & epilepſiam curat manducatus.

Cerebrum gingivis illitum dentitionem puerorum juvat, ſumptum membrorum tremores tollit, Archei furorem ſedat, & urinam nimiam corrigit. Cor ſiccatum, & pulveriſatum in tres partes diviſum pro quartana commendatur à multis in principio paroxyſmi exhibitum, de hoc autem ego experimentum feci in quadam Moniali ſine eventu. Ad alios uſus facit cor leporinum, de quo vid. *Venturin. Guntherus*, & *Freigius.*

Hepar alvi fluxum ſedat, & inflammationes arcet aſſatum, & pulveriſatum, & ſumptum in vino albo. Fel ſumptum ſomnum inducit monente *Amato Luſitano;* ophthalmicum eſt dictante *Schrödero*, & contra vertigines valet dictante *Venturino.*

Renes lithontripici ſunt, ſi *Galeno* credimus. Inteſtina cum oleo roſato capillos augent impoſita capiti. Teſtes manducati urinæ incontinentiam tollunt. Matrix conceptum promovet ſiccata, & propinata ſi *Schrödero* credimus. Coagulum bibitum viperarum morſui, diarrhæis, abortuique medetur, illi-

tum autem morbos aurium ſanat vid. *D. Monardes.* Os tali contra colicam ; dolores renum valet , idemque de vertebris caudæ affirmatur.

Axungia præ cæteris pinguedinibus in uſu eſt chirurgico pro aperiendis abſceſſibus , illita vultus impetigines corrigit , aurium dolores ſedat , & ſpecialiter cum pulvere oculorum cancrorum Vulneribus applicata ab eis heterogenea elicit vid. *Ettmulerum & Eckold. Prax.*

Stercus impoſitum ambuſtis medetur , & ſciaticæ , pulveriſatum , & ſumptum calculoſis prodeſt , & dyſenteriæ convenit vid *Schrôder.*

Urina ad auditum grave tollendum celebratur a multis. Pili tandem pulveriſati , & impoſiti ſanguinem ſiſtunt. vid. *Fabricium ab Aquapendente.*

CAPUT XXVI.

D Lupo.

LUPUS animal notiſſimum eſt, audax, rapax cani non abſimile, ex quo ſequentes partes in uſum medicum veniunt , nempe dens , cor , hepar , inteſtina , axungia , oſſa , ſtercus , pellis , occulus , ac fel.

Dentes Lupi pulveriſati , & ſumpti epilepticos ſanant , & delati dentitioni proſunt. Cor toſtum , & tritum comitialem fugat morbum. vid. *Borellum.* Hepar exhibitum hydropicis convenit ; Inteſtina pulveriſata colicæ medentur , & ego pluries in praxi exercui hoc arcanum felici ſuceſſu , miror autem qua ratione hanc inteſtinorum virtutem negaverit *Ettmullerus* , et cuperem ab eo rationem ſcire. Axungia vires ipſas , ac canina habet. Oſſa pulverizata intercoſtalem morbum curant ſumpta.

Stercus colicis confert. vid. *Foreſtus* , *et Aëtius ;* externè illitum Lentigines delet ; vid. *Avicenna.* Ex pelle quidam Cingulum faciunt in Epilepſia , ac doloribus colicis ; Oculus dexter

dexter Lupi latus à canum rabie tutùm reddit gerentem, ac venena arcet. Fel inſervit pro collyrio maximo impoſitum oculis; vid. *Kyran.* Ex Lupo denique fit oleum mediante decoctione, quod podagram mitigat, quin & eſſentiam Lupi parat *Hartmannus* ad diſſolvendum cruorem coagulatum optimam.

CAPUT XXVII.

De Lynce.

LYNX Lupus Cervarius vocatur, & animal eſt viſu acutiſſimo præditum, à quo medicina ſumit Axungiam, Calculum, ac Unguem. Axungia enim impoſita convenit articulis reſolutis. Calculus pulverizatus, & ſumptus Fluxus Alvi ſiſtit monente *Theophraſto.* Et Unguis geſtatur adverſus Epilepſiam; vid. *Schröderum*, *Gorræum in Formul. remed.* & *Frambeſar. Schol. Med.*

CAPUT XXVIII.

De Moſchi Capreolo.

MOSCHI capreolus non eſt caprarum genus, ut ait *Schröderus.* Sed eſt Animal magnitudine Canis, Colore rubro cinereum, maculis nigris ſignatum, de quo optimè *Hoffmannus.* Ex hoc Animali moſchum tantùm recipit Medicina, qui colligitur in Veſicula appropriata ut Caſtoreum propè umbilicum; præter verò hunc genuinum datur quoque moſchus adulterinus, & ratio parandi hæc eſt: Capellam indicam moschiferam ſcilicet à Canibus venaticis agitatam, Venatores fuſtibus lacerant, ut tubera congrumata oriantur, quæ abſcindunt, & exſiccant; vid. *Mandeſloch. in itinerar. Bartholin. in Actis Med. Caſtro de Hyæna Odor. Jonſton in hiſtor. Animal.* Dictus autem odor

odor haud adeò rarus eſt ait *Ettmullerus* cum & ob putredinem intendatur æque ac producatur; Sic de odore moſchato *Crocodili*, piſcium quorumdam imò hominum vid. *Bartholin*, *in hiſtor. Anat.*, *&* *Caſtellus.* Cæterum notum eſt, quod ſit ſubjectum odoratiſſimum ſpiritus animales valdè afficiens; Ut autem potentius operetur inſtitui debet depuratio ejus, & in olei conſiſtentiam redigi debet, tali pacto, binas cucurbitulas conjunge, ut alias per deſcenſum deſtillare ſolemus, in medio internè ponatur linteum in ſuprema verò cucurbita detineatur moſchus, collutentur cucurbitæ, & in diebus canicularibus radiis ſolis exponantur, ſic moſchus ſucceſſive liquefcit, liquatum deorſum deſtillat deſcendendo in inferiorem cucurbitam per linteum, ſicque habetur oleum valdè penetrans; Alii eſſentiam moſchi parant ſic; miſceatur moſchus cum oleo amygdalarum dulcium, donec omnis vis odorifera planè ſit exhauſta; tunc affundatur Spiritus Vini rectificatus, digere in Balneo Mariæ, & deſtilla, ſic Spiritus vini arripit ſubſtantiam moſchi medicinalem, crudo corpore, ac inerti in fundo relicto, Moſchus autem in ſubſtantia Sanguinem facit impetuoſum; ſi enim habito vulnere in thorace nulluſque effluat cruor: tunc ait *Fr. Hoffmannus* Æger granum unum moſchi ſub lingua teneat, & ſtatim Sanguis à vulnere fluere incipiet. Plura de moſcho dabunt curioſis *Luc. Schræckius*, *Daniel. Ludovicus*, *Joh. Faber*; *&* *alii plures.*

CAPUT XXIX.

De Mulo.

MUlus eſt genitus ex Equa, & Aſino, vel ex aſina & Equo adeoque ſterilis, ex quo deſumitur à Medicis Ungula cum urina, hepate, corde, cerumine aurium, ſtercore; & pilis.

Ungula ſuffitu ſiſtit fluxum nimium menſium, pulverizata & ſumpta ſterilem reddit, ac illita cum oleo amygdalarum dulcium ſubvenit Alopeciæ; Urina applicata perniones curat;

curat; Hepar ſterilitatem infert, coctum, & Manducatum & illitum cadentes ſiſtit pilos. Cor una cum teſtibus coctum ſterilitatem inducit eſum. Aurium cerumen Mulæ cum caſtoreo conceptionem juvat. Stercus pulveriſatum contra ſerpentum morſus, hæmorrhagias, dyſenterias, lieniſque dolores valet. Pili demum incinerati ulceribus, & aduſtionibus medentur impoſiti monente *Avicenna. cum Feyneo Med. pract. & Veckero Ant.*

CAPUT XXX.

De Mure.

MUS Animal eſt notiſſimum, & ſalacitate maxima donatum, quod integrum primo Medicina deſumit ad varios uſus, inde ejus ſtercus, pellem, & Sanguinem.

Diſſectus vivus mus, & impoſitus extrahit aculeos, & venenum, ictuſque ſcorpionum curat, incineratus, ac ſumptus mictui involuntario, nimiæ ſpuitioni, ac hypochondriæ medetur Vid. *Alex. Trallianum.* Stercus mirabiliter laxat Alvum monente *Rulando*: calculos renum atterit confirmante *Schrödero* & non ſolùm in menſium defectu, ſed in partu difficili commendatur ab *Hoffmanno*; In ſuppoſitoriis autem, ac clyſteribus paſſim adhibetur. Pellis ganglio opitulatur, ac ambuſtis; Vide *Al. Venturinum.* Sanguis commendatur à *Rhaſi* contra callos pedum applicatus. Notandum tandem, quod ex Mure Alpino unguentum miræ efficatiæ parat *Ettmullerus*, cujus formula ſequens eſt; ℞ Pinguedinis muris montani ℥. i. olei amygdalarum dulcium ℥. ß. chamomillæ, ʒ. j. miſce, ad articulos contractos calidè inungendos.

CAPUT XXXI.

De Ove.

OVIS Animal notum eſt manſuetum, lupo inimicum, ex quo Cerebrum, fel, oeſypos, lana ſuccida, ſevum, pulmo-

pulmones, omentum, lac, ſtercus, Urina, Veſica, Caput, pedes, pediculi, Sanguis, teſtis, & coagulum ſumuntur pro uſu medico.

Cerebrum in morbis epidemiis, prodeſt, manducatum, ac cum melle illitum dentitionem facilitat. Fel ſolvit Alvum, umbilico impoſitum; auribus purulentis eſt auxilio inſtillatum; cancro medetur illitum, & lendines capitis tollit. Oeſypos ex lana paratur quem *Zwelferus* valdè ridet; lana ſuccida infantum collo appenſa dentitionem ſublevat, ulceribus inveteratis, & auribus ſuppuratis medetur. Sevum diarrhœam, dyſenteriam & tormina ventris tollit in Clyſmate, & illitum podagræ ſubvenit; vide *Dioſcoridem* Pulmones in Phrenitide, vigiliis, & lethargo capiti impoſiti proſunt ut ait *Plinius*. Omentum calidum impoſitum ventri dolores colicos curat: lac internè adhibetur pro dyſenteria. Stercus cum vino illitum ſcorpionum morſibus medetur; videatur *Aëtius*: coſmeticum eſt; vide *Dioſcoridem.* Ulcera maligna curat; vide *Avicennam*: Tumores lienis delet, ac maximi ſolaminis eſt in ambuſtis impoſitum; videatur *Schröderus.*

Urina ſumpta lymphas intercutes abigit, idemque agit deſtillata

Veſica cremata, & ſumpta ſuccurit illis, qui præter voluntatem mingunt. Caput, & pedes atrophiæ ſubveniunt cocti, & ſumpti, idemque agit eorum decoctum. Pediculi in Arthritide curanda commendantur à *Schrödero* exhibiti ad num. ix.

Sanguis ſiccatus, & potus cum vino à Venenis præſervat monente *Dioſcoride.* Teſtes Arietis ſumpti ſtimulant Venerem;

Coagulum tandem ſanguinem coagulatum ſolvit aſſumptum; Vide *Venturinum.* Curioſa plura de ove dabit *Kyranis*; & *Sperlingius.*

CAPUT XXXI.

De Ranunculo Viridi.

RANUNCULUS eſt Animal ex genere Ranarum terreſtrium,

colore

colore viridiſſimum, quod Medicina in uſum recipit, & ſpecialiter ſuum Sanguinem.

Ranunculus totus exſiccatus Sanguinem ſiſtit inſperſus vulneri monente *Weikard. in Theſaur.* Sanguis autem à *Schrödero* pro Philtro commendatur. Et refert *Hoffmannus* Ranunculum exſiccatum, in clibano, & in lacte materno quantum cuſpide cultelli ſummi poteſt, exhibitum infantibus recenter natis, antequam alium ſumant cibum ab epilepſia præſervare.

CAPUT XXXIII.

De Rhinocerote.

RHINOCEROS Animal eſt magnitudine taurum, forma Aprum æmulans cornu unico donatum, cujus integra hiſtoria apud *Job. Petreum & Franzium*, cujus cornu ex India orientali affertur, quod vim Alexipharmacam habet datum in pulvere ad ℈ß. vel ℈ j. Ex hoc paratur Oleum inter rara à quibuſdam habitum; *vid. lib.* cui titul. *Teſoro delle gioie.*

CAPUT XXXIV.

De Serpente

SERPENS Animal notum eſt venenatum exuvias ſuas ſingulo anno bis exuens Vere nempe; ac Autumno, ex quo Medici ſequentia ſumunt, & primò totum ejus corpus, adipem, exuvias, hepar, & fellis humorem.

Pulvis integri Serpentis combuſti vim habet ſudorificam, & alexiteriam, & minimè venenoſam, unde in Lue Venerea, peſte, febribus malignis, Venenis, dyſenteria, & lepra præſtantiſſimus eſt, Adeps oculorum ulcerationibus medetur, & ſcabiei, ac Lepræ, tollit ſtrumas, ac coſmeticus eſt egregiæ virtutis, podagram mitigat, & viſum acuit illitus; vid. *Ettmullerus & Conringius.*

Exuviæ lumbis alligatæ partum facilitant, docente *Schrödero.* Odontalgiam gargariſmatiſatæ ſedant; internè contra Icterum adhibetur à multis, unde pulvis anticтericus *Tilemanni* proſtat ſequentis conditionis ℞ lapidis Ceraunii, exuviæ Serpentum, ana q. s. fiat Pulvis cujus doſis ſit ℈. j. videatur *Agricol*; *&* *Michael.*

Hepar exſiccatum ſumptum prodeſt ad partum facilitandum: fel impoſitum ictui Serpentis medetur; Tandem ex Serpentibus quibuſdam Indiæ auferuntur lapides, qui tempeſtivè adhibiti venena arcent: videat. *Kircherus*, *Hoffmannus*, *&* *Redius.*

Ex Serpentibus ſal volatile, Bezoarticum animale ſimplex, & compoſitum parat *Schröderus*, quem curioſus Chymicus videat.

CAPUT XXXV.

De Sciuro.

SCIURUS eſt Animal quercuum amantiſſimum, caudaque præditum totum corpus obtegente, & pedibus agilibus: ex quo medicina ſumit cerebrum, ac carnem.

Cerebrum ſumptum vertiginem arcet; Et caro cocta; & manducata pro Gravidis optima cenſetur à *Frid. Hoffmanno.*

Ex hoc Animali Funambulus quidam pro ſingulari arcano pulverem habuit contra Vertiginem, quem pretio & precibus vix ab eo extorquere potuit *D. Joh. Michaelis.*

CAPUT XXXVI

De Porco.

SUS, ſive Porcus Animal eſt maximè humidum, homini quoad partes internas ſimilimum, ex quo à medicina ſumuntur fel, Pulmo, Pinguedo, Oſſa, Talus, ſtercus, Veſica, uterus, lapis,

lapis, Cerebrum, omentum, teſtes, Sanguis, & hepar.

Fel ſuillum contra aurium ulcera adhibet *Dioſcorides* illitum ac regioni ſtomachi appoſitum vomitum ſedat; videatur *Fallopius.* Pulmones impoſiti juvant, in attritu à calceamentis contracto, videatur *Schröderus.* Pinguedo illita ano ſolvit ventrem, parotides cito ad ſuppurationem ducit, ac articulorum dolores ſedat, hac arefacta nonnulli utuntur pro unguento Armario, videatur *Ettmullerus.* Alii ex hac unguentum ſequens pro tuſſi conficiunt ℞. Axungiæ porci q s. miſce cum capite. Alii numero tres contundunt, ut acquiratur, linimenti forma, & tali unguento plantæ pedum illinantur per tres dies: internè autem, hæc pinguedo in Phthiſi commendatur ab *Hoffmanno*: in odontalgia quoque ℞. Fruſtulum ligni acutum, fricetur eo dens dolens, poſt verò lardum infigatur, ſic brevi poſt evaneſcit dolor. Oſſa pulveriſata prò dentibus abſtergendis adhibet *Rhaſes.* Taleos pulveriſatum, ac bibitum colicos dolores fugat, dyſenteriam curat, & Sanguinis fluxiones impedit.

Stercus impoſitum prodeſt in tuberculis, prurigine, narium hæmorrhagia: ex hoc conficit ſyrupum *Ettmullerus* cum vino, & ſaccharo pro hæmorrhagiis. Veſica ciet urinam impoſita pubi narrante *Plinio.*

Uterus coctus comeſus cum braſſica juvat mingentes præter voluntatem, quod expertus fuit *D. Michael*; videatur *Dolæus Prax. lib. 3. cap. 13.*

Lapis invenitur in felle ſuis valdè pretioſus, qui calidum nativum conſervat, vitam roborat, ab Apoplexia præſervat, calculorum materiam diſſolvit, arthritidem curat; infunditur quoque in vino adverſus choleram, diaphoreticus eſt in Cereviſia infuſus, ac vino per horæ ſpatium, ſicque infuſus liquor bibitur qui quo amarior eſt, eo potentior exiſtit; de quo videatur *Jac. Bontius*, *Garcias ab Horto*, *Tulpius & Fragoſ. med. Indor.*

Cerebrum impoſitum ſanat podagram monente *Aëtio*; Omentum coctum & illitum capiti ſanat impetiginem ſi *Argelatæ* credimus.

Teſtes cocti, & ſumpti caducum fugant, videatur *Venturinus & Heer.*

Sanguis tanquam egregium medicamentum contra phthiſim à multis commendatur; ſed vel ſpiritus ejus vivificus, ait *Hoffmannus*, & virtus nativa ſpecifica per deſtillationem ſtatim ab initio ex recenti, & adhuc calenti Sanguine per Balneum Mariæ facta, colligendus, aut in liquorem, & ſal volatile eſt tranſferendus, aliàs per ſe nihil præſtabit. Hepar pro Venereo arcano habetur à *Schrödero*

Denique Porcelli duorum dierum cocti podagram tollunt manducati; vid. *Plinius*. Sunt qui aquam deſtillant ex carne Suilla contra Phthiſim quam nihil valere ait *M. Ettmullerus*.

CAPUT XXXVII.

De Talpa.

TALPA eſt Animal auditus acutiſſimi, vivens ſub terra, medicinæ concedens ad uſus, Cor, Sanguinem, ac totam ſe ipſam.

Cor herniam ſanat pulverizatum, & ſumptum Sanguis Talpæ illitus calvitiem tollit, gangrænam, & ſphacelum curat; videatur *Horſtius*.

Tota autem talpa incinerata, ac ſumpta tollit Arthritidem, contra herniam facit monente *Harttmanno*; contrà eryſipelata mammarum impoſita valet; vid. *Schmuckius in cur. magico magnetic.*

CAPUT XXXVIII.

De Taxo.

TAXUS Animal eſt notum omnibus, ex quo Medicina ſumit ſequentes partes, videlicet Sanguinem, pinguedinem, ac ipſum totum.

Taxus enim integer incineratus, ac exhibitus pulmoniacis prodeſt; Sanguis deſtillatus peſti medetur, & pulverizatus lepræ convenit; vide *Schröderum* Pinguedo autem penetrantior eſt adipe

adipe ſuillo, renum doloribus auxiliatur, febrilem æſtum mitigat, ac nervos induratos ſanat inuncta; videatur *Matthiolus.*

CAPUT XXXIX.

De Vipera.

VIPERA, quaſi Vivipara quia vivum fœtum parere dicitur; pauca tamen eſt differentia inter viperam, & Serpentem de quo ſuprà in *cap.* 34. dixi. Serpens enim quoque monente *Frid. Hoffmanno* vivos fœtus emittit; De viperis verò legantur eruditæ obſervationes *Franc. Redi*, *&* *M. Aurel. Severin. tract. de Viper.*

Vipera reſtaurandi pollet facultate, ex hac enim balſamum contrà Venena conficitur; vid. *Nolius in ſyſtem. hermet. med.*

Hic ſub ſilentio non eſt tranſeundus modus leproſos curandi per Viperas valde curioſus de quo mentionem agit *Kircher. in Art. magnet.* Æger ſilicet præviis purgationibus diſpoſitus in ſpelunca ſuprà ſtratum nudus exponitur, qui vix ingreſſus, ex evaporatione, ut aiunt alituum calidorum in ſudorem reſolvitur, quem ſomnus ſequitur, dum autem æger ſomno ſepultus iacet, viperæ è cavernis exeunt & ejus corpus lingunt innoxiè ſicque ſanatur & hæc cura viperis adſcribenda eſt quia humores ex ægro efluentes exugunt, & vi ſua balſamica, ſpiritus corrigunt, de qua re apud *Meſſ. med. Spagyric. pag.* 621. Pinguedo viperæ eſt ophthalmica vid *Ephem. Cur. An.* 2.

Ex Viperis paratur oleum contra porriginem de quo *Zacutus Luſit. med Princip.*, quin, & ipſe decoctum Anguium parat in *Praxi med. admirab. ob.* 2. Sal theriacale ex vipera conficit *Zwelferus*, quod commendat *Tachen. in Hip. Chim.* & *Luc. Schroocius*; hujus Salis deſcriptionem videat lector apud *Phar. Auguſtan. R.*

Trochiſcos de viperis componunt multi, mellius autem iis operatur, ſal dictum, vel pulvis egregius viperarum *Poterii.*

Vina

Vina viperina conſtruunt alii, quæ valent contra venena, tali modo; immituntur Viperæ vivæ in Vini certa portione; poſtea in Vaſe clauſo tepido loco exponuntur, ut ebulliat vinum, quod ſumptum luem gallicam fugare docet *Ettmullerus in Schrôder. dilucidat. pag.* 232. *& F. Bacon. in ſylv. ſylvarum. cent.* 10.

Sal volatile, eſſentia, Spirituſque, ex Viperis parantur tandem, ut reliqua Salia Animalium volatilia, de quibus in *Pharm. Schrôderi lib.* 5. *& Petr. Joh. Fabr. Op. chymic.*

CAPUT XL.

De Vitulo.

VITULUS Vaccæ proles eſt, è quo Medici coagulum, medullam, fel, ſtercus, & Lapidem ſumunt.

Coagulum curat epilepſiam ſumptum; medulla vim habet emollientem ac anodynam, nec non etiam narcoticam docente *Ettmullero*; hac enim in febribus ubi ſomnus deficit bis, vel ter in die inunctis temporibus ſomnum aliqui inducunt. Felle mixto cum Aceto ulcera capitis impoſito ſanat *Plinius*. Stercus eryſipelati illitum convenire tradit *Schrôder.* cum *Schomb. manual; med.*

Globum tandem vitulinum in ventriculo ex pillis conflatum repertum parturientibus conferre ſumptum docet *Plinius* cujus operandi rationem reddit *Faber*. mediante ſale quo omnes pili abundant, proinde ait *Henric. Volgnad.* cineres Tofi cremati in Vino adhibendos eſſe; de hujus poſtea globi vitulini generatione varia poſſunt colligi à *Wiero*, *Cardano*, *Boneto med. Septentr. tom.* 2. *l.* 8. *Et Ann.* 2. *Ephem. Germ. cur. pag.* 281.

CAPUT XLI.

De Unicornu.

UNICORNU Animal eſt equo quoad corpus non diſſimile,

cornu in fronte gerens procerum, quod tamen negat *Ettmullerus* dicendo cornua quæ viſuntur eſſe Unicornua marina, quod an verum ſit videat lector apud *Kircherum*, *Hoffmannum*, *Wormium*, *Bartholinum*, *Tulpium*; hoc autem cornu vel dente quod hic diſputare nolo, medici pulveriſato adverſùs venena utuntur, contra Epilepſiam, febres malignas, & hydropem conducit: ex hoc paratur Sal volatile, & oleum de quibus penes Chemicos; de Unicor. plura apud *Wolffg. Franzium hiſt. Animal. & Cornu Stalpaert. de Unicorn.*

CAPUT XLII.

De Urſo.

URSUS crudele Animal eſt dormiens ſeptimanis integris, præbens ſequentes partes medicinæ ſcilicet carnem, adipem, pulmonem, fellis veſiculam, teſtes, dentem, & oculum. Caro urſina cocta, & ſumpta fugat quartanam, vide *Venturinum*.

Adeps externè illitus arthritidi herniæ, Alopeciæ, faciei maculis, parotidibus, pernionibus crurumque ulceribus medetur.

Pulmonem Urſi excoriationes factas à calceamentis ſanareſcribit *Plinius*. Fel internè exſiccatum, & ſumptum diaphoreticam vim tenet, ac prò morbo comitiali, Aſthmate ac catarrho ejiciendis commendatur; externè autem cancroſa ulcera, oculorum hebetudinem, ac odontalgiam curat illitum; vide *Varandæum*.

Teſtes cocti, & manducati in Caduco juvant. Dentes collo apenſi puerorum dentitionem facilitant. Vide *Bartholinum & Thiermaierum*.

Oculum tandem dextrum exſiccatum, brachio alligatum, quartanam fugare dicunt multi, hujus autem fides ſit penes experientiam. *Not.* Urſum Animal eſſe aſpectu horridum, corpore latiore hirſuto, ore deforme, voce iracunda, cauda

exigua, mammas habere quaternas, & pedes hominis manibus, pedibuſque ſimiles; Venerem mirum in modum nocte, dieque appetere, mulieres amare; unde refert *Iſaac Cardos. in philoſoph.* de Urſo, qui puellam in latibulum detulit, & venereo proſecutus complexu agreſtibus aluit pomis. Urſi coeunt non more quadrupedum, ſed amplexibus mutui cubantes juxtà hominum morem; In ſpecubus pariunt Urſæ tum unum, tum duos, & plurimùm quinque fœtus; Fœminæ enixæ quaternis menſibus, tunc gravi ſomno premuntur, & mirum in modum pingueſcunt: Creditur informes fœtus edere, unde carnem ſine oculis, ſine membris. quam lambendo perficiat, & informet; ſed monſtravit Venatorum induſtria, gravidas urſas captas articulatos fœtus, ſuiſque membris diſtinctos tenere in ventre. Præliatur Urſus cum Vitulo marino ſed vincitur. *Nota nullos eſſe Urſos in Africa; vid. A. Le Grand. Comp. curioſ.*

CAPUT XLIII.

De Vulpe.

VULPES Animal aſtutum, & vafrum eſt, inſidiatur plurimum avibus, ac leporibus, cauda villoſa, oſſeo genitali, parturiens ita ſecedit, ut raro gravida capiatur, parit ut plurimùm fœtus cœcos quos lambendo perficit; Gallinis, cuniculis, hœdis, inſidiatur, tam vafra & inſidioſa, ut quamvis præda ſit plurima; prius omnem jugulat, quam devoret, ne fugiat una, cùm aliam edit; bibit lambendo, ut canis, & magnam aquæ copiam una vice; Aſtutia Erinaceum capit, qui viſa Vulpe in orbem agitur, & conglobatur, Ea nullum ore apprehendendi, aut mordendi locum inveniens in ejus os urinam reddit, & ita ſuffocat; Amygdalis amaris eſitatis moritur, ſi aquam repente non bibat; & Aloe cum carne devorato extinguitur, de quo *Scaliger exercit.* 117. Cum Angue, & Columba amicitiam gerit, rutam fugit, & impoſita gallinario

linario arcetur ; cujus in medicum uſum veniunt, Pinguedo, Pulmo, Hepar, Fel, Lien, Pellis, cruor, ſtercus, teſtes, lingua, cor, cerebrum, & coagulum, renes, ac vulpes viva, & integra.

Pinguedo in convulſionibus, contracturis, tremoribus, aurium doloribus, & alopeciis valet illita calide : vide *Wechtlerum.*

Pulmo laudatur contra phthiſim, Arthritidem, lieniſque tumores ; vide *Kyranis.* Hepar exſiccatum, pulverizatum, ac ſumptum hepaticis prodeſt. Fel oculorum affectiones, & aurium dolores ſanat illitum : lien ſplenis tumores fugat impoſitus ſi *Joh. Schrôdero* credimus. Pellis applicita membris refrigeratis prodeſt ac in cinerata alopeciæ medetur : de qua re vid. *Plinius.* Sanguis arefactus, ac ſumptus lithiaſim curat : ſtercus cum aceto illitum cutis ſcabritiem tollit. Teſtes exſiccati, & aſſumpti Venerem ſtimulant monente *Frid. Hoffmanno* externè autem impoſiti podagram, ac dolores inguinum tollunt ; videatur *Alex. Venturinus in Arcan. Animalium.*

Lingua Vulpis appenditur pro acuendo viſu dictante *Plinio* : vulneribus impoſita heterogenea è membris extrahit, & hoc pro maximo arcano habetur à multis ; videatur *Ettmullerus in Schröder. dilucid. & Vigierius in op. med.*

Cor Vulpis exſiccatum, pulveriſatum ac exhibitum contra quartanam febrem commendatur à *Baldaſar. Conradino & Groenweld. in Prax.*

Cerebrum coctum, & à pueris manducatum à Caduco præſervat, vid. *Sextum Placitum & Thoner. in obſerv. medic.*

Coagulum potum contra Canis rabidi morſum valere ait *Matthiolus.* Renes cum melle impoſiti faucium tumores tollunt : Ex Vulpe autem integra oleum conficiunt multi de quo vid. *Diſpenſatorium* : quin ex pulmone Vulpis aquam Antiphthiſicam, inſignis virtutis parat *Fr. Hoffmannus in Appendice ad Pharmac Schröder.* cujus formula eſt ℞. Pulmonis Vulpini ℥. vj. radicis enulæ, tuſſilaginis āā ℥. j. ireos florentinæ liquiritiæ āā ʒ. vi. ſcyllæ ℥. j. baccarum lauri, Juniper., alkekengi āā ℥. vi. fructus

dactylorum ; Pinearum, amygdalarum dulcium jujubarum ; Sebeſten, prunorum, āā ʒ. vi. ficuum pinguium, ℥. iij. ſalviæ, marrhubii, majoranæ, roriſmarini, hyſſopi āā, m. ii.; Zinziberis albi; caryophyllorum, cinnamomi, cardamomi ; āā, ℥ ß, mellis deſpumati. ℥. vi. ſpiritus Vini optimi, ℔. viij. vini malvatici ℔. x. ſtent in infuſione per 24. horas. Poſtea deſtilla in Balneo Mariæ adde Julepi roſarum ℥. xviij. moſchi optimi in petia ligati ℈. j. reſerva in Vitro optime clauſo.

Oleum etiam ex Vulpe paratur, quod ad Podagras & reliquas Arthritidis ſpecies, dorſi & renum dolores, eſt efficaſſimum ; ut docent *Joh. Dolæus. Joh. Fortis*, *& Maſſarias.*

Modus autem conficiendi talis eſt ex *Meſve* ℞. Vulpem, detracta pelle, abjectis interaneis injiciatur in aquæ Fontanæ, Aquæ marinæ, ana q s. olei veteris clari ℔. iij. ß. Salis ℥. iij. inter coquendum adjice Anethi, Hyſſopi āā. ℔ j. Coquatur quouſque ab oſſibus recedat Caro, & Aqua conſumetur, inde coletur oleum, & colatum aſſervetur ad uſus dictos. Looch etiam paratur ex Vulpis pulmone valens ad Phthiſim tollendam cujus deſcriptio eſt ℞. Pulmonis Vulpini loti, exſiccati, ſucci liquiritiæ, Seminis fœniculi, Adianthi albi, āā ʒ. iij. confice cum Saccharo in Aqua cocto looch. S. A. Parari quoque poteſt Extractum pulmonis Vulpis : de quo apud *Chymicos. Dom. Victor Schneiderus* ægroto cuidam cui pulmo globulo tormentario laceratus, & frequenti Sanguinis expuitione fruſta pulmonis ejecit, medicamentum conficiendum curavit ex pulmone Vulpis, cruento adhuc, & recenti ſtatim ex vulpe exempto qui in Aqua ſymphyti leniter fuit coctus, deinde minutiſſimè conciſus, cui admixta fuere conſerva radicis Symphyti, amylli, & in primis Sarcocolla purgata, lota, & lacte muliebri nutrita, quo feliciſſimo cum ſucceſſu uſus fuit ; Et nulla fere datur Aqua antiphthiſica, aut Aſthmatica, quam pulmones Vulpis non ingrediantur.

Notandum autem, monente *Clariſſ. Ant. le Grand. in Compend. curioſ. pag.* 120. in Creta nec Vulpes, nec Urſos eſſe, nec aliud Animal maleficum præter Phalangium.

PARS

PARS SECUNDA,

DE VOLATILIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Accipitro.

ACCIPITER volucris eſt rapax, vorax, & audax, viſu forti prædita, cujus decem ſpecies *Ariſtoteles* recenſet, & ſexdecim *Plinius*; Dicitur Accipiter ab accipiendo, hoc eſt rapiendo. Amat ardenter coitum; Longo vivit tempore; Pugnat cum Aquila, Vulture, ac Vulpe, neque ſuo generi parcit, unde Proverbium ortum eſt *Accipiter Accipitrem capit*; Non bibit, ſed ſanguine tantum, ut rapaces alitur; Qui medicinæ ob uſus ſequentes præbet partes, nempe adipem, excrementa, ac totum ſe ipſum; Integer enim Accipiter in oleo coctus oculoque inunctus, oculorum vitiis ſuccurrit; Idemque dicendum de adipe, qui omnia cutis vitia ſanat illitus. Excrementa calefactoria virtute adeò pollent, ut à *Galeno* ex Foro medico eliminentur; Nihilominus tamen ſunt aliqui, qui oculorum vitiis arcendis adhibent. Alii ad partum promovendum exhibita, aut in ſuffitu adhibita monente *Schrödero*; tandemque ad ſterilitatem emendandam propinantur ab *Hippocrate*, ac *Plinio*, & *P. Stromaiero*.

CAPUT II.

De Alauda.

ALAUDA dicitur Galerita, ab apice ſeù Galero, quem in Capite geſtat, in viis reperitur; Cantat in aëre extendens continuo pennas; Duplex eſt, criſtata, & non criſtata; criſtatata tamen in uſu Medico prævalet; Cujus caro Urinæ ſabulum, & calculum proritat, ut ait experientia edoctus *Hoefferus in Hercul. Med.* Cor femori alligatum colicum ſanat dolorem idemque facit integra Alauda toſta, vel una cum pennis incinerata, ac ad ℥. j. ſumpta. Sanguis Alaudæ bibitus calculoſis ſubvenit.

CAPUT III.

De Alcedine.

ALCEDO avis eſt ſpecioſa paſſere paulo amplior, roſtro longo, colore tum cæruleo, tum viridi, tum purpureo juxta glaciem rivulorum degens; cor tantùm ob Medicos uſus præbens; Hoc enim ſiccatum, ac collo infantum appenſum comitialem morbum tollit; Videatur *Timæus*.

CAPUT IV.

De Anate.

ANAS duplex eſt, Domeſtica, & Sylveſtris, à qua Medicina recipit adipem, Sanguinem, fimum, ac totum corpus cum hepate.

Adeps tam internè, quam externè doloribus medetur monente *Avicenna*; Lentigines faciei tollit illitus, de quo *Argelato.*

to. Dolores Aurium ſedat docente *Plinio*, *&* *Nic. Cheſneau.* Sanguis contra Lepram valet, de quo *Aëtius* Eſt alexipharmacus monente *Ettmullero*; Stercus morſui venenato imponitur & aliena carni infixa extrahit applicitum; Anas viva ſedat dolores colicos, ſi ventri imponatur parte deplumata; hepar tandem toſtum, & ſumptum fluxus hepaticos ſanat. Videatur *Dioſcorides*, *&* *Stockerus in Praxi. Med.*

CAPUT V.

De Anſere.

Anser duplex eſt, domeſticus nempe, & Sylveſtris qui à Medicina præfertur; A quo ſumitur Pinguedo, Sanguis, ſtercus, & pedum Cuticula. Pinguedo calore ſuillum ſuperat, & præ reliquis eſt ſubtilis, volatilis, ac penetrans; Confert ad rimas, & fiſſuras labiorum, uteri duritiem arcet, aurium dolorem mitigat; ac ſpaſmum, nervoſque rigidos ſanat; Sanguis Alexipharmacus exiſtimatur à *Joh. Schrödero in Pharmac. Med. chym.* Stercus contra icterum commendatur ab *Hoffmanno* ob ſal volatile aperitivum, & abſterſivum ſulphureum, ob quod etiam in ſcorbuto laudatur; Pellit menſes, ac urinam; Et ex hoc eliciunt aliqui ſal volatile, ac oleum craſſum per deſtillationem.

Anſerem porrò album ſi quis curſu tandiù defatigabit donec reddat excrementum, hoc calidum paronychiis impoſitum mirificè curabit, *Petræus Noſolog. diſſert. harm.*

Pedum Cuticula exſiccata, ac pulveriſata ſumpta ad ℥. ß. commendatur in profluvio menſium ſiſtendo; Videatur *Baldi.*

CAPUT VI.

De Ardea.

Ardea avis nota eſt Piſcatoribus maximè, Medicinæ præbens

bens tantùm adipem, cujus uſus tamen rarus eſt in Medicina; lenire tamen dicitur podagricos dolores, oculorumque nebulas diſcutere, & viſum clarificare; & ſurdaſtris conferre illitus; Videatur *Schröderus*, *& Glauberus*.

CAPUT VII.

De Ciconia.

CICONIA primò totam ſe ipſam dat Medicinæ, inde ſtercus, Ventriculum, Axungiam, fellem, ac ſanguinem.

Ciconia vim habet alexipharmacam inſignem imprimis in eſſentiam redacta cum ſale ejus volatili & ex hac arcanum Alexipharmacum conficit *Schröderus* de quo vide *ſuam Pharmac. lib.* 2. *cap.* 51. Stercus in morbis capitis commendat *Crato*. Ventriculus exſiccatus, & pulverizatus pro Arcano maximo habetur in Venenis. Axungia ad podagram valet illita; Fel ad oculorum vitia commendatur à multis; Sanguis inter alexipharmaca ponitur; Hinc, ab *Ettmullero* ex hoc ſanguine electuarium paratur prò interno uſu contra venena; Præparandi modus videatur in *Baſilica Chymica Crollii.*

CAPUT VIII.

De Columba.

COLUMBA Avis eſt admodum fœcunda, Medicinæ præbens primò totum ſuum corpus, inde Sanguinem; tunicam Ventriculi, & fimum; & vivit annos 8. vid. *Fr. Bacon. de Verulam. in hiſtor. Vit. & mor. pag.* 40.

Columbam per medium diſectam, & capiti impoſitam convenientiſſimum eſſe medicamen in Phrenitide, Cephalalgia, &c. ſcribit *Joh. Schröderus*, *cum Smetio miſcelan. med.*

Sanguis oculorum affectibus medetur illitus; videatur *A. Ventu-*

Venturinus, *Regius* & *Plinius* : ſcabiem fugat monente *Avicenna*, & podagricum dolorem mitigat ſcribente *Schrôdero* ; notat autem *Mic. Ettmullerus* quæ de hujus Animalis Sanguine habent circa oculos Auctores, non tanti eſſe pretii, cùm oculis inſtillatus mox grumeſcat & malum exaſperet.

Ventriculi tunica exſiccata, & pulveriſata commendatur in dyſenteria monente *Schrôdero in Pharmac. med. chymic. lib.* 5.

Fimus vehementer calefacit ob nitroſam facultatem, qua maximè pollet ; eſt diureticus, & contra hydropem utilis ; leviter autem eſt calcinandus, vel potius toſtus in vino macerandus, inde cum vino, monente *Ettmullero* extrahendum eſt Sal nitroſum, ſeu lixivium ſummè diureticum.

Multi parant Aquam anticolicam in hunc modum ; ℞. Fimi columbini, ſeminis aniſi, ana partes æquales, affunde Vini malvatici & deſtilla, circa finem adde Corticem aurantiorum ; & fiat Aqua commendatiſſimi uſus, in Colica ; Externè etiam adhibetur propter vim leviter cauſticam, quam habet ob acrimoniam nitroſam, & ſic ſtrumas alioſque tumores diſcutit ; alopeciæ ſuccurrit &c. Uſus poſtea Columbæ ſylveſtris maximus eſt in calculoſa affectione, & præparandi rationem talem multi tradunt. Palumbem ſtrangulatum exanimatum, plumis exutum, ſale conſperſum ollulæ vernice ex lithargyrio, & plumbo obductæ vino cui prænoctaverit petroſelini manipulus prius infuſo immite operculo obſerato, ſat elixato, & denuo carnes una cum juſculo abſumito. De Columba plura apud *Henric. Mundium.*

CAPUT IX.

De Cornice.

FIMUM tantummodo uſui medico præbet Cornix ; nam hunc in Vino potum dyſenteriam curare tradit *Kyranides.*

CAPUT X.

De Corvo.

CORVUS Animal notum eſt, & medicinæ concedit primo pullos ſuos, poſtea Cerebrum, Pinguedinem, Sanguinem, ſtercus, felleum humorem, Ovaque.

Pulli Corvorum incinerati pro comitiali morbo laudantur ſumpti ad ʒ. j. ſingulis diebus. Cerebrum valet contra epilepſiam pariter, monente *Schrödero loc. ſup. citat.*

Pinguedo, ac Sanguis capillos faciunt nigros. Stercus dolores dentium ſedat videatur. *A. Venturinus*; Fel oculorum affectibus medetur docente *Jo. Ketham.* Ova tandem Corvi, ſunt qui in dyſenteria exhibent feliciter; de qua re videatur. *Gabelchover*, *& Serna Mat. Med.*

CAPUT XI.

De Coturnice.

COturnix duo tantum Medicis dat, nempe Pinguedinem, & Excrementa; hujus Animalis hiſtoria apud *Franzium pag.* 534. *invenietur.*

Pinguedo oculis prodeſt, maculas abſtergendo; Excrementa poſtea coturnicum, monente *Schrödero* Helleboro veſcentium (quod ipſis, ut quidam ſcribunt, in alimentum cedit) ſingulari proprietate quadam conferre Epilepſiis quidam volunt; De hac autem re vid. *Hoefferus in Hercule Med.* Coturnix laudatur in Peſte à *Barbetta.*

CAPUT XII.

De Cuculo.

OFFICINÆ Medicæ inſervit primo Cuculus ipſe, inde ſeparate

parate ejuſdem ſimus : nam Cuculus uſtus commendatur ad calculum , & ventriculi dolorem monente *Rondeletio* ; Datur & utiliter febricitantibus , & Epilepticis.

Fimus potus morſum Canis rabidi curat ; & notandum pinguedinem Cuculi ad Calvitiem ex ſiccitate conducere , vide *Schröderum.* Hujus hiſtoria videatur apud *Wolff. Franzium.*

CAPUT XIII.

De Ficedula.

FICEDULA à ficuum eſu ſic dicta ; de hac dicunt aliqui non ingnobiles medici viſum acuere in Cibo.

CAPUT XIV.

De Gallo , ac Gallina.

GALLUS, Gallina, & Capo Animalia nota omnibus, præbent ob uſus medicos Cerebrum ; Tunicam Ventriculi, Teſticulos, fellem, Pinguedinem , ſtercus , Ova &c.

Primo Gallina nigra adhuc viva per medium diſſecta in phrenitide Cephalalgia , capiti raſo imponitur, & morſibus itidem venenatorum animalium ſimili ratione medetur quod è ſchola *Galeni* ad nos dimanavit ; Gallus circa anum deplumatus ex bubonibus venenum extrahit ; videatur *Petr. a Caſtro in obſerv. Medic.* , *& Rhodius centur.* 3. *obſerv.* 90. Cerebrum vim habet incraſſandi fluxuſque compeſcendi ; Gelu ſive decoctum Gelatinum Gallinæ veteris eſt inſigne nutritivum ; Jus Galli Veteris habet vim emolliendi , incidendi, abſtergendi, alvum ciendi, idque multo magis ſi medicamenta ſimilium facultatum incoquantur ; hinc celeberrimum eſt in tuſſi , Aſthmate &c. videatur *Meſves* , *& Severinus in Med. efficaci.*

Sanguis Galli deſtillatus ſuggerit ſpiritum egregiè venereum,

& rectificando acquiritur ſpiritus urinoſus quo ſæpe utebatur in ægris ſuis *D. Joh. Michaelis.*

Tunica interior Ventriculi ſiccata laudatur in ſtomachi debilitate; Verùm *Galenus* 2. *de ſimpl. med. facult.* ait vanam ſe hanc promiſſionem expertum eſſe & hæc virtus Tunicæ iſtius etiam habetur pro Fabula à *Michael. Ettmullero in Schröder. dilucidat. pag.* 237.

Teſticuli Galli febribus medentur, monente *Schrödero*, ſumpti in tuſſi, ac dyſenteria proſunt ſcribente *Alexandr. Venturino*; & ulcuſcula meatus urinarii ſanant docente *Bald. Piſanello in Annotation.*

Fel illitum maculas cutis aufert. Pinguedo Gallinarum, & Caponum, calefacit, emollit, humectat, unde convenit in labiorum rimis, in glandularum duritie, in aurium dolore, & oculorum puſtulis.

Guttur Galli tollit, ſumptum ante cœnam, mictum involuntarium nocturnum, videatur *Solenander*, *Michaelis*, *Foreſtus*, *Hoffmannus*, & alii Practici.

Stercus contra Anginam facit videatur *Joh. Kethan.*, contra venena eſt, videatur *Al. Venturinus*; contra Alopeciam, videatur *Sextus Placitus*; contra Calculum, videatur *Schröderus.* Plura de hujus ſtercoris virtutibus apud *Quercetanum*; & *Harttmannum.*

Ova Medicinæ dant primo teſtas, ſecundò membranulas, tertiò albumen, quartò vitellum; Ova autem revera ſunt fructus gallinarum, & tanquam ſimulacrum Univerſi, ut loquar verbis *Frider. Hoffmanni*, & analogia quadam quaternarium elementorum numerum repræſentantia. Adeſt enim in his concavitas aëre plena, albumen aquæ elementum, vitellus ignis ſphæram, & cortex terram deſignat; In iſtis ovis duplex viget Virtus, plaſtica, & nutritiva: Albumen, cui particula albicans ſemen Galli ſupplens innatat primum, dat Pullo augmentum, ſeminis ideam referens, poſtremò verò vitellus ſolidioris, & nutritivæ magis virtutis; Excluſo jam pullo aliquæ reliquiæ de Vitello ſuperſunt, quo uno, aut altero die nullius cibi indigus Fœtus victitare poſſit. Teſtæ ovorum vim habent lithontripticam,

tripticam, tartareamqne mucilaginem incidendi; videatur *Ettmullerus & Schrôderus*: membranulæ vim habent diaphoreticam, & rimas labiorum ſanant impoſitæ; videatur *Matthiolus & A. Venturinus.* Albumen vim habet refrigerandi, adſtringendi & agglutinandi; Unde vulnera oculorum conſolidat cum ſaccharo ſaturni mixtum: videatur *Ettmullerus.* Verùm *Hippocrates* exhibebat febricitantibus albumina tria aut quatuor ovorum ad refrigerandum, & egerendum. Vitellus vim habet anodynam, maturat, digerit, & laxat; Particula Vitelli indita cum nodulo ex linteo facto in Anum loco ſuppoſitorii adhibetur à multis; clyſteribus immiſcetur; vitellus apoſtemata tollit impoſitus, ex hoc oleum exprimitur, quod valet in vulnerum conſolidatione &c. de quo in *diſpenſator. Auguſtano*, *& Norimbergenſi.* Paratur quoque oleum ex albumine ovi, quod ſummum articulare putatur à multis; de hoc mentionem facit *Joh. Schröderus*: *Franciſc. Gallina* & alii.

Notandum autem Autores ſæpè mentionem facere de lapide alectorio in Ventriculo decrepiti Caponis invento; ideòque, & ego pauca de iſto ſcribam; Hunc lapidem verè vidit *Frid. Hoffmannus* in Capi decrepiti Ventriculo Anno 1672. die 21. Martii ad nucis avellanæ magnitudinem; ideòque vanum eſt dicere fabulam eſſe, ut multi aiunt; Varias ipſi adſignant vires Medici; dicunt enim ori incluſum ſitim, & æſtum Cordis ſedare, Venerem excitare, conſtantiam, & eloquentiam gerenti tribuere, robur in thoro geniali excitare.

CAPUT XV.

De Grue

MEDICINA primò ſumit Gruem integrum, inde ſeorſim pinguedinem, fellem, Caput, oculos, Ventriculum, & medullam tibiæ: Hujus Animalis hiſtoria apud *Hortum Sanitatis* eſt.

Avis iſta quia nervoſa eſt, nervoſis partibus convenit, & uſus ejus commendatur in colicis doloribus. Pin-

Pinguedo ſurditatem tollit auribus inſtillata, & lienis duritiem emollit cum aceto ſcillitico ſubacta; vid. *Joannes Schrôderus in ſua Pharmacopea.*

Fel oculis prodeſt, caput, oculi, & Ventriculus pulveriſata fiſtulis, ulceribus, ac Cancro inſperguntur: Et medulla tibiæ inſervit pro unguento ophthalmico.

CAPUT XVI.

De Hirundine.

ALIA eſt Hirundo domeſtica, & alia ſylveſtris, quæ vel eſt riparia vel muraria; Hirundo domeſtica in ædibus ædificat nidos ſuos: Riparia in ripis aquarum inhabitat, unde & aquatica dicitur, & italicè *Rondone dà Aqua; muraria* nidum parietibus templorum appendit; prævalet autem Riparia; hujus partes Medicinæ inſervientes ſunt Cor, Sanguis Lapilli, nidus, & ſtercus.

Ex integra hirundine aqua deſtillatur admirandæ virtutis contrà morbum caducum: Cor epilepſiæ itidem confert.

Certum eſt in hirundinum nonnullis Pullis reperiri parvos lapillos in ventriculo, qui Chelidonii dicuntur, & contra affectus oculorum, & Epilepſiam ſunt efficaciſſimi, videatur *Ettmullerus.*

Nidus eſt uſitatiſſimum remedium contra Anginam: de hoc videatur *Frideric. Hoffmannus, clavi in Schröder. & Regius in Prax.*

Sanguis oculorum affectionibus medetur, & epilepſiæ &c. Stercus calefacit, & maturationem promovet; bibitum autem morſus canis rabidi ſanat monente *A. Venturino.*

CAPUT XVII.

De Milvo.

MILVUS ſive milvius Animal eſt e genere Accipitrum acuti viſus, articularibus morbis obnoxium; & dat medici-

næ

næ caput, Jecur, Sanguinem, fellis humorem, ſtercus & Pinguedinem.

Milvus primo incineratus, & exhibitus Podagræ ſubvenit; doſis ℈. ß ad ℈ j eſt: Idem fertur de capite; Hepar in oculorum medicamentis adhibetur. Sanguis Podagricos juvat. Fel ocularíis additur: ſtercus articulis felici cum ſucceſſu imponitur; & pinguedo articulorum doloribus illinitur; videatur *Schrôderus.*

CAPUT XVIII.

De Motacilla.

MOTACILLA dicitur Paſſer aquaticus, & eſt Animal caudæ tremulæ circa flumina degens; cujus pulvis vim miram habet in calculis atterendis, ut multi medici volunt; experientia adhuc tamen hoc non eſt comprobatum: vid. *Eric. in epiſtol. de Avib.*

CAPUT XIX.

De Noctua.

NOCTUA dat Medicis Caput, carnem, fellis humorem, Pinguedinem, ſtercus, & ſanguinem.

Noctua combuſta, & cum melle ſubacta imponitur apoſtemati tonſillarum, vel Anginæ ſuppuratæ; Videatur M. *Ettmullerus in Schröder. dilucidat. pag.* 236.

Caro curat Paralyticos monente *Plinio*; Melancholicos dictante *Rabbi Moyſes*, *&* *Weckero in Antidotar. ſpec.*

Caput noctuæ brachio ligatum eſt contra lethargum; videatur *Carolus Stephanus.* Fel ad maculas oculorum valet; videatur *Schrôderus.* Pinguedo aciem oculorum acuit; vid. *idem*: ſtercus verrucas tollit; videatur *Avicenna,* Sanguis demum ortum pillorum prohibet; videatur. *Conſt.*

CA-

CAPUT XX.

De Olore.

OLOR Cygnus dicitur, & avis eſt ad genus Anſerinum; hujus, Partes medicinæ inſervientes ſunt Pulli, Adeps, & Pellis.

Pulli Cygni in oleo cocti addita medulla Cervina podagricis proſunt, ſcribente *Schrödero.* Adeps eſt utilis in hæmorrhoidibus; & cutis lentigines tollit monente *eodem Auctore.* Pellis Colicos juvat, docente *Michaele Ettmullero.*

CAPUT XXI.

De Paſſere.

PASSER duplex eſt, Alius Vulgaris alius Troglotides numcupatur: vulgaris nihil ſuggerit niſi quod ſtimulat Venerem & ſtercore ſuo varices extirpat monente *Hali Abbate; König. regn. Animal.*

Troglotides in Affectibus Calculorum adhibetur; unde *Ettmullerus* novit quendam, qui in paroxyſmo Iſchuriæ aſſato Troglotide in cibo comeſto convaluit. Hujus præparatio, autem diverſiſſime traditur; Alii deplumatum prius, abjectis viſceribus, ſalis, ac piperis aſpergine condiunt, & crudum ægrotantibus in totum devorandum exhibetur; ut autem mumia hæc medicinalis conſervetur elegantiori coquina alii palato magis indulgentes paſſerculum, nec deplumem nec eviſceratum adjecto ſalis, & piperis modico in Vitreatum conjiciunt, & addito operculo ad cinerationem torrent; & toſtum in ſubtiliſſimum pulverem in hauſtu Melicrati drachmatim propinant? Alii Avem citra minimam ſanguinis effuſionem occiſam plumis, & extimis vacuam, ac petroſelino, ſale & baccis Juniperi pulveriſatis planè refertam decocto ligni nephritici ex Vino Rhenano facto immergunt, ità ut liquor duos latos digitos in Vaſe

ſuper

ſupereminеat, maceratione unicæ noctis facta in diplomate occluſo blande coquunt; coctam ab igne levant, donec reſrigeſcat, refrigeratam Calculoſis exhibent jejuno ſtomacho.

CAPUT XXII.

De Pavone.

PAVO Avis medica dicitur, cujus partes medicinæ inſervientes ſunt Adeps, Fel, ſtercus; Pennæ, & Ova. Adeps colicos affectus optimè ſanat; vide *Schrôderum.*

Jus Pavonis pleuriticis prodeſt; Fel oculorum caligines tollit: vide *Dioſcoridem*: ſtercus laudatur contra vertiginem & epilepſiam; videatur *P. Borellus*, *Crato.* &c. ex hoc fit ſyrupus Antepilepticus, de quo apud *Schröderum.*

Pennæ valent in ſuffitu adverſus uteri aſcenſum; videatur *Quercetanus in Pharm. reſtit.*, & proſunt in inflammatione mammarum, & ratio eſt, ait *Ettmullerus* quod habent Signaturam mammæ admodum pendentis.

Ova demùm ad curandam Arthritidem vagam exhibentur à multis Empyricis, vid. *Sanctorel. & Walther.*

CAPUT XXIII.

De Perdice.

PERDIX avis eſt ſalaciſſima vivaciſſima ad annos 16. cujus partes medicis uſibus inſervientes ſunt Caro, medulla, Sanguis, Jecur, Fel, Pennæ, & Ova.

Jus Perdicis corroborat ventriculum ſumptum; videatur *Sextus Placitus.*

Caro comeſta lac auget; medulla, ut & Cerebrum icterum ſanat. Fel quotidie temporibus inunctum juvat & promovet memoriæ uſum; videatur *Frider. Hoffmannus.*

Sanguis vulnera oculorum conſolidat ; videatur *Schröderus.* Jecur morbo regio reſiſtit ; vid. *Crato.* Pennæ tormina Ventris compeſcunt ſi in ſuffitu adhibeantur.

Ova Perdicis nigros provenire capillos faciunt ; vide *Regium* : partum accelerant ; vide *Piſanellum & Venturinum.*

CAPUT XXIV.

De Pica.

EX Pica paratur aqua antepileptica ſummæ virtutis in affectibus maniacis, epilepticis, melancholicis cujus deſcriptio eſt ſequens, nempe ℞. liquoris Tiliæ ℔. iv. Phlegmatis Vitrioli, Vini generoſi, ana ℔. ij. quibus ſucceſſivè immergantur Carnis picæ ℔. ß. florum. Tiliæ, Liliorum Convallium, primulæ Veris, Pœoniæ, Anthos, Lavendulæ *ãã.* ℥ ij. Cinnamomi, ℥ j. nucis moſchatæ, Cardamomi, Carpobalſami, *ãã* ℥. ß. ſeminis Coriandri ʒ. iij. Omnia debito tempore collecta, & infuſa deſtillentur in Balneo Vaporoſo ad ſiccitatem ſpecierum ; Aqua ſervetur.

CAPUT XXV.

De Struthiocamelo.

STRUTHIOCAMELUS qui referente *Plinio*, & confirmante *Jul. Cæſ. Scaligero* ferrum concoquit & juravit *Uliſſes Aldrovandus* ſe obſervaſſe Tridenti ferri fruſtula, a ſtruthione deglutita, quæ incocta rurſus excrevit, cui ſubſcribit *Henric. ab Heer.* ſcribendo ſe Patavii Struthionibus, experimenti gratia, dediſſe obulos, quos illi nec ſemigranulo leviores cum excrementis totidem numero reddiderunt Hujus partes Pharmacopœam intrantes ob uſum Medicum ſunt Ventriculi Tunica, Adeps

Adeps, & Ova. Ventriculi interior enim tunica ventriculum corroborat monente *Schrödero*.

Adeps contra iſchiadicos affectus prodeſt illitus; & hoc remedium ego pluries in aliis expertus ſum eſſe miræ efficaciæ: Ova calculoſis conducunt.

CAPUT XXVI.

De Turture.

TURTUR dat Adipem, Cor, ſtercus & Sanguinem.

Adeps ventri illitur in doloribus; videatur *Foreſtus in obſerv.* 10. *lib.* 28. Cor incineratum, & ſuper ova aliarum Avium ſparſum prohibet eorum ortum videatur, *Alex. Venturinus*: ſtercus urinam pellit, vide *Annot. Piſanel.* & *Videman.*

Sanguis applicitus oculis percuſſis medetur; vide *Dioſcoridem.*

CAPUT XXVII.

De Upupa.

UPUPA habet pro medicina Carnem ſuam, pennas, Cor, & linguam.

Caro, ejuſque decoctum colicos juvat; vide *Avicennam Fen.* 16. *trat.* 4. *cap.* 11. Pennæ impoſitæ Capitis dolores demulcent; vide *Hieron. Corteſium.* Cor Collo appenſum contra venena valet; vid. *Matthiolum* & *Venturin. ſecre.*

Lingua tandem Upupæ uſta, ac pulveriſata, ſuper caput impoſita memoriam auget; vid. *Hier. Corteſium.*

CAPUT XXVIII.

De Vulture.

VULTUR Avis eſt pollens facultatibus animalibus, ac præcipuè odoratu. Ex hoc Animali in Medicum uſum veniunt Caro, Adeps, Cerebrum, Fel, Pennæ, & fimus.

Caro convenit in affectibus capitis, & egregium eſt remedium cum Maſtiche aſſata, & pulverizata contra nimiam hæmorrhagiam uterinam; imò in dyſenteria hoc monente *Foreſto*; & hoc confirmante *Hildano* qui ait ſe hoc remedio curaſſe dyſenteriam citra ſpem.

Pinguedo convenit nervis: Cerebrum ſubvenit capitis imbecilitati: Fel epilepſiam arcet ſumptum cum vino: Pennæ partum potenter promovent ſi pedibus ſubdantur. Fimus nidore Partum excutit; videatur *Weckeri Antidotarium.*

PARS TERTIA,

DE PISCIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Anguilla.

ANGUILLÆ Medicinæ præbent pinguedinem Caput, Sanguinem, Hepar, Exuviaſque, & vivit ad annos. 20. vide *Franc. Bacon.*

Pinguedo pro reſtituendo auditu commendatur à *Schrôdero*; ab aliis pro hæmorroïdum dolore leniendo; vide *Burnetum.*

Caput verrucas ſanat impoſitum: Sanguis cum vino ſumptus colicos ſanat dolores; jecur cum felle ſiccatum, & pulveriſatum in vino potum à *Panarolo*, *Boyleo*, & *Helmontio.* commendatur in difficili partu; hoc enim pharmaco in ſtomacho adhuc exiſtente, fœtus ſtatim propellitur, quia ſtomachus claves Uteri gerit. Cutis, Anguillæ elegans remedium ſuggerit in uteri procidentia, ubi ſuffitus inde inſtituatur, quo *D. Michaelis* feliciter fuit uſus.

Notandum autem multos dicere, Vinum in quo Anguillæ ſuffocatæ fuerint abſtemios reddere bibentes.

CAPUT II.

De Barbone.

BARBO piſcis eſt Culinis ſatis laudabilis, cujus ova ad vomitum ciendum adhibentur à *Quercetano* & *Horſtio.*

Obſervat *Timæus* Choleram morbum excitatum eſſe ex eſu, & uſu ovorum Barbonis, quam beneficio Alexipharmacorum, & Bezoarticorum ipſe curavit; Cauti ergo eſſe debemus in Barbonis uſu.

CAPUT III.

De Blata Bizantia.

HOc Animal ſpecies concharum eſt, odore Caſtoreum æmulans; Internè, hoc Animal laxat alvum, ſplenem mollit, vitioſoſque humores diſcutit; externe autem fœminas ſtrangulatu Uteri oppreſſas excitat ſuffitu; in reliquis idem præſtat, ac aliæ concharum Teſtæ, Notandum Blatas *Dioſcoridis* eſſe è genere vermium nobis incognitas; de his videatur *Dan. Ludovici Pharm.*

CAPUT IV.

De Cancro Fluviatili.

CANCRI vocabulum generaliter uſurpatur à *Plinio*, dum includit omnia Cancrorum genera ut *Carabos*, *Aſtacos*, *Maias*, *Paguros*, *Heracleotivos*, *Leones*, & alia ignobiliora; Propriè tamen loquendo Cancri vocantur qui cauda carent, & *Gammari* qui illa ſunt prædíti, licet inter iſtos ſit confuſio.

Sunt

Sunt temperiei frigidæ ac humidæ, unde refrigerant; & humectant, referente *Frider. Hoffmanno. comment. in Schröder. Pharmacop.*

Ex Cancro Medicina ſumit Oculos, & putamen.

Succus cancrorum expreſſus cum opio mixtus, & croco, fronti feliciſſimè applicatus à *Rulando* ſanavit dolorem capitis cum delirio.

Lapilli ſeu oculi nihil aliud ſunt quam liquor tenuis, aquoſus, lacti haud abſimilis, qui obdureſcit in lapideam ſubſtantiam & poſiti ſunt ſuper ſtomachum; videatur *Helmontius de lithiaſi*, *Jac. Hannemannus*, *Phil. Jac. Sachſius* &c. ii turgent Sale volatili alkalino, & ob ſuam vim acidorum deſtructivam conveniunt in ſtomachi ardoribus, torminibus alvi, pleuritide, Angina, febribus, nephritide &c. Ex iſtis paratur Magiſterium, & oleum ſive liquor, de quibus apud *Schröderum*.

Putamen ſcabiem Puerorum ex falſis humoribus ſanat, oleo roſarum permixtum, & illitum. Plura apud *Gul. Johnſon. Lexic. Chim.*

CAPUT V.

De Carpione.

CARPIO piſcis eſt notus, limo, & muco vivens cujus partes Medicinæ inſervientes ſunt Fel, Axungia, Lapis triangularis, & lapilli oblongi: Hujus Hiſtoria habetur optimè ab *Hippolito Salviano*.

Fel eſt ſpecificum egregium contra eryſipelata, & oculorum nubeculæ ſubvenit monente *Schrödero & Lotticbio*. Axungia nervorum affectibus medetur. Lapillus triangularis in capite repertus in Pleuritide prodeſt; & lapilli ſupra oculos exiſtentes nativæ ſunt congeneris cum lapillis cancrorum; ideòque deſtruunt acida, & contra eryſipelata, epilepſiam &c. commendantur ab *Ettmullero in Schröd. diluc.*

CA-

CAPUT VI.

De Ceto , & Manati.

CETE nomen, generaliter piſces vaſtos viviparos denotat, ſpecialiter tamen pro maxima eorumdem ſpecie ſumitur, quæ ob vaſtam ſuam magnitudinem, ac conformitatem quadrupedes æmulatur; de variis Cetorum generibus, videatur *Ulyſ. Aldrovandus*, *Geſnerus*, *Johnſtonius*, *Wormius*, *Thom. Bartholinus*, & *Franzius* Ex hoc in uſum medicum veniunt Pinguedo Priapuſque. Pinguedo ſcabiei medetur illita monente *Joh. Schrödero.* Priapus ſumitur pulveriſatus pro arcano in dyſenteria, docente *Joh. Daniel. Major. in Tractat. de Ceti Priapo.*

Cetorum generibus annumeratur Piſcis *Manati* dictus de quo apud *Schröderum* ex hoc Animali in uſum veniunt lapilli ex capite exempti, qui contrà calculum uſurpantur pulveriſati, & ſumpti ad. ℈. j. vide *Act. Med. Hafnienſ.*, & *Mundii Opera Medica.*

CAPUT VII.

De Concha.

CONCHA eſt genus piſcium capite deſtitutum, teſtis, quas eodem nomine conchas vocant circumvallatum; aliæ autem ſunt conchæ nobiles, aliæ ignobiles: nobiles dicuntur margaritiferæ, quas vide Lector Bonevole in *lib.* 3. *cap.* 7. *Pharmac. Schröd.*

Pertinent verò huc Oſtreæ &c. quæ creſcunt cum lunæ incremento, ac decreſcunt cum decremento ejuſdem turgent ſucco alcalino qui in atrophia, Phthiſi, Lue gallica, &c. convenit, ex iſtarum teſtis Magiſterium conficiunt cordiale cum Aceto deſtillato, vel Spiritu Vini. Caro Oſtreæ in Cibo quartanas fugat; vide *Schröderum.* Ex teſtis autem harum fit famoſum illud antifebrile *Crollianum*; de Oſtreis plura dabit *Henricus Mundius in oper. Medicis. pag.* 286.

C A-

CAPUT VIII.

De Equo Marino.

Equus Marinus eſt Animal marinum degens in Mari, formam equi præſentans exceptis pedibus, à quo medicina ſumit Pellem, Dentes & Penem. Pellis hujus Animalis adeo dura eſt, ut vix lancea perforatur, & delata à Paralyſi immunes reddit gerentes *Fr. Hoffmannus.* Dentes diarrhœam, fluxum hæmorrhoidum, Scorbutum, ſanant; videatur *Alexander Venturinus in Secret. Animal.* Penis totus eſt prædicatus tanquam ſingulare remedium in Calculo; ejus pulvis partum promovet, & urinam expellit; videatur *Ol. Wormius in Muſæo, & Ranchinus de Partu.*

CAPUT IX.

De Haleco.

Halecus Piſcis eſt marinus familiaris Oceano Baltico, ex quo in medicum uſum veniunt Veſiculæ, ac Murina. Veſiculæ, Animæ dictæ ad numerum novem exhibitæ urinam cient monente *Schrôdero in Pharm. l. 5.* Integer halecus ſalitus Imponitur plantis pedum ad æſtum febrilem domandum; vid. *Jo. Kunckelius in obſervat.* Muria uſurpari ſolet pro Clyſmate in Hydrope; externè etiam eſt remedium pro abluendis partibus ulceroſis videatur *Mich. Ettmullerus in Schrôder. dilucid. part.* 1. *Sect.* 3. *pag.* 242.

CAPUT X.

De Huſo Ichthyocolla.

De hoc Piſce familiari in Danubio nihil in uſu medico eſt niſi Glutem, cujus uſus eſt in Emplaſtris glutinantibus,

& paratur ex oſſibus & partibus mollioribus ejus inſtar aliarum gelatinarum, & pro conſolidatione uſurpatur.

CAPUT XI.

De Lucio

Lucius Animal notum eſt omnibus, à quo medicina ſumit fel, Cor, mandibulam, oſſiculum cruciforme, Axungiam, ac ova, cum lapillis.

Fel ſumptum febrem arcet vide *Schröderum*; oculorum nubeculis inſervit; vide *Ettmullerum*. Callos pedum delet impoſitum, vide *Venturinum*. Cor adverſus febres devoratur; mandibula commendatur in pleuritide, quia acidum abſorbet, & ſanguinem congrumatum diſſolvit. Oſſiculum Cruciforme ex Lucii capite, aſſumptum contra Epilepſiam eſt. Axungia ad tuſſim demulcendam facit, illita pectori: Ova Vomitum, ac alvum cient; vid. *Schröderum*, *&* *Moxium in mat. med.* Nuper ex Lucio duos Lapillos extraxit *Fridericus Hoffmannus* quos reſervat in ſuo raritechio; qui calculos ſolvendi virtutem habent, ut ego credo.

CAPUT XII.

De Matre Perlarum.

Mater perlarum ſpecies eſt Concharum in quibus Margaritæ reperiuntur; ex hac Magiſterium Cordiale paratur; & ingreditur pulverem Antifebrilem tanti nominis *Strobelbergeri*: vide *Jungken. med. præſent. ſæc. accomod.*

CAPUT

CAPUT XIII.

De Muſtela.

EX Muſtela medicina ſumit Hepar, Ventriculum & ſpinam Hepar in Vitro ſuſpenſum calorique expoſitum in liquorem abit flavum valdè utilem in oculorum hebetudine ac nubecula; vid. *Foreſt. Lindan. in Harttman. & Mund. de eſculent.* Ventriculus commendatur pro uterinis affectibus, à *Schrödero.* Spina pulveriſata, acſumpta caducum morbum curat; In ſpinæ autem initio inveniuntur lapilli, qui Epilepſiæ item medentur, de quibus, vide *Frid. Hoffman. loc. citat. & Scheunemannum.*

CAPUT XIV.

De Perca.

PERCA dat tantum lapides in Capite repertos, qui præparantur, & valent in Calculo; & ſunt majoris efficaciæ, ut ait *M. Ettmullerus* quam ſint oculi Cancrorum.

CAPUT XV.

De Rana Aquatica.

RANA in aquis puris degens, dat medicinæ, Cor, Hepar, Fel, adipem, ſperma, & pellem.

Primò autem Rana cocta in aceto dolorem dentium ſedat; vid. *Venturinum* pulveriſata, & ſumpta phthiſim curat; videatur *Matthiolus*, & alii. Cor, inſigne antepilepticum eſt; vide *Schröderum & Mizaldum.* Hepar exſiccatum, & pulveriſatum contra quartanas exhibetur à *Cratone* cum aqua Millefolii: Fel peculiariter oculorum affectibus medetur; Pinguedo

auribus indita dolores ſedat : ſperma ranarum nihil aliud eſt, quam ova ranarum mucilagine quadam aquea involuta ne tam facile corrumpatur ; ſi ſalis tantillum in eo ſolvatur valdè durabit hoc ſperma ; quod ſcabiem curat, ex hoc Aqua deſtillatur vel Balneo Mariæ vel Balneo Vaporis lento igne, miræ virtutis in ſiſtendis Sanguinis profluviis faciei rubores delendo &c. Ex ſpermate vero ranarum cum Mercurio ſublimato deſtillatur aqua pro puſtulis faciei Gallicis, de qua vide *Theſaur. Pharmaceutic. Friderici Hoffmanni Sect. 2. num. 2.*

CAPUT XVI.

De Sepia.

SEPIA dat medicis os, humorem, & Ova. Hujus os gonorrhœam ſiſtit, Calculos pellit, ſudores ciet, quia ſal volatile peculiare continet : unde ex hoc *Langius* pulverem ſuum præcipitantem paravit. Humor ater aſſumptus alvum movet monente *Schröder. & Scheunemanno.* Ova renes, & Ureteres abſtergunt, menſes, & urinam cient.

CAPUT XVII.

De Sturione.

OSSA Sturionis commendantur in Arthritide vaga, exhibita ; vide *Foreſt. lib.* 20. *obſerv.* 12. *in Epiſtola D. de Brabe* : Hinc *Schröderus* ea laudat in colicis doloribus fugandis.

CAPUT XVIII.

De Teſtudine.

TESTUDO Marina dat Crura, Sanguinem, & fellis humorem Crura commendat contra podagram *Solenander.* cum *Schenckio*,

ckio, *Porta*, *Rhaſi*, *Conſtantino*, & aliis. Sanguis fiſtulas ſanat impoſitus; vide *Alex. Venturinum pag.* 109. Fel oculorum affectibus medetur.

CAPUT XIX.

De Thymallo.

HOc Animal dat tantum Axungiam, quæ in Vitro clauſo exponatur Soli; ſic liqueſcit, ac depuratur, datque liquorem oleaginoſum, elegantem, rubicundum, qui eſt remedium contra foveas variolarum, & contra Cicatrices, oculorum maculas &c.

CAPUT XX.

De Tinca.

TINCA Animal notiſſimum eſt, ex quo in Medicum uſum veniunt fel, & lapillus. Fel commendatur à *Schrôdero* ad aurium affectus. In capite Tinca gerit lapillum, ut Carpio, qui ad ſimiles affectiones exhiberi poterit, quo dictus Carpionis lapis. Vi poſtea curandi Icterum commendatur hoc Animal, unde viva alligatur plantis pedum à multis; at à *Moebio* hepatis regioni applicatur, unde flaveſcit eo in loco; vid. *Ettmullerum.*

CAPUT XXI.

De Trutta.

TRUTTA dat adipem, maxillas, ac lapillos. Adeps illinitur utiliter ani fiſſuris: maxillæ ad epileſiam uſurpantur, & Lapilli etiam colliguntur viribus Carpionum lapidibus pares; videatur *Joannes Schröderus in ſua Pharmacopœa med. chymic.*

CA-

PARS QUARTA,

DE INSECTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Ape.

APIS inſectum eſt mellificans vivens tum florum melligine tum melle ex illa melligine confecto; Medicinæ inſervit melle, Cera, & Propoli.

Apes autem calcinatæ contra alopeciam laudantur: mel tantam vim habet, ut menſtruum pro metallorum reſolutione etiam nobilium conſtituit monente *Ettmullero;* Propter rorem autem certè ſingulare quid latet in melle. Cæterum mel ut corpus dulce in receſſu obtinet duo ſalia, acidum, & alcali; acidum ſe manifeſtat quando deſtillatur; & ſi fermentantur, dat Acetum acerrimum; ob ſal autem univerſale quod mel continet vim habet conſervativam totius corporis, & internè præſervat omnes putredines, & vim vitalem ſenum reſuſcitat, in Chirurgia mel egregiè mundificat ulcera; Mel autem depuratur rectè per manicam Hippocratis; Fit mel deſtillatum, ſpiritus, & oleum; quæ omnia pellunt urinam, atterunt calculum, ac reſerant obſtructiones; oleum autem mellis lenit podagricos dolores ſi locus affectus eo inungatur; Fit acetum mellis de quo *Harttmannus*

mannus in Croll. Fit tinctura de qua *Beguinus* ; Quinta eſſentia de qua *Schrôderus* &c.

Genuinum Turcarum Ruſma paratur ex melle, quod ad ſpiſſitudinem inſtar ſapæ incoctum & loco dropacis cum violentia abrumpitur; vide *Frider. Hoffmanni. comment. in Schrôder.*

Cera ingreditur Emplaſtra; ex hac fit oleum ſummè diureticum, Balſamum, & magiſterium quæ optima ſunt in dyſenteria ſananda. Propolis eſt ceroſa, rudis, & craſſa materia in alveorum foribus inventa, quæ calefacit, abſtergit, anodyna eſt, ac ulcera deſperata curat, vid. *Pigræum Chirug.*

CAPUT II.

De Araneo

ARANEUS præter ſe ipſum dat pro uſu medico telam; Iſte febriles arcet paroxyſmos unde ex hoc conſtituit emplaſtrum ſuum *Strolbelbergerus* de quo *Schrôderus.* Narrat *Ettmüllerus* Ruſticum quendam araneis pulveriſatis propinatis multos a febri liberaſſe; paratur etiam ex araneis oleum à *Minderero*, cujus uſus eſt in febribus peſtilentibus ſi carpis manuum, temporibus, & ſtomachi regioni illinatur. Fabulæ autem putantur à *Fr. Hoffmanno* quæ de lapide aranei communiter perhibent multi; vide *Sim. Pauli Quadr. Botanic. Cl.* 2. *pag.* 163. Tela conglutinat, ideòque vulneraria eſt & ſanguinem cohibet; vide *Jo. Schrôderum in Pharm. lib.* 5. *&* *Henriquez.*

CAPUT III.

De Aſellis.

ASELLI in locis humidis oriuntur, & colligendi ſunt illi, qui inveniuntur intra fiſſuras lapidum Murorum antiquorum: ii ſale nitroſo admodum volatili ſcatent, unde ex

iis paratur remedium contra calculum à *Laurembergio*, *Horat. Augenio*, *Sennerto*, *Lindano* aliiſque. A modernis medicis contra arthritidem vagam ſcorbuticam adhibentur in oleo autem macerati contra hæmorrhoidum dolorem valent; In ulceribus inveteratis miram habent vim Aſelli ſeu Millepedes, ſicut præter *Riverium* mirabilia recenſet *Rob. Boyle in Philoſoph. experimentali*, cum *Jo. Caſpar. Boxbergero in Prax.*

CAPUT IV.

De Bombyce.

BOMBYX dat ſemet ipſum, inde texturam bombycinam, ac folliculos ſericeos. Bombyces exſiccati, & pulveriſati inſperguntur vertici capitis ad arcendam Vertiginem, & Convulſionem; vide *Schrôderum.* Bombicyna textura ſpiritus reficit, unde ingreditur Compoſitionem Confectionis Alchermes, Diamoſchi &c. hæc autem tanquam inutilis rejicitur à *Frid. Hoffmanno.* Folliculi eandem virtutem habent, ac Textura ſericea &c.

CAPUT V.

De Cantharidibus.

CANTHARIDES ſive muſcæ Hiſpanicæ turgent ſale volatili acerrimo, ita ut veſiculas excitare valent: propterea Medici pro uſu veſicantium adhibuere; de quibus *Ettmullerus & Bacon. Hiſtor. nat.* Harum uſum internum *Schrôderus* prædicat rariſſimum, attamen ex iis *Hippocrates* potionem hydropicis propinavit; vide *Thom. Bartholin. centur. 5. hiſt. 82. Hoffmannum*, & *Dolæum Encyclop. Medic.* Ex iſtis magiſterium cum ſpiritu nitri & oleo tartari præcipitando conficitur maximè urinas movens; ſed cum fideli cautela & circumſpectione adhiberi debet; vide *Lemery.*

C A-

CAPUT VI.

De Cicada, Cicindela, & Cimice.

CICADA ſiccata, & ſumpta dolores colicos fugat, & cinis ejus inſigniter calculum pellit. Videatur *Schröderus*, & *Harch. Enchirid. med.* Cicindela in tenebris lucet, & monente *Cardano* vim anodynam habet; atque in calculo prodeſt, ſcribente *Schrôdero*: de hoc animali plura curioſa legi poſſunt apud *Roder. Caſtrens lib.* 4. *meteor. microc. cap.* 16. & *Sperlingium in Zoologia* & *Bacon.* Cimex ad fœtum, & ſecundinas eliciendas exhibetur in Vino; & hîc notandum, Succum herbæ hyoſciami lectiſternis inunctum Cimices necare; videatur. *Lotichius in Conſiliis Med.*

CAPUT VII.

De Formica, & Gryllo.

FORMICA dat Medicinæ Ova, & Acervum; Ova ad aurium gravitatem faciunt, malaſque hirſutas pueris infricata corrigunt. Acervi uſus eſt in Paralyſi, Arthritide lotione adhibitus: vide *Schrôderum.* Ex Formicis deſtillatur ſpiritus ab *Hoffmanno* qui memoriam confortat, & externè commendatur in Arthritide; vide *Theſaur. Pharmaceutic. Hoffman.* Plura de Arcanis ex Formicis paratis apud *Mich. Ettmuller. in Scrôder. dilucid. part* 1.

Gryllus commendatur ad diureſim; vide *Schrôder.* & *Grulingium.*

CAPUT VIII

De Hirudine, Lacerto, & Locuſta.

EXTERNE adhibetur Hirudo, ut Sanguinem exſugat; applicatur autem in nimiis Cephalalgiis temporibus de qua operatione videantur *Meæ Animadverſiones nuper impreſſæ.* item in pedibus, & brachiis pro evacuatione Corporis lenta: & in affectibus hæmorrhoidalibus podici applicantur: ſi autem pertinaciter adhæreant aſpergantur ſale, & ſtatim decident. Lacertus contrà ſtrumas commendatur ſiccatum & pulveriſatum. Ex oleo infuſum paratur, quod valet ad rubedinem faciei emendandam illitum. Lapis reperitur in ejus Capite valens contra calculum, de quo *Olaus Wormius in Muſæo lib.* 3. *cap.* 20. Locuſta collo appenſa quartanam fugat, vide *Schrôderum*, ac odor ſuffitu urinæ difficultatem tollit, videatur *Dioſcorides*, & *Welſchius.*

CAPUT IX.

De Lumbricis Terrenis, Muſca, & Ricino.

LUMBRICI terreni tempore pluviali æſtivo colecti tanquam ſpecificum in Arthritide Vaga ſcorbutica commendantur; veteribus in cura icteri frequens eorum uſus fuit; videatur *Wierus*, & *Drawitzius.* Contra panaritium nihil melius lumbrico vivo contuſo impoſito, videatur *Ettmullerus.* Ex his autem lumbricis paratur oleum per infuſionem optimum in nervorum punctura; paratur, & liquor, ſpiritus, & pulvis de quibus apud *Schrôderum.* De lumbricis inteſtinorum dicunt multi ipſos pulveriſatos dari ad lumbricos necandos, quod non probat *Henric. ab Heer. lib.* 1. *obſ.* 9. An vero proſint nec ne? videatur *P. Athanas. Kircheri mund. ſubterr. vol.* 2. & *Frid. Hoffman. clav. in Schrôder.*

Muſca

Muſca alopeciis ſubvenit: itemque ejus aqua ſtillatitia quæ fit per ſe, vel cum melle vide *Schröder. Pharmac. lib.* 5.

Ricinus teſte *Plinio* ignes ſacros extinguit, & cum ſuo ſanguine illitus contumaces impetigines ſanat; videatur *Amatus Luſitanus cent.* 7.

CAPUT X.

De Pediculis & Salamandra.

PEDICULI devorantur ad num. novem ab aliquibus contrà Icterum; & in Atrophia à multis laudantur. In ſupreſſione autem urinæ pediculi immituntur in penis canalem, ut ſua titillatione urinam provocent; vid. *Zacut. Luſitan.*

Salamandra eſt Animal ex genere Lacertorum venenatum cujus hiſtoria apud *P. Athanas. Kircherum in Chin. illuſtrat.* An in igne lædatur vid. *Frid. Hoffmannus comm. in Schröder.*, *Ariſtoteles hiſtor. Animal*; *Ælianus*, *hiſtor. animal*; *Nierembergius hiſtor. nat. lib.* 4. *Th. Bartholinus*, *cent.* 2. *obſ.* 5. *Camerarius*, *Olearius*, *Matthiolus*, *Rhodiginus*, *Grube*; *Le Grand*; *&c.* Salamandra erodit, exulcerat, cujus cinis valet in ſcrophulis monente *Schrödero.* & *Jo. Paul. Wurffbaino. in Salamandrologia.*

CAPUT XI.

De Scarabæo, & Scinco.

SCARABÆUS triplex eſt Cornutus, Pilalarius & Unctuoſus, qui dicitur ab Italis noſtris *Cantarello.* Primus nempe Cornutus cornibus ſuis pulveriſatis contrà partum difficilem facit & oleum horum Cornutorum Scarabæorum per infuſionem factum ſuccedaneum eſt ol. ſcorpionum hinc multi aiunt hoc oleo pulſibus illito febrem excitari. Cornua iſtorum Scarabæorum ſuſpenſa collo infantum urinam cohibent; vid. *Schröder.*

 Scara-

Scarabæus Pilalarius valet in hæmorrhoidibus cæcis curandis, & oleo lini infuſus ſingulariſſimum eſt Anodynum, & valens contra aurium Dolores; de hujus Scarabæi pulvere multa notatu digna profert *Harttmannus in Pract.*

Scarabæus Unctuoſus urinam pellit, & vagam Arthritidem Auctore *Wiero* curat exhibitus in pulvere; idemque affirmat *Borellus*; Paratur, ex iſtis Scarabæis unctuoſis remedium antitartareum ab *Ettmullero* modo ſequenti ℞. ſcarabæi unctuoſi menſe maio vel medio Junii captos, & abſque attactu manus collectos, ſuffoca in ſpiritu vini; ſuffocati ita blande exſiccentur, exſiccati diſcindantur, & in eorum medio reperitur liquidum viſcoſum, quod eximitur, & aſſervatur; deinde ipſum Corpus pulveriſa cum proprio liquore unctuoſo, ut acquirat conſiſtentiam debitam: Poſtea ℞. hujus balſami. ℥. j. olei Aniſi, Caryophyllorum, ana, gutt. iij. miſce f. Pilulæ; & harum pilularum recipe gr. ij., & propina Arthriticis, & nephriticis mane jejuno ſtomacho in aqua ſambuci, vel roſarum; tunc æger moderatè vivat in diæta; ſic brevi poſt excitabitur ſtranguria, quæ per tres dies durabit; ſi verò non ſtatim ſuperveniat ſtranguria, reiteretur ſecundo die, & optatum habebis eventum in curanda calculoſa affectione: vid. *Mollembroc. de Arthrit. cap.* 13.

Scincus Animal. eſt aquatile ſquammis luteis veſtitum, & ingreditur tanquam Alexipharmacum Antidota, & præſertim Theriacam *Andromachi* & Antidot. *Matthioli.* Multi pinguedinem hujus animalis adhibent ad accendendam Venerem; & Matthiolus commendat roſtrum, & pedes eoſque cum vino propinat, hinc & carnes laterum commendat ad varios uſus; vid. *Jo. Schrôderus Pharm. Med. Chim.*

CAPUT XII.

De Scorpione, ac Teredine.

SCORPIO animal eſt forma cancros æmulans, iis tamen minus; An poſſibilis ſit Scorpionum ex cancris Generatio: vid.

vid. *D. Sachſius à Lawenheim in ſua Gammarologia* : An autem ex ocymo produci poſſit ſcorpio : videantur *meæ Animadverſiones nuper impreſſæ.* Urinam ciet Scorpio incineratus, & ſumptus monente *Sylvio de Le Boë*, *Bartholino & aliis.* tritus, ac impoſitus ictibus propriis ſubvenit ; videatur *Schröderus.* Et ſcorpione paratur primò oleum mediante infuſione cujus egregia vis eſt in acrimonia admodum volatili, diureticum eſt & habet vim anodynam, unde in aurium dolore cum bombace iis inditur ; itemque valet pro uſu antipeſtilentiali illitum pulſibus vid. *Isbrand. Diemerbroek lib.* 2. *de peſte cap.* 11. Paratur quoque oleum compoſitum ſcorpionum de cujus compoſitione legatur *Schrôderi Pharmacop.* cujus uſus ſæpe noxius eſt, dum poris cutis ità inviſcatis impeditur tranſpiratio, & veneni exitu intercluſo plus noxæ quam commodi ægro infertur. vid. *Frid. Hoffm. meſſ. medic. Spagyric. pag.* 648. Salivam hominis ſcorpiones interimere ait *Anton. le Grand in compend. curioſ.* ſed de hoc fides ſit penes experimentum. De Artificiali ſorpionum productione videatur *Athan. Kircherus in mundo ſubterran.* De ſcorpionibus impunè voratis, & araneis ſine noxa deglutitis curioſus quis eſt, legat, *Jo. Rhodium centur.* 3. *obſerv.* 91. *& Aldovrandum de inſectis lib.* 5. De ſcorpione quodam marino mentionem facit *Petr. Borellus in obſerv. medic. rar.* De ſcorpionibus in Italia aliquando innocuis monet *Plinius.* Hinc petum remedium eſſe ictibus ſcorpionum notat *H. Fuhrenius.* cum *Rhodio ſupra citato.* De variis ſpeciebus ſcorpionum vid. *Nicander. de Theriaca*, *Ardoyn. de Venenis*, *Grevin.* ; *Sennertus Prax. lib.* 6. & alii. Scorpionibus contrarium eſſe ſtellionem notat *Iſaac Cardos. in Philoſoph. liber. lib.* 5. *pag.* 408. De ſcorpionis ictus curatione leg. *Hieron. Mercurial. lib.* 2. *De Venen. cap. & Jungken. in med. præſ. ſæcul accomodand.* Notandum hic mirabilem eſſe herbæ ſcorpioidis in ſcorpiones potentiam, illi quidem hujus tactu ex occulta diſcordia examinantur, ut ait *A. le Grand. in Compend.* ; tantam enim inter eos antipathiam rerum omnium parens natura indidit ; Aſt quod mirabilius eſt exanimati ſcorpiones ſi helebori albi radice tangantur, ad vitam revocantur (ſunt verba ejuſdem *Le Grand.*) Propterea

ſcorpioides ſcorpionum ictibus impoſita feliciter, & citò illorum virus mortificat, ulcuſque ſanat monente *Dioſcoride lib.* 4. à cujus præſentanea in illos virtute à ſcorpione nomen ſumpſit, & ſcorpionides dicta eſt de hac herba plura apud *Simon. Paul. quadripar. botanic. claſſ.* 3. *pag.* 478. alioſque Botanicos. Morſui ſcorpionis medetur Aconitum, videatur *Oſwald. Crollius de ſignatur. pag.* 79. Pulegium aceto & ſale contuſum contrà araneorum, ac ſcorpionum ictus auxiliatur impoſitum; vid. *Hieron. Tragus lib.* 1. *hiſtor. ſtirp.* Theriacam commendat adverſus ictus ſcorpionum expertus *Anton. Benivenius. lib. de Abdit. morb. cauſis cap.* 56. Plus nocere mulieribus ſcorpionum puncturas quam hominibus ait *Plinius* cum *Matthiol. in* 2. *lib. Dioſcorid.* Scorpiones aſſatos conferre ad lapidem renum & colicam notat *Avicenna*: imò advertit hic Auctor, raphanum inciſum ſcorpiones educere à foraminibus. A vipera morſos ſcorpionem ſanare tradit *Galenus.* 11. *de ſimpl. med. fac.* Athenagoras Argivus dicitur à ſcorpionibus nunquam lædi potuiſſe. vid. *Gothofr. Moebius in Fundam. medic. pag.* 26. Amicum habuiſſe fatetur *Avicenna* qui propria induſtria faciebat ſcorpiones, & inter notatu digna refert *Hollerius*, ſe vidiſſe ſcorpionem in Cerebro unius Itali; de quo videatur *Jo. Riolanus meth. med. pag.* 47.

Teredo dat medicinæ farinam ſuam, quæ valdè exſiccat, unde ulceribus humidis feliciter inſpergitur; & hoc eodem titulo mulierculis noſtratibus admodum eſt familiaris in excoriationibus infantum exſiccandis videatur *Schröderus & Hoffmannus.*

Et hæc ſunt quæ de Animalibus medicamentoſis dicere Compendii lex permiſit; adeoque Zoologiam hanc parvam Divino Auxilio ad finem perduximus.

INDEX
CAPITUM
ZOOLOGIÆ.

PARS PRIMA,
De Quadrupedibus, de Serpente & Vipera.

CAP. I. *De Agno.* Pag. 369
De Alce. 370
De Apro. 371
De Aſino. 372
De Bove, & Vacca. 375
De Bubulo. 377
De Bufone. 378
De Cane. 379
De Capro, & Capra. 381
De Rupi-Capra. 382
De Capri-Cerva Orientali. 383
De Capri-Cerva Occidentali. 384
De Capreolo. ibid.
De Caſtore. 385
De Cato Zibetino. ibid.
De Cervo. 386
De Cochlea. 388
De Cuniculo 389
De Elephanto. ibid.
De Equo. 390
De Erinaceo. 391
CAP. XXII. *De Fele.* pag. 392
De Homine. ibid.
De Leone. 396
De Lepore. 397
De Lupo. 398
De Lynce. 399
De Moſchi Capreolo ibid.
De Mulo. 400
De Mure. 401
De Ove. ibid.
De Ranunculo Viridi. 402
De Rhinocerote. 403
De Serpente. ibid.
De Sciuro. 404
De Porco. ibid.
De Talpa. 406
De Taxo. ibid.
De Vipera. 407
De Vitulo. 408
De Unicornu. ibid.
De Urſo. 409
De Vulpe. 410

PARS

PARS SECUNDA, De Volatilibus.

CAP. I. *De Accipitro.* pag. 413
De Alauda. 414
De Alcedine. ibid.
De Anate. ibid.
De Anſere. 415
De Ardea. ibid.
De Ciconia. 416
De Columba. ibid.
De Cornice. 417
De Corvo. 418
De Coturnice. ibid.
De Cuculo. ibid.
De Ficedula. 419
De Gallo, ac Gallina. ibid.
CAP. XV. *De Grue.* pag. 421
De Hirundine. 422
De Milvo. ibid.
De Motacilla. 423
De Noctua. ibid.
De Olore. 424
De Paſſere. ibid.
De Pavone. 425
De Perdice ibid.
De Pica. 426
De Struthiocamelo. ibid.
De Turture. 427
De Upupa. ibid.
De Vulture. 428

PARS TERTIA. De Piſcibus.

CAP. I. *De Anguilla.* 429
De Barbone. 430
De Blata Bizantia. ibid.
De Cancro Fluviatili. ibid.
De Carpione. 431
De Ceto, & Manati. 432
De Concha. ibid.
De Equo Marino. 433
De Haleco. ibid.
De Huſo Ichthyocolla. ibid.
De Lucio. 434
De Matre Perlarum. 434
De Muſtela. 435
De Perca. ibid.
De Rana Aquatica. ibid.
De Sepia. 436
De Sturione. ibid.
De Teſtudine. ibid.
De Thymallo. 437
De Tinca. ibid.
De Trutta. ibid.

PARS QUARTA. De Inſectis.

CAP. I. *De Ape.* 438
De Araneo. 439
De Aſellis. ibid.
De Bombyce. 440
De Cantharidibus. ibid.
De Cicada, Cicindela, & Cimice. 441
De Formica, & Gryllo. ibid.
De Hirudine, & Lacerto, & Locuſita. 442
De Lumbricis Terrenis, Muſca, & Ricino. ibid.
De Pediculis & Salamandra. 443
De Scarabæo, & Scinco. ibid.
De Scorpione, ac Teredine. 444

JOSE-

JOSEPHI
LANZONI,
FERRARIENSIS &c.

DISSERTATIO MEDICA;
DE
CLYSTERIBUS.

ILLUSTRISSIMO VIRO

Virtute, Nobilitate, & Fama Celeberrimo

D. FRANCISCO REDI,

PATRITIO ARETINO

SERENISS. MAGNI ETRURIÆ DUCIS

ARCHIATRO PRÆSTANTISSIMO

Omnium Virtutum Genere inſtructo,

PHILOSOPHO EGREGIO

MEDICO INSIGNI,

ac POETÆ SUAVISSIMO,

HANC DE CLYSTERIBUS DISSERTATIONEM

Humiliter Dedicat

AUTHOR.

DISSERTATIO MEDICA, DE CLYSTERE.

CLYSTER, *Clyſterium*, item *Clyſma*, ſeu *Clyſmus* a multis appellatur, qui latinis idem eſt ac lavamen, ſeu ablutio; ab aliis *Enema* dicitur, quod verbum injectionem ſignificat; in genere omne medicamenti genus denotat, quod liquidum injicitur in quamlibet partem corporis, ut ſunt, Anus, Uterus, Veſica, Penis, Aures, Ulcera &c., undè poſtea Clyſter alius dicitur Auricularis, alius Uterinus, alius Veſicalis, alius Inteſtinalis &c. Latè ergò ſumptus Clyſter definitur medicamenti genus, quando liquidum in partem aliquam corporis injicitur; In ſpecie autem Clyſter dicitur injectio liquoris in anum, vel inteſtinum

rectum beneficio fiſtulæ alicujus, ſeu canalis; & de hoc præciſè in præſenti Diſſertatione dicendum.

Hujus remedii inventionem debemus IBIN Ægyptianæ Avi Ciconiæ non abſimili, quæ primò Clyſteris uſum demonſtravit, dum enim à pravis humoribus ſe gravari ſenſit, roſtro aqua marina impleto, podici adaptato excrementa depoſuit; *vid. Reies Camp. Elyſ. quæſt.* 3.

Clyſterum materia modò ſimplex eſt, modò compoſita, nunc enim ex oleo tantùm componitur Clyſma, quemadmodum fecit jam *Galenus*, dum Colicum dolorem Clyſtere ex ſolo oleo rutaceo infuſo confecto curavit; nunc ex ſolo lacte Clyſteres laudat *Frider. Hoffmannus Mater. Med.* ad alliciendos vermes; nunc ex vino in colica *Rondeletius*; ex ſanguine adhuc calente in fluxu hæmorrhoidali immodico *Platerus*; ex muria in doloribus iſchiadicis *Galenus*; ex urina pueri vinum bibentis in hydrope citatus *Hoffmannus*; aliique ex decocto hordei, juris &c. alios ſimplices conſtituunt Clyſteres ad varios debellandos affectus; *vide König. in compoſ. medic pag. mihi* 48.

Ut plurimum autem Clyſterum materia componitur, unde compoſiti Clyſteres habentur, qui fiunt ex certo liquore, in quo quædam coquntur, vel infunduntur, vel poſt coctionem aliquid additur. Dividuntur autem Clyſteres ratione propriæ facultatis; nam alii ſunt alterantes, alii emollientes, alii purgantes, flatus diſcutientes, adſtringentes, glutinantes, dolorem lenientes, vermes necantes, nocturni, nutrientes &c., de quibus nonnulla breviter ſingulatim dicamus.

Alterantes vel calefaciunt, vel refrigerant; primi conveniunt cum detergentibus, vel carminativis, ſecundi locum habent in æſtu febrili, in inflammationibus inteſtinorum, ad totius corporis refrigerium &c. *vid. Charras Pharmac. Reg. Gal.*

Emollientes ſunt vel ſimplices, vel compoſiti; primi ſunt, qui ex ſimplici conſtant materia, ut ex lacte, aqua tepida, jure vervecino &c. quæ omnes materiæ emollientes dicuntur; compoſiti vero ſunt, qui ex variis emollientibus componuntur, ut ex foliis malvæ, altheæ, parietariæ, brancæ urſinæ, violarum, oleo amygdalarum dulcium, butyro ſine ſale, &

Senner-

Sennertus addit ex *pulpa Caſſiæ*, quam tamen caſſiam emollientem non eſſe, immò antimonii venenatam qualitatem habere, docet eruditiſſ., ac nunquam ſatis laudatus *Leonardus a Capua* inſignis Doctor, ac Dominus meus ſemper colendus; Notandum ergo in Clyſteribus emollientibus, non facilè, ac temerè eſſe addenda irritantia, ac purgantia, ne morbi augeatur cauſa; ut ſæpè accidit Medicis illis, qui ſine methodo, ac ſumma negligentia ducti, Medicinam faciunt.

Purgantes ſequuntur Clyſteres, quatenus in decocto emollienti adduntur purgantia, ut ſunt folia ſennæ, diaphœnicum, confectio Hamech, & cætera à Medicis uſitata; hi maximè in melancholia apoplexia, epilepſia, Soporoſis affectibus, paſſione hyſterica, &c. quia non tantum ex inteſtinis, ſed ex corpore univerſo, diſcutiendo evacuant, & a ſuperioribus revellunt partibus, & circa hoc *Valeus* ait in Apoplexia interdum acres clyſteres è colocynthide præſcribere neceſſum eſſe, ut ipſum eliciant ſanguinem; *Hoffmannus* vitrum Antimonii, crocum metallorum mercurium vitæ, & ſimilia tutò in Clyſteribus urgente neceſſitate adhibet, non neglectis tamen corrigentibus; & ego fateri juſtè poſſum, elapſis diebus, Senem ab Apoplexiæ levis paroxyſmo liberaſſe ope Clyſteris in quo ſoluta fuerunt varia ſolventia remedia; Putat autem *R. de Graaf.* drachmam unam ſalis cum melle plus valere ad Clyſteres purgantes conficiendos, quam integram foliorum ſennæ unciam, hoc enim, ait ipſe, inteſtina melius irritare ad excrementorum propulſionem, quam omnia purgantia nulla per clyſteres acrimonia prædita; Diſſuadet autem *Crato* omnia enemata, quibus purgantia medicamina immixta ſint, nam, ait ipſe, ab his calor inteſtinorum debilitatur, ventoſitates augentur, & multa indè incommoda ſequuntur; Cui *Cratoni* contradicit, & rectè *Primeroſius lib.* 4. *de errorib. in Medic.*; dum ait, toto cœlo errare illos, qui ſolventes clyſteres fugiunt; Clyſma enim remedium innocentiſſimum eſſe monet, partem ſiquidem nobilem non tangit, cum ultrà craſſiora inteſtina non pervadat.

Abſtergentes præſcribuntur ex hordeo, furfure, roſis, beta, lupinis, ſaccharo, aliisque remediis vi detergenti præditis;

ditis ; cavendum autem, quod ſi inteſtinorum adſint Ulcera, præferenda ea remedia eſſe, quæ ſimul exſiccandi, & adſtingendi vi prædita ſunt, ut monet *R. de Graaf. de Clyſterib.*

Flatus diſcutientes, ſive carminantes componuntur ex ruta, anetho, baccis lauri, oleo camomillæ, electuario de baccis lauri, aliisque ſimilibus flatus diſcutiendi virtutem tenentibus; hinc notat *Frideric. Hoffmannus* conſultum eſſe Clyſteribus flatus diſcutientibus, emollientia, & leniter evacuantia admiſcere, alias majores excitare ſolent cruciatus.

Adſtringentes parantur ex polygono, Plantagine, roſis ſiccis, myrtho nuce cupreſſi, cydoniis, bolo armena, maſtiche, ſanguine draconis &c. relictis omnibus medicinis pinguedinem habentibus, nam oleoſa, & pinguia adſtrictioni eſſe contraria docet *de Graaf.*, & cum iſtis conveniunt quoque glutinantes, & qui fluxiones cohibent; iſtique Clyſteres variis modis ſuas exercere virtutes ſcribit *Fr. Hoffmannus.* Quidam enim, ait iſte Auctor, tenues incraſſant humores, quidam acres imbibunt, nonnulli inducunt inteſtinis cooperimentum, ne vel humoris ſævitiem, vel acrimoniam præſentiſcant. *vid. Eman. König. Amic. meus colend. in Compoſit. remedior.*

Dolorem lenientes, ſeu anodyni: clyſteres parantur ex emollientibus addendo flores Meliloti, croci, ſemen lini, fœnugræci, & aliquando narcotica, ut Philonii Romani drachmam unam, vel laudani opiati grana ſeptem &c. At obſervandum in dyſenteria non eſſe utendum hujuſmodi opiatis clyſteribus; nam obſervavit *Minadous*, omnes Dyſentericos, qui opiatis clyſteribus uſi fuere, mortuos eſſe; & ratio in promptu eſt; ulcera enim inteſtinorum ab opiatis ſordidiora redduntur; hoc quoque confirmante *Frid. Hoffmanno. mat. med. lib.* 1. *cap.* 10.

Clyſteres vermes necantes componuntur, dum mel, vel ſaccharum, cum Mercurio prius bene agitatum addat Pharmacopola, & ſic exitium lumbricis parabit; & ego ſæpe in Praxi feliciter ab fugandos vermes utor Clyſteribus ex lacte vaccino, & ſaccharo rubro, confectis.

De Nocturnis Clyſteribus mentionem agit *Hoeferus in Hercul. med. lib.* 3. qui noctu injiciuntur, & ad alteram diem aſſervan-

aſſervantur, ac tùm demum ejiciuntur; iſtique pondus unciarum ſeptem excedere non debent; nec improbandi ſunt, nam per diuturnam moram in inteſtinis excrementa optimè emolliuntur, & melius ad exitum diſponuntur.

An poſſint confici Clyſteres nutrientes; & num horum ope nutritio corporis haberi poſſit quærunt multi? *Celſus*, *Oribaſius*, *&* *Aëtius* Clyſteres nutrientes admittunt, cum aliis multis experientia ductis; multi enim ad plures Dies ſine cibo, ac potu, ſoliſque clyſteribus ex vino, ovorum vitellis contuſis, carnium electuario &c. confectis, vivi ſunt conſervati, quam opinionem egregiè defendit in Congreſſ. med. Roman. impreſſ. 1682. Romæ *Clariſſ. Hieronym. Braſavolus* Amicus meus ſemper colendus, ac omni Eruditionum genere inſtructus; Contrariam ſententiam tenent *Helmontius*, *Swalve*, *Wedelius*, *Graafius*, aliique; tantum abeſſe enim aiunt, quicquam corpori injecta Clyſmata addere, ut potius ab eodem detrahant; & ſanè, cum liquores per clyſteres ano infuſi, tenuia inteſtina, & Ventriculum non attingant, dicendum eſt, ipſos nutrire haud poſſe; quocirca legendus eſt ingenioſus *Dominic. de Marinis in citat. congreſſ. contrà Braſavol.* Concedo autem ego, tales Clyſteres robur afferre poſſe, & vires languentes reficere; ſed per hoc nunquam dicam ipſos nutrire; tunc enim liquoris injecti pars ſubtilior per inteſtinorum poroſitates tranſiens cum cruore ad cor rapitur, ſpiritus aliqualiter reficit; eodem modo, quò multi odoribus tantum recreantur, ac reſtaurantur, ut videre eſt apud *Laertium*, qui narrat de uno, qui odore panis calidi per triduum ſine cibo vixit; & quotidie videmus in Syncope affectis, ac fœminis hyſterica paſſione tentatis odoribus refocillari, ac recreari; Nego igitur, & ego, Clyſteres nutrire, & concedo tantum ipſos vires languentes poſſe reficere, ac Spiritus recreare; De hac quæſtione plura ſi curioſus lector videre cupit, legat *de Graaf.*, *Gliſſonium*, *Fr. Hoffmannum*, *Sennertum*, *Moebium*, *Laurentium*, *Bonetum*, *&* *alios.*

Hæc autem de Clyſterum differentiis dicta ſint; nunc tranſeamus

ſeamus oportet ad ea, quæ in eorum adminiſtratione, & uſu ſunt obſervanda.

Quantitas ergo Liquoris ex quò Clyſma fieri debet in Infantibus eſt ad ℥. ij; vel iij. in Pueris ad ℥. v., & vij., & in Adultis communiter ad ℔. j. & ad ſummum ℔ j ß & notandum ſenibus, gravidiſque leviores, ac minores clyſteres eſſe concedendos;

Neque ferventes, neque frigidi injiciendi ſunt clyſteres, ſed temperate calidi; Mortuum enim ego vidi Ruſticum ex frigido Clyſtere injecto ab Agyrta turpi.

Quocumque Morbi tempore clyſmata adhiberi poſſunt; non enim requirunt tam accuratam attentionem, ut Pharmacorum ſolventium exhibitio; circa quam, Medicus benè debet obſervare, nam ex catharticis Mors, & ſalus aliquando contingit; Et licet quavis hora Diei infundi Clyſteres poſſint, attamen commodiſſimum putatur tempus trium horarum ante cibum; ne ſcilicet coctio plus minus deturbetur; & aliquando magno cum fructu ægrotis poſt paroxyſmum febrile Clyſterem præſcribo, ut inteſtina a recrementis in paroxyſmo ad ea ablegatis facilè liberentur, quod idem olim faciebat *D. Fabri Medicus Gallus.*

Diſputant Doctores circa latus, in quod decumbendum ſit ægris eo tempore, quo Clyſmata iniciuntur; *Avicenna* ſitum laudat ſupinum; alii jubent, ut eleventur crura, tunc enim liquor melius aſcendit; alii in latus dolens ægrum revolvi debere aiunt. *Graſius* ſitum, qui in dorſo fit laudat; verùm nos cum *Hoffmanno* dicimus nihil referre, ſive æger ſupinus ſive pronus, ſive in latus ſiniſtrum, aut dextrum revolvatur, modo placidè fiat, nec antè tempus enema ejiciatur.

Poſt injectionem ægrotus ab omni motu quieſcat oportet? hinc video Chirurgos noſtros, ac mulierculas, quæ poſt Clyſteris injectionem corpus ægri quaſſant, & agitant, adeò ut ſæpè nullo habito effectu liquorem ſolum Clyſteris ægri ejiciunt intactum, nec quidem materia excrementitia tinctum, ut ſæpe obſervavi in praxi facienda.

Hinc

Hinc *Rondeletius* remanentiam, è quà Clyſter coctus eſt, ventri ſimul imponit ad modum cataplaſmatis.

Quoad tempus Clyſteres injiciendi advertendum eſt, quod ſi morbus ſaluber ſit, & periculo vacet, Clyſma præcedere debet; alia omnia remedia, ut purgatio, venæ ſectio, ſudorum provocatio &c. ſunt, ait enim *Hippocrates* corpora cùm quis purgare voluerit oportet priùs fluida facere; ſi autem morbus ſæviat, ut in principio pleuritidis, anginæ &c, tunc prius venæ ſectio; poſtea Clyſter adhibendus. Adſtrictorii autem Clyſteres in dyſenteria faciendi ſunt in morbi progreſſu, præceſſis deterſoriis, & conſolidantibus. Vermes necantes Clyſteres debent ſtomacho applicari jejuno, ut ſic facilius vermes è corpore eliminentur; Hinc notandum à Practicis; quod licet Doctores aſſerant, omnibus convenire corporibus, & Pueris, & Adultis, & Viris, & Fœminis & infantibus, aliquos tamen eſſe affectus in quibus abſtinendum eſt à Clyſteribus, ut in eruptione exanthematum, morbillorum, & Variolarum, ne naturæ Motus a centro ad ambitum corporis turbetur, & divertatur. Pariter in Gravidis cavendum eſt a purgantibus clyſteribus, ex ipſorum enim irritante potentia, ſtimulatur perſæpè matrix ad expulſionem fœtus; pariterque abſtinendum eſſe docet *Fr. Hoffmannus* a clyſteribus in iis, qui hæmorrhoidali obnoxii ſunt fluxui; cauſare enim poſſunt nimium fluxum, & inteſtini recti ulcera; At ſi aliquando eveniat Clyſmata retineri, ut frequenter accidit, Ponantur ſtatim tunc cum brodio Carnium ℥. iij. aut vi. mellis crudi, aut unus cyathus Urinæ, & certò educet ſecum reliqua clyſteria; hoc docente *Gabelchovero centur*; 1. & *Boneto mercur. compit.*

Tantus autem, ac talis eſt Clyſteris uſus, ut nulla ſit pars corporis, ad quam fructus ex infuſo clyſtere non perveniat, ut docet *Graafius*, & conducunt maximè Clyſteres in vitiis inteſtinorum, ut Teneſmo, Colica, Vermibus, Diarrhœa, Dyſenteria, in renum affectibus, & veſicæ, & uteri, & capitis; ut quotidiana oſtendit experientia; In febribus omnibus eos convenire affirmant cum *Galeno* Practici, ita ut melius eſſe fatendum ſit cum *Solenandro*, plures ex ordine reiteratos cly-

ſteres admittere, quam unam levem quoque ſolventem potionem aſſumere; quod etiam docui in meis Animadverſionibus.

Invenit inſtrumentum novum *Graafius* quo mediante a ſe ſolo Æger, ſine barbitonſoris, vel Pharmacopolæ opera poſſit ſibi adaptare clyſma; quod vide, Lector Amice, apud ipſum *Regnerum de Graaf. in tractatu de clyſteribus*; ubi etiam habebis talis inſtrumenti figuram egregie delineatam.

Ut autem Clyſteres ſtrenuè operentur, debent conſtare è pauco jure & copioſis electuariis, ſic enim magis detineri ait *Capivaccius*.

In Clyſteribus periculoſas lachrymas eſſe, ut Sagapenum &c. ſcribit *Rondeletius*; lachrymæ enim ob ſuum lentorem facile hærent, nec poſſunt expelli.

Multi noſtrates Medici, cum purgantia officium ſuum non faciunt, clyſma injiciunt non dextrè nec tutò, ut ait *Oribaſius*; nam diſtentis inteſtinis Pharmaco; ac ruentibus ſuccis, aditu prohibetur remedium, ut loquar verbis *Heurnii*, quarè hoc Autore, glandem impoſuiſſe præſtiterit ex melle cum ℥. ß. ſalis &c. vel clyſma acrius exigua mole infundatur.

De Clyſtere ſolvente ex Tabaci fumo confecto meminit *Thom. Bartholinus centur. 6. hiſtor. 66.*, ubi, & commodiſſimum inſtrumentum ad talem imponendum Clyſterem deſignatur.

Notent autem diligenter Pharmacopæi, ne clyſteres rancidi, & corrupti exhibeantur, & ne loco ſacchari, & mellis ſyrupos jam corruptos clyſteribus addant, ut ſolent parvi lucri cauſa, multum enim incommodi præſtabunt ægris, & dolores capitis, ventris tormina, uteri commotiones, & ſimilia orientur; & utinam hoc verum aliquandò non eſſet, ſæpè enim certo ſcio, ſymptomata prava in morbis medendis excitari à Pharmacopœorum negligentia, ad quæ corrigenda Medici Prudentia inſudat maximè; & quod peius eſt noſtris hiſce temporibus, ſi aliquandò ex medicaminibus ſumptis mali ſequantur eventus, ſtatim contrà Medicum clamat plebs ignara, & nunquam contra Pharmacopœum, & tamen hic, & non ille medicamenta compoſuit ex quorum bona, vel mala compoſitione, boni, vel mali ſequuntur effectus; At de hoc ſatis.

Formulas autem Clyſterum ſpeciales apud Authores paſſim videre poteſt Studioſus Medicinæ Lector, & præſertim apud *Hoffmannum Mater. Med. lib. 1. cap. 10. pag.* mihi 134.

Quocircà ad alia curioſiora tranſeamus: Ob Analogiam quam habet cum Clyſteribus nova clyſmatica chirurgia in præſenti diſſertatione venit conſideranda, qua mediante medicamenta liquida in venas artificiosè injiciuntur; hæc pluribus gaudet nominibus, Chirurgia enim primò dicitur infuſoria, hinc clyſmatica vocatur, illic enematica inſcribitur, &c. noviſſima quidem operatio, quam primi exercuere Angli, inter quos primus Author dicitur *D. Wren* de hac poſteà elapſis annis ſcripſere *D. Clarck*, *I. D. Major*, *Fracaſſatus*, *Elsholtz*; *Hoffmannus*; *Ettmullerus*, aliique recentes; hæc igitur fit cùm in vena ægroti ſubducta prius aliqua ſanguinis portione, liquorem aliquem medicinalem per peculiarem tubulum ad hanc rem fabrefactum infundunt Chirurgi, ut ægri hoc modo non ſolùm purgentur, ſed, & agonizantes refocillentur, atque morbi curatio tali arte magis reddatur expedita; Medicina enim ſanguini contribuenda immediatè, abſque ullis, & longis ambagibus venam penetrans, cruori amico maritatur connubio; quam operationem ſummis extollit laudibus *Ettmullerus* ait enim iſte Vir, infuſoriam Chirurgiam legitimè adminiſtratam ſemper utilem eſſe, tempore tamen debito applicatam; idcircò liquor infundendus prò vario ſcopo eſt variandus: præ cæteris tamen ſalinus volatilis temperatus, ſeu oleoſus videtur utilis, & hinc opiatus; Probatque citatus *Ettmullerus* in affectibus ſubitaneis, nihil promptius auxiliari poſſe infuſoria; V. G. in Syncope, Vertigine, Apoplexia &c. liquor enim medicatus infuſus citò ad cor tranſit, & deinceps arterias univerſumque corporis habitum perambulans ſuos producit effectus, ſed breviori tempore, ac ſi ore hauſtus, ut ante dicebam, in ventriculum fuiſſet demiſſus; Experta eſt hæc operatio à multis, & præcipuè a *D. Fabritio Med. Dantiſcano*, qui referentibus *Actis Philoſophicis*, magno deſiderio tenebatur experiendi; quales effectus ſecum ferret Chirurgia hæc enematica; tribus idoneis ſubjectis in Xenodochio ſe offerentibus (ſunt *Theoph. Boneti* verba) tentamina hæc inſtituit; primò infudit per ſiphonem duas Drachmas liquoris laxativi in Venam medianam brachii dextri; Erat Miles robuſtus, infectus ſævo morbo venereo, & ſufferens horendas exoſtoſes oſſium in brachiis; ille, liquore cathartico infuſo, conquerebatur de in-

gentibus doloribus in cubitis, & valvulæ brachii adeò ſenſibiliter tumebant, ut neceſſe eſſet leni compreſſione digiti ſtringere tumorem illum verſus ægri humeros; poſt horas circiter quatuor Medicina operari incipiebat, non cum grandi moleſtia, & in operatione perſiſtebat, proxima die ſequente, adeò ut quinque ſedes poſt infuſionem habuerit, eaſque non leves; ſine ullis aliis remediis adhibitis exoſtoſes illæ abibant, nec morbi ſupra memorati ulla ſunt relicta veſtigia; plura experimenta de hac re vide apud *Mercur. compitalit. Boneti. lib.* 19. *pag.* 801. In Cane ego autem fæda ſcabie correpto, clyſmaticam hanc operationem feliciter Anno 1689. Menſe Martii expertus fui, cùm enim parvam quantitatem anti-ſcabiferi Liquoris noſtri in venam injeciſſem; vomere canis incepit frequenter; at brevi tempore ceſſato vomitu, animal comedit; atque obſervavi quindecim dierum ſpatio canem omninò a Scabie liberum, ut etiam nunc eſt, & ſanus vivit. Unde hanc operationem difficilem quidem eſſe, ac ferè periculoſam prima facie, aſſerendum eſt, ſed non abſurdam, non impoſſibilem, non fugiendam, ut multi aiunt, putantes remedia omnia, quæ apud eos non ſunt in uſu, eſſe abſurda, ac impoſſibilia; novitates enim fugientes iſti, & jurantes in verba Magiſtri, calcata ab aliis ſolummodo veſtigia calcant, & more Pecudum eunt quo igitur, non quo eundum.

Antequam verò hanc de Clyſteribus diſſertationem claudamus, nonnulla curioſa, ac rara è clyſteribus orta symptomata videamus; Bis enim ego obſervavi in iliaca paſſione affectis, clyſmata per anum injecta, ſurſum attracta, intus retenta, ac tandem per vomitum ejecta; non ſine adſtantium admiratione.

Adnotavit *Borellus*, Mulierem abſtemiam clyſtere è vino injecto inebriatam fuiſſe; quod ignorantes proximi errorem a Medico, vel Pharmacopola commiſſum crediderunt.

Injectum clyſterem vidi in quodam Milite, nec indè ſurſum, nec deorſum unquam excretum; & legiſſe recordo apud *Graaſium* ſuppoſitoria quoque aliquandò vomitu fuiſſe rejecta.

Agyrta quidam in illaca paſſione affecto duodecim Clyſteres impoſuit unius diei ſpatio; poſt autem duodecimum Æger expiravit.

Et hæc ſunt, quæ de Clyſteribus dicere compendii lex permiſit in preſenti Diſſertatione, Iſta qualiacumque ſint, læta fronte accipe, *Lector Amice*, ac pro ſolita humanitate conatibus meis fave, nec non benignè ſuſcipe, quæ animo benevolo largior; Vale.

Faxit interim Divina Clementia, ut omnia cedant in Nominis ſui Gloriam, Proximi ſanitatem, & noſtri Emolumentum.

FINIS.

JOSEPHI
LANZONI
DISSERTATIO
DE
LACHRYMIS.

ILLUSTRISSIMO VIRO
Genere Nobiliſſimo,
Virtute Clariſſimo,
& Fama celeberrimo

D. LUCÆ SCHROCKIO

Luc. fil. Med. Doctori præſtantiſſimo
Reipublicæ Auguſtanæ Phyſico inſigni
Sacræ Cæſar. Majeſtatis Archiatro Sapientiſſimo
COM. PALAT. CÆSAR.,
Illuſtris Academiæ
LEOPOLDINO-IMPERIALIS
Nat Cur. Ephemeridum Directori,
ac Famigeratiſſimæ Patavinæ
RECUPERATORUM ACADEMIÆ
Collegæ honnoratiſſimo
hanc de Lachrymis
Diſſertationem
humiliter dedicat
Author.

DISSERTATIO
DE
LACHRYMIS.

PROPRIAM, imò ferè connaturalem Hominis paſſionem Fletum eſſe ait & benè *Cardoſius*; Homo enim inter lachrymas oritur, quas teſtes humanæ miſeriæ dicit *D. Auguſtinus*; inter lachrymas vivit, inter ipſas moritur, ac tandem comite fletu deportatur ad tumulum; Quin, & lachrymas in ſepulcris docta ſervavit Antiquitas; Hinc rectè cecinit ſuavis *Marini* muſa:

Umano ufficio è veramente il Pianto,
E più proprio dell' huom forſe, che il riſo;

Meritò igitur humanas conſiderans calamitates lachrymis undequa-

dequaque perfuſas continuò lugebat *Heraclitus*; dolebat enim iſte Piloſophus monente *Laertio*, nihil ſani eſſe in vita, & nihil in homine non caducum; Undique luctus, ubique Dacryon

. . . . *mœſtus que per omnes*
it gemitus . . . .

Mirum ergo non ſit, dum lachrymis aſſiduè madidus, fletuque atramento parato de lachrymis in præſenti diſſertatione ruditer ſcribere aggredior.

Lachrymæ igitur ab aliquibus Dacryon; ſeu Dacrymæ dictæ ſic vocantur à lacerando, quoniam ex animi laceratione cientur, & communiter definiuntur humores ex oculis flentium manantes. De harum autem origine, cauſis, ac materia, cùm variæ ſint opiniones, antequam id, quod ego de his ſentio, exponam, aliorum Authorum opiniones breviter examinare non inutile putavi: *Empedocles* enim Philoſophus ille, qui oratoriæ invtneor fuit ſi *Ariſtoteli*, & *Laërtio* credamus, lachrymarum generationem haberi ſcripſit, ex attenuato, & eliquato cruore; Aſt quia aliqui homines citò, ſæpè, ac ad lubitum lachrymas effundunt, probabile non eſt ſanguinem tam citò, ac ad lubitum colliqueſcere poſſe; *Georg. Nyſſenus*, & *Conringius* lachrymas generari putant ex multis vaporibus per aliquam conturbationem viſcerum ad caput delatis, ibique ob Cerebri frigiditatem in aquam denſatis, quæ ut excrementum poſtea inutile per oculos expellitur; at cùm multi re triſti, aut viſa, aut audita illicò lachryment, nulla præcedente viſcerum conturbatione, ideo hanc tanquam legitimam fletus cauſam non agnoſcendam cenſet *Diemerbroeckius*; Lachrymas gigni ait *Joh. Baptiſta Scortias* ab animali ſpiritu, qui in oculi angulo compreſſus liquatur, & profluit in undas; Vapores in aquam condenſatos eſſe lachrymas docet *Carteſius*; fletum ex ſudore fieri ait *Ariſtoteles*. Excrementum tenue oculorum lachrymas eſſe putant *Caſſerius*, & *Aquapendens*, cum *Septalio*, qui ſcribit lachrymas eſſe ſeroſum humorem aſſiduè in oculis genitum; *Franc. Baco de Verulamio*, anglicus ille Seneca, docuit lachrymas oriri ex contra-

contractione ſpirituum in cerebro. quam conſequitur humoris ibidem adſtrictio, & ſic lachrymarum ad oculos tranſmiſſio; *Williſius* ſcribit, quod è ſanguine ad utramque glandulam per arterias advecto humor aquoſus, tum perpetim prò oculo irrigando, tum occaſionaliter prò lachrymarum materia requiſitus ſecernitur; *Zypæus* lachrymas prò materia habere ait evaporamentum, & ſerum ſalſuginoſum per arterias cum ſanguine ad glandulas lachrymales advectum; *Caſpar à Reies* putat à copioſo ſeroſi humoris ad oculos confluxu fletum enaſci; *Steph. Blancardus* ſuperabundantiam humoris oculum irrigantis lachrymas efficere autumat; *Glaſerus* ſerum dicit; *Diemerbroeckius* ex pituitoſo humore in cerebro collecto lachrymarum materiam haberi cogitat, unde *Platerus* fletum à cerebro provenire ait, hinc optimè Clariſſ. *Auguſtin. Coltellinus*, ſub nomine Anagrammatico *Oſtillii Contalgenii*, Dominus meus ſemper colendus cecinit

Si piange; ma dal cerebro diſtilla.

Lachrymas ſerum eſſe quoddam è coagulato phlegmate ſeparatum credidit *Plato*; Ex portione potulentæ materiæ planctum fieri volunt multi; aliique ex excrementis vitrei, & cryſtallini humoris; Ego verò cum *Warthono*, *Stenonio*, & aliis aſſero, lachrymas ex arterioſo ſanguine in glandulis oculorum ſecretam lympham ſuppeditare, ad cujus ſententiæ intelligentiam advertendum eſt, revera oculum binis glandulis tanquam pulvinari globo ejus molliter ſubſtratis incumbere; Una harum juxta canthum oculi majorem ſita vulgò lachrymalis dicta (licet monente *Blancardo* hoc nomen altera potius mereatur) Dura hæc arteriis, venis, & nervis inſtruitur ſolidioribus; Porro vaſis excretoriis, quæ duplicis ſunt generis, gaudet ſcilicet è glandula hac duo, aut tres lymphæ ductus in palpebræ ſuperficiem interiorem dehiſcunt, ut docet *citatus Blancardus* è quibus humor aquoſus ſuper oculi globum extillatur, præterea item duo meatus in canthi interioris ſcrobem dehiſcunt, qui non aquam, ut quidam opinati ſunt, illuc defe-

runt, ſed quæ à vaſis excretoriis ibidem depoſita, & ſuperflua exudat ab iis ſuſcipitur, ac deinde per canalem unicum, qui naris oſſe trajecto ductum ejus pertranſit, foras defertur; de qua re plura vide apud *Blancardum*, & alios recentes Anatomicos; Nec obeſt id, quod multi aiunt, nempè glandulas illas huic muneri non ſatis idoneas eſſe; non enim credunt poſſe ex tam parvis glandulis tantam lachrymarum copiam prodire; Verùm ſi guttarum magnitudo cum tempore, quo colliguntur conferatur, nulla apparebit difficultas; nec enim tempus adeo breve, quin per plura vaſa tantum humoris affluere poſſit quantum ad guttam conſtituendam requiritur, nec qui ex oculis emanat humor totus in glandulis antea fuit coacervatus, ſufficit ex eo, qui ſingulis pulſibus appellit, arterioſo ſanguine celeriorem in glandulis fieri ſecretionem, de quà re plura apud *Stenonem in Appendic. ad Wesling. Anatom.*

Lachrymatur autem à cinere, feſtuca, cepis, quas lachrymarum eſſe hierogliphicum teſtatur *Pierius*, à tabaco, corticibus aurantii preſſis, fumo, aliiſque corporibus, quæ ſale volatili abundant, quia per ea dolore in oculis excitato, habetur ſolito major cruoris ad eos affluxus, ſimilique ratione lachrymatur in aliis doloribus, in tubæ inflatione, in tuſſi, ſternutatione &c., & ob eandem cauſam manant lachrymæ in triſtitia, ac gaudio; cauſa ergo efficiens lachrymarum erit temperies, ac glandularum dictarum diſpoſitio; quæ lachrymæ rectè hinc definiri poſſunt; Liquor excrementitius lymphaticus ex oculorum glandulis prorumpens ocaſione magnorum animi pathematum v. g. doloris, gaudii, commiſerationis &c. quæ ſpiritus animales, & cruorem ità agitant, ut portionem lymphaticam largiùs deponant; Salſæ ut plurimum ſunt lachrymæ, & ſæpe ità acres

. . . . . . *largo humectant flumine vultum*,

ut genas erodant, & hoc evenire puto ob vitium ſanguinis, qui tunc nimis acribus ſcatet particulis; Lachrymarum finis com-

communiter putatur, ut ſit affectionum animi index, & ut per eas à ſuperflua lympha cruor etiam ſaltem in parte exoneretur; Quarè autem ſolus homo inter Animalia maximè lugeat? quæritur, cui quæſtioni occurrit *Diemerbrock* dicendo, quia ſolus homo, utpotè ratione præditus luctum, triſtitiam, dolorem &c. magna cum animi attentione percipit, undè humorum expreſſiones, ac concitationes ſolus maximè patitur; Me tamen non latet Crocodilos, ac Cervos flere, ac Canes heris mortuis ploraſſe, nec non teſte *Suetonio* mortem Cæſaris equorum fletum præceſſiſſe; iſtæ autem in brutis lachrymæ accidunt ob lymphatici humoris copiam, & ob foraminis lachrymalis detectionem propter carunculæ canthi majoris conſtrictionem ab aëre frigido, aliaque cauſa inductam, propter quas duas cauſas etiam in homine ſæpè lachrymæ fluunt abſque ullo Animi motu, aut organi vitio; Cur verò fletus diù perſeveret, quàm riſus; eſt quia riſus fit ab inani lætitia, & re ludicra, fletus verò à re gravi, & dolorifica; Cur mulieres, pueri, & ſenes proclives ſint ad fletum; eſt quia humore lymphatico abundant; Cur *Amaſis* cùm ad necem filius duceretur non ploraſſet, & cùm vidiſſet Amicum mendicantem lachrymas uberrimè effudiſſet, eſt quia hoc miſerabile erat, illud verò terribile, cujus ratione non planctus, ſed ingens excitatur terror.

Hinc quærunt multi, an Virum fortem deceat lachrymari, plures enim affirmant nequaquàm eis convenire, unde *Plato* lachrymas à viris claris auferendas eſſe monet: Aſt cùm interdum lachrymarum in dolore profuſio ſit magnum ſolatium, ut monent *Seneca Plutarcus*, & *Philip. Beroaldus com. ad Apuleum*, unde *Ovidius*

. . . . . . *eſt quædam flere voluptas*;

Et Euripides

Afflictis hominibus ſuaves ſunt lachrymæ

igitur hoc voluptatis genus in doloribus convenire viro forti putandum eſt, lachrymæ enim manſuetudinis, & pietatis teſtes

 exiſtunt

exiſtunt monente *P. Franc. Mendoca* ; Quocirca Viros fortes, ac prudentes interdum lachrymaſſe compertum eſt ; Flevit Abraham Uxoris mortem, David Filii necem, Alexander Macedo funeri Conjugis Darii illachrymavit, Ploravit deniquè *B. Virgo* ; ploravit & *Chriſtus* ; concludat ergo Græca Paræmia *Viri boni multum lachrymabiles*.

Dividuntur autem lachrymæ in naturales, & præternaturales, primæ ſunt, de quibus ſuprà diximus, ſecundæ, quæ vel invito homine effluunt, involuntariæ dictæ quæ in febribus malum præbent ſignum teſte *Hippocrate*, vel ſanguineæ, quæ fiunt, cùm guttulæ ſanguinis lachrymarum inſtar ex oculo diffluunt ; Impropriè etiam hæc vox lachryma uſurpatur de ſuccis plantarum ſpontè emanantibus, & in reſinam, vel gummi concreſcentibus, ſic opium lachryma dicitur &c. De his autem aliquid in præſenti dicamus ; & primò quod attinet ad præternaturales lachrymas notandum eſt, quod cùm quotieſcunque lachrymarum proventus ab oculo emanare proſpicitur, anaſtomoſes vaſorum lymphaticorum oculi, de quibus antea dixi, aperiuntur, ideo quandò prædictorum vaſorum Anaſtomoſes continuò ſunt apertæ, tunc aſſiduè illachrymat oculus, & affectus oritur vocatus a Practicis involuntaria, & aſſidua oculi illachrymatio, neque nego ab acredine lymphæ poſſe ſtimulari anaſtomoſes ad lachrymas effundendas ; De hac autem re plura, videantur *meæ Animadverſiones* de hujus cura *Sennertus*, aliique : Hinc obſervavit *Borellus* nobilem quandam mulierem tanta melancholia conturbatam, ut perpetuo flendi deſiderio teneretur, quæ ſola geſtatione croci ſuprà cordis regionem curata fuit ; ſanguineæ quoque lachrymæ ſæpè obſervatæ ſunt ab Authoribus ; ſic ex menſibus retentis in fœminis lachrymas ſanguineas erupiſſe narrant *Schenckius*, *Braſavola*, *Dodonæus*, *Mercatus*, *à Reies*, & alii ; imò *Zacutus* refert de Juvene, qui ſingulis menſibus ſæva vertigine præmebatur, quæ ſola evacuatione à Natura facta quieſcebat ; hæc verò erat cruoris emanatio per oculorum canthos rivuli inſtar ; In undecimeſtri Puella lachrymas ſanguineas vidit effluere *Hœchſteterus* ; Amicum habuit *Borellus* qui

ad

ad ſanguinem flebat ; De lachrymis ſanguineis in B. M. V. narrat *Theophilactus* , & de muliere Luſitana *Conimbricenſis Epiſcopus*, unde oculorum uſum illi deperditum fuiſſe ait *Thom. Bartholinus in lib. de Cruce ;* inſuper *Drexelius* ſcribit ; mulierem fuiſſe , qui Mariti mortem , eo lachrymarum imbre proſecuta fuit (exemplum quidem rarum ,) ut lachrymis deficientibus , cruoris guttas oculi ſtillaverint : lachrymaſque virides , ut & virides ſudores in Ruſtica Fœmina obſervavi ego Anno 1690.

Non tantùm autem homines , & animalia plorant , verùm ſtatuas etiam fleviſſe legitur apud multos inter quos præcipuè *Jul. Obſequens* eſt *lib. de prodig.* , hinc *Tibullus* cecinit

Et ſimulacra Deum lachrymas fudiſſe repentes.

Et *Lucanus*

Indigetes fleviſſe Deos. . . . .

Et *Silius* quoque lib. 8 de bell. punic.

. . . . *lachrymæque vetuſta*
Effigie patris largè fluxere Quirini.

Relictis autem hîc lachrymis propriè dictis, ad lachrymas impropriè dictas calamum vertamus oportet, verum quia hoc ad Pharmaceuticos ſpectat qui ex profeſſo de gummatibus & reſinis tractant , ideo curioſum lectorem mittimus ad *Meſſ. med. Spagyric* , *ad Hoffmannum* , *Ettmullerum* , *Charras* , *Donzelium* , & alios. Nos autem verba ſolummodò faciemus de Cervi lachryma , ejuſque virtute , ne aliquid , quod curioſum ſimul , & utile ſit , in hac Diſſertatione deficiat. Lachrymæ igitur Cervi ſunt ſordes , quæ in oculorum angulis reperiuntur , velut cera indurata , odoris fragrantis cujus nullas eſſe virtutes ait *Ettmullerus* ; attamen ſi *Horſtio* , *Schrödero* , *Zacuto* , *Hoffmanno* , & aliis credamus cervi lachrymæ ſiccant , adſtringunt , corroborant , ſudorem movent , contra Venena morboſque contagioſos celebrantur , has in difficili partu prodeſſe ait *Horſtius* de qua re plura *in mea Zoologia* jam dixi. Hujus remedii doſis eſt ad iij. grana & iv. Generantur aùtem iſtæ

cervi lachrymæ monente *Joh. Agricola* ſic, nempe ait iſte Autor, Cervum poſtquam cum ſerpentibus congreſſus illos devoravit, ſiti correptum in regionibus præſertim orientem verſus, ſtagnum mox, aut flumen aliquod quærere in quod ſe immergens, velut Tantalus in mediis ſitiens fluctibus, natura ita docente nihil bibit, concideret quippe mortuus, ſi aquam guſtaret; erumpere, tunc ait, *Caſp. à Reies* lachrymas, quæ paulatim craſſeſcunt, & congelantur in caſtaneæ magnitudinem, & hanc autem ſententiam ex authoritate *Theoneſti* antiqui ſcriptoris refert *Aldrovandus* cum *Ang. Abbatio*, *And. Bellunenſi*, *& Sylvatico*: Contraria autem huic opinioni eſt ſententia *Ferdin. Ponzeti Cardinalis*, qui nulla de ſerpentum eſu mentione habita, Cervos ait ætate infirmos, flumen quoddam in oriente ingredi, & tandiù immerſos ſtare, donec lachrymam illam emittant, quæ aëre, & frigore coagulata in lapidem evadat avellanæ magnitudine, colore citri, odore vini; Et *Scaliger* non accreſcere ait ad oculi canthum, niſi poſt 100. annos, indeque ad talem duritiem pervenire, ut cornu ſuperet, illam rotundam eſſe ait, nitore inſignem; colore fulvam, non ſine atriorum venularum veſtigiis, tanta levitate, ut penè tactum effugiat; Plura apud citat. *Scaligerum*; Cervorum autem lachrymam ſalſam eſſe, Aprorum verò dulcem monet *Cel. Rodiginus* tom. 1. pag. 438.

Impropriè etiam lachrymæ quædam Vina dicuntur, undè *Clariſſ. Poeta Teſtius* cecinit

. . . . ò le ſanguigne
lagrime di Veſuvio ora non chero.

Et Doctiſſimus *Franciſcus Redi* non tantum medicus Celeberrimus verum quoque Poëta ſuaviſſimus Patronus meus in æternum colendus in ſuo eruditiſſ. libro cui titulus *Bacco in Toſcana* ſcripſit

Il ſangue, che lagrima il Veſuvio.

& in

& in ejus annotationibus egregiis legitur *le lagrime d'Iſchia*, *Pozuolo*, *Nola*, *Ottaiano*, *Novella*, *e della Torre del Greco*, *ſon tenute in minor preggio*, hinc Clariſſ. *Chiabrera*.

Lachryma dunque apellerasſi un vino
Parto di nobiliſſima vendemia.

Et in ſecundo libro Anthologiæ, Vinum lachryma vitis dicitur; imò non tantum vinum lachryma dicitur, ſed pater lachrymarum in potatoribus nuncupari poteſt, nam quando bibunt lachrymantur oculi undè citatus Illuſtriſſ. *Redi*.

ò come in lacrime gli occhi diſciogliemi !

Et *Sebaſt. de Rubeis* ſcripſit, *quel ſaporito*, *odorifero &c.*

il quale ti facia bevendolo lagrimare per dolcezza.

Amorem etiam ſub lachrymæ nomine venire dixit Erudítiſſ., ac nunquam ſatis laudatus Poëta *D. Franciſcus de Lemene* Patronus meus maximus in Baccanali ſuo, dum cecinit

Anzi lagrima è Amore,
che diſtrugendo il cuore
ſempre dagli ochi altrui ſtillar ſi vede ;

Hinc de ſemine oblongo ſaxeo *lachryma S. Jobi* dicto mentionem facit *Julius Cæſ. Scaliger de ſubtil. ad Cardan. exercit. 98. diſtinct.* 2. Quin, & lachryma Vitis vocatur ea lympha, quæ à ſecta vite Veris tempore proſilit; *Plinius* tandem de herba lachryma meminit, & *Chabræus* eam ſub nomine lachrymæ Jobi deſcribit dicendo, Culmis donatam eſſe hanc plantam cubitum unum, aut alterum altis, cujus folia ſimilia ſunt illis turcici frumenti, ex ramorum alis emicant petioli, quibus ſingulis tranſadiguntur grana, ut plurimùm ſingula,

rariùs

rariùs bina, lævoris politiſſimi nitida; ante maturitatem flaveſcentia, matura verò ex candido rubeſcentia, duritie lapidea, cicer æquantia, ſuperiore parte turbinata, undè exit innanium glumarum ſpica murica; In hortis cultioribus pleriſque omnibus habetur peregrina hæc planta; quam ad calculum renum valere ait *Lobelius*.

Et hæc ſunt quæ de lachrymis dicere compendii lex permiſit in præſenti diſſertatione; Hæc, qualiacunque ſint grato Animo accipe, Amice Lector, ac prò ſolita humanitate conatibus meis fave, nec non benignè ſuſcipe, quæ animo benevolo largior; Vale diù felix.

JOSEPHI LANZONI,

DISSERTATIO MEDICA

DE

FEBRE QUARTANA.

ILLUSTRISSIMO VIRO

GENERE NOBILISSIMO, VIRTUTE CLARISSIMO, ET FAMA CELEBERRIMO

D. CAROLO PATINO,

EQUITI DIVI MARCI,

Medicinæ Doctori Pariſienſi,
in perantiquo ARCHILYCÆO Patavino
Primario Practicæ Profeſſori,
Famigeratiſſimæ S. R. I.

ACADEMIÆ CURIOSORUM,

necnon florentiſſimæ

RECUPERATORUM

Collegæ ſplendidiſſimo
Tenuem hanc de

FEBRE QUARTANA

Diſſertationem humiliter dedicat
Auctor.

DE

FEBRE QUARTANA,

DISSERTATIO MEDICA.

ÆGROTAT aſſiduè humanum Genus, & nonniſi morbus eſt Vita hominis ſuper terram; Ægrotare enim incipimus mox ubi naſcimur, ait *D. Auguſtinus in Pſal.* Hinc Xenophilum muſicum jam centum, & quinque annis vixiſſe ſine ullo corporis incommodo, tanquam prodigium notat *Plinius lib.* 7. *cap.* 50. Nunc verò, nullum ſine morbis vivere experientia teſtatur; modò enim Apoplexiâ, nunc Paralyſi vexatur; hîc exurgunt Tumores, illic aperiuntur Ulcera; huc cruciant Dolores, & Cardialgiæ, illuc ſurgunt Vomitus, & Colicæ; in uno calculi generantur, & Lumbrici, in alio fluctuant Hydropes, & Empyemata; hos necant Pleuritides, illos ſuffocant Anginæ; iſtos perdit Epilepſia, eos occidunt Malignæ Febres; multos poſſidet Phthiſis, alios tenet Aſthma; nonnulli Vertigine

afficiuntur; omneſque tandem immanes adoriuntur febres, quarum multæ pertinaci odio ad Menſes, & ad Annos homines miſerè torquent, taleſque Quartanæ ſunt, de quibus in præſenti diſſertatione dicendum.

Quartana igitur Febris à latinis ſic dicitur, quia de quarto in quartum diem incluſivè ſupervenit. *Plinius* hanc Febrem quadrinam vocavit in lib. 7. *Lucillus*, *&* *Plautus* dixere Querqueram, ab eo videlicet tremore, & frigore, quod vehemens ſuſtinent Quartanarii. *Octavius Oratinus* Medicus vetuſtate commendabilis Saturni Prolem eſſe ſcripſit Quartanam, non ut Pythagorici, qui eam ſic appellabant, quòd ſcilicet ejus cauſa ab Intelligentia quadam non errante dirigi videatur, ut notat *Mercurialis*; ſed ob tarditatem, & contumaciam malignam, ut tradit *Dalechampius ad Plinium lib.* 7. monente *Gaſp. à Reies camp. Eliſ.* Hinc verſipellis, pertinacis, & refractariæ nomine eam meritò inſignivit *Clariſſ. Dolæus* hodiernæ medicinæ Splendor, ac Patronus, & Collega meus ſemper colendus; undè poſtea proverbium in Carmine.

Hydrops, Quartana, Medicorum ſcandala plena.

Quapropter *Ricardus Medicus*, ſe Deum teſtari ait, & Numina Cœli, quòd non potuerit cognitionem ſufficientem habere, nec morborum epidemiorum, nec conceptionis Fœminarum, nec quartanæ.

Definitur, ac deſcribitur iſta Febris, quòd ſit cruoris efferveſcentia præternaturalis de quarto in quartum diem ægrum affligens cum horrore eximio, ſiti, & calore magno à vitioſa ſanguinis diatheſi orta &c.

Alia autem eſt Febris quartana ſimplex, alia compoſita. Simplex eſt ea, cujus nonniſi unus de die ingruit Paroxyſmus. Compoſita, in qua binæ die quartâ exurgunt acceſſiones. Compoſita etiam quartana dicitur, quæ in intermediis accidit diebus: iſtaque, vel duplex, vel triplex eſt: duplex, quæ unum habet bonum diem, duos verò malos; triplex, quæ ſingulis exaſpe-

ratur

ratur diebus; cum hoc tamen, quòd in utraque quarta ſemper ſit major, adeoque Quartana meritò dicatur:

Cor, utpote Vitæ, & Caloris fontem, multi affectam partem in Febri quartana dixere, ac cauſæ ſubjectum meſenterium, multi lienem, ventriculum alii, lymphatica vaſa nonnulli, & pancreatis glandulas non pauci,

Diagnoſtica Signa hujuſce febris alia communia ſunt, alia propria. Communia, quæ omnibus competunt Febribus, ut V. G., ſitis, capitis dolor, oſcitatio, frigus &c. Propria autem dicuntur ea, quæ ſoli Quartanæ competunt, quorum primum eſt Circuitus quartanarius, qui verè pro ſigno pathognomonico haberi debet; hinc Quartanæ paroxyſmus incipit cum oſcitatione, pandiculatione, & totius corporis gravitate, quam ſequitur frigus cum ſtridore dentium, ac talis, qualis iis, qui hyeme rigent præ frigore; pulſus rarior, & tardior, quàm in reliquis Febribus; hinc calor paulatim ſuccenditur, ut loquar verbis *Clariſſ. Laurent. Bellini Patroni*, *ac Amici mei Colendiſſimi*, *Præſtantiſſ. Medicinæ Profeſſoris Piſani in tract. de Febrib.* non adurens, & æſtuoſus, ut in tertianis; ſed ſubmiſſus. De„ clinatio eſt cum perfecta, & longa apyrexia, pulſus toto „ Febris progreſſu rarus, tardus, parvus, & in principio val„ de rarus ſupra omnes febres, & hæc raritas in augmento „ quoque & ſtatu ſervatur comparatione factâ ad frequentiam „ in augmento, & ſtatu aliarum febrium: Primis diebus nul„ lus ſudor; ſuccedentibus copioſiſſimus: Sitis media inter ſi„ tim quotidianæ, & tertianæ; minor quàm in tertiana; „ major quàm in quotidiana. *Hæc Bellinus.* Urinæ variant quoad conſiſtentiam & colorem; modò enim, & in principio maximè albæ ſunt; tenues, & aquoſæ; modò ad rubiginem vergentes, & modò nigræ, ut ego obſervavi elapſo autumno in milite quartanario. Dejectiones pauciſſimæ ſunt; & quæ dejiciuntur, nigræ ſunt, & aridæ: Frequens expuitio quemadmodum etiam ſuis temporibus adnotarunt *Galenus*, *&* *Averroës*: In declinatione apparent ſudores pauciores, quàm in tertianis, quod etiam antiquitus obſervavit *Rhaſes.* Colorem cor-

poris lividum, & ferè plumbeum, quartanarii proprium eſſe docet *Mercurialis tract. de Febr. lib.* 5. Periodi Febris quartanæ longiora habent intervalla.

Diagnoſi viſa, ad cauſam gradum faciamus oportet, causâ enim morbi cognitâ tutò, citò, & jucundè morbus ipſe ſuperatur.

Qui duce *Galeno* in Medicinæ caſtris ad Praxim medicam exornandam militant prò immediata hujus Febris cauſa humorum in corde accenſionem agnoſcunt, quam accenſionem à vaporibus putridis ex humore melancholico exhalantibus haberi volunt. Hinc quicunque Galenicum gerit nomen, quartanam ab humore oriri melancholico, tanquam infallibile axioma deprædicant. Fermentum acidum, fixum, tartareum cauſam quartanæ dicit *Jo. Michaelis.*

Chymicorum multi, impuritates nitro-ſulphureas accuſant; alii terræ elemementum inculpant, nonnullique cum *Quercetano*, tartarum communem naturæ humanæ hoſtem prò quartanæ cauſa dignoſcunt. *Waldſchmidius* intemperiem acidam Maſſæ Sanguinis cauſam dicit.

Helmontiani Quartanæ Febris Originem ex acido chylo in ſplenem delato deducunt; & hinc eſt, quòd ait *Helmontius*, quartanæ anſam dare chylum acore peregrino infectum.

Lazar. Meyſſonnerius Quartanam, ut & Febres quaſcumque intermittentes gigni, ait, ex impedimento ſpiritus vitalis ab interna cacochymia extra venas per radios aſtrales commota.

Anglicum illud Medicorum lumen *Williſius* proximam hujus Febris cauſam eſſe dyſcraſiam ſanguinis acidam, & auſteram, inſtar vini aceſcentis, ait; cùm adſit enim (dicit ipſe) ſpirituum. „ penuria in quartanis, atque ſanguinis pars terreſtris, ſeu tar- „ tarea (quæ conſtat in primis ſale, & terrâ) nimis exaltatur, „ & in fluorem evecta, acorem cruoris maſſæ inducit, non ſe- „ cus, ac cùm cereviſia à tonitru commota, & fæce turbidâ „ infecta aceſcit &c.

Charleton, acidam cruoris dyſcraſiam accuſat prò quartanæ cauſa; quæ chylum in liquorem extraneum corrumpens eum febrile

brile Fermentum conſtituit. Hæc autem Opinio una, & eadem eſt cum *Williſiana*: Verùm liceat hic mihi veluti per tranſennam cum *Eruditiſſ. Luca Tozzio Medico Neapolit. celeberrimo, Amico meo maximo, ac in æternum colendo*, apertè hanc opinionem negare; non enim ſatisfacit *Charleton*, qui ſuccum alibilem è cibis ſuggeſtum, & ſanguini jam vitiato commixtum, adeòque depravatum hujus Febris cauſam refert; hac enim ratione cibo prorsùs abſtinendum eſſet, ut Febris repetentes acceſſiones deſinerent; cùm tamen extremâ ſervatâ inediâ, adhuc ingruant, & aliquando deſierint, cùm graviter in victus genere ægrotantes erraverint &c.

Petr. Joh. Faber cum aſſeclis excrementum tartareum productum in renibus, liene, & hypochondriis materialiter, & occaſionaliter quartanam producere ait.

Chriſtianus Langius ſic loquens de quartanæ cauſa ſcribit, ſi ſuci alibilis, & per conſenquens, etiam ſanguinis liquor à natura dulci, ſpirituosa, balſamica in acidam, & ponticam, & auſteram (aceſcit enim chylus non difficulter, ſi debito tempore non diſpenſetur, ſed præter naturam in ventriculo, ac inteſtinis detineatur) tranſierit, atquè degeneraverit, quartanæ genuina cauſa ſtatim in promptu eſt.

Franc. de le Boe Sylvius hanc Febrem oriri aſſerit à pituita glutinoſiore facta in pancreatis ductibus ſtagnante.

Ego autem cum *Clariſſ., ac nunquam ſatis laudato Dolæo Collega ſemper amando* aſſero quartanam oriri, quando fermenta prava in majori quantitate viſcidiora ſunt unde non tantùm obſtructiones contumaces fiunt, ſed etiam cruoris mixtio turbatur: hinc fermentatio præternaturalis oritur, quæ febris eſt; quòd verò tam tardè inſurgat paroxyſmus, hoc adſcribendum eſt, ait *citat. Dolæus*, fermento viſcidiori tubulis, tum lienis, tum pancreatis, aliorumque viſcerum firmiùs adhærenti, item chylo tenaciori; hinc tardiùs ſanguinem alluenti: huic autem humori valde viſcido aliquid acre admixtum eſt, ut patet ex productis oſcitationibus, frigore, rigore, capitis dolore, inquietudine &c.

Cauſæ autem antecedentes poſſunt eſſe, quæcunque atrum, ac melancho-

melancholicum humorem generant, ætas ſuprà. 40. annum; autumnus, corpus frigidum, & ſiccum, lien tumidus, obſtructus, & imbecillis, craſſorum ciborum uſus (ſunt verba *Illuſtriſſ. L. Bellini Domini mei in æternum colendi*) ut carnes bubulæ, cervinæ, aprugnæ ſale conditæ, piſces ex limoſis aquis, olera, legumina, panis non fermentatus, vinum craſſum, ac fæculentum, curæ, ſtudia, triſtitia, ſuppreſſæ purgationes, faciei, totiuſque corporis color fuſcus, & nigricans &c.

Si verò quartana tempore autumnali adveniat longiſſima eſt, & ut plurimum totâ hyeme perſeverat, nec niſi accedente vere ſinitur; imò nonnullæ ad annum unum, vel plures extenduntur. Hinc eſt, quòd *Hagendornius* quartanam triennem obſervavit; *Mena* per Annos. 7. durantem quartanam vidit in Catherina de Cavalos ſororis Philippi Regis famula; *Fernelius* ad annos. 9. eandem extendi vidiſſe ait; *Foreſtus* idem confirmat; *Wierus*, D. de Role Cæſaris Maximiliani Oeconomum narrat. 18. annis hac febre laboraſſe, à qua tamen liber ultra annum non vixit. *Rhodiginus. lib.* 22. ait, Vidum Grammaticum Traſumenum annis 24. quartanâ infeſtatum fuiſſe. De his hiſtoriis autem curioſis ſimul; ac raris vid. *Gaſpar. a Reies camp. Elys. quæſt.* 71. Æſtivæ autem quartanæ breviores ſunt; Quartana legitima longior eſt ſpuriâ, monente *Riverio.*

Ex pertinaciori hac Febre ſæpe oritur Cachexia, hydrops, ſcorbutus &c. Senes, qui ſexageſimum ætatis annum ſuperant, febre quartanâ affecti ut plurimum moriuntur; Quartana intermittens in continuam mutata, utplurimum lethalis eſt; Quartana Epilepſiæ ſuperveniens eam ſolvit juxta *Hippocratis aphor.* 71. *Sect.* 5. Narium hæmorrhagia quartanæ ſuperveniens mala eſt, e contrà verò Dyſenteria ſalutaris.

Infantes faciliùs ab ea liberantur, quàm mediæ, & decrepitæ ætatis viri. Si hæc Febris invadit illos, qui ſanis viſceribus, & integris viribus pollent, ſecura res eſt. In colicam ſepiùs per metaſtaſim hanc febrim tranſmutatam obſervavit *Illuſt. Dolæus*; Egoque bis in arthritidem quartanam mutatam fuiſſe adnotavi.

Pro-

Prognoſi viſâ reliquum eſt, ut ad curationem Quartanæ gradum faciamus; morborum enim fugatio præcipuus Medicorum finis eſſe debet; & quia triplex Practicæ Fons ad morbos curandos inſurgit, Diæta nimirum, Pharmacia, ac Chirurgia; ideò ſeorſim ſumma hæc Medicinæ inſtrumenta pro cura quartanæ nunc breviter examinabimus.

Quod autem primò attinet ad Pharmaciam notandum eſt, quòd cùm per Galenicos quartanæ cauſa ſit humor frigidus, & ſiccus, craſſus, & terreſtris; ideò iſti calefacientia, humectantia, & attenuantia adhibent remedia, tum quoque materiam peccantem opportuno tempore evacuant. Primas igitur vias Clyſteribus expurgandas eſſe monent Galenici, vel quoque lenientibus medicamentis alvum laxandam, inde venam aperiendam eſſe volunt, & ſi hepar ſit affectum in brachio dextro, ſi verò lien in ſiniſtro phlebotomiam inſtituunt, ſi ſanguis ſit niger copiosè evacuandus eſt, dicunt ipſi, innixi præcepto *Galeni ad Glaucon.* Sanguine miſſo materiam peccantem præparant, corriguntque humorem vitioſum. Hîc notat *Zacutus* Galenicorum inſignis, venæ ſectionem in plenilunio celebratam plurimùm conferre, & *Botallus* aſſerit, phlebotomiam frequenter iteratam quartanam fugare, & hoc contra opinionem ferè omnium Galenicorum ſuorum Collegarum. At ne à Pharmacia pedem dimoveamus, de Venæ ſectione, utpote remedio Chirurgico, nunc ſilentium facere oportet. Attenuantia, & incidentia remedia Galenici volunt eſſe borraginem, bugloſſam, endiviam, fumariam, cichorium, agrimoniam, carduum Sanctum, radicem altheæ, polypodii, Cortices tamariſci, flores Geniſtæ, & ex his varias concinnant compoſitiones, ac Ægris exhibent, prout Morbi peccantis natura poſtulat. Purgantia deſumunt à Polypodio, Epithymo, Senna, Helleboro nigro, &c hinc Electuarium diacatholicum, Confectionem Hamech, pilulas tartareas; &c. exhibent;

Tandem ſudorifera propinant Galenici, & appropriata, ut ſunt Abſinthii ſuccus, verbena, Imperatoria, plantago &c.

Paracelſus, ac *Helmontius* ſua adhibent arcana pro curanda hac febri, & præcipuè Mercurium diaphoreticum internè, & ex-

ternè emplaſtrum, cujus deſcriptionem optimè tradit *Grembſius.*

Williſiani emetica, ac ſalivantia ſuadent, necnon pulverem Chinæ Chinæ.

Sylviani remedia omnia pituitam glutinoſam incidentia, ac minuentia laudant.

Carteſius, atque *Dolæus*, ad alvum reddendam liberam vel Clyſterem, vel blandiora cathartica adhibent, vina medicata exhibent, pulverem Chinæ Chinæ commendant, ſudorifera laudant, acidulas martiales Swalbacenſes extollunt &c.

Quod ad Chirurgicas attinet operationes, Galenici, inter quos præcipuè *Riverius*, commendant excitationem fluxus hæmorrhoidalis; nam cùm venæ hæmorrhoidales, aiunt ipſi, ſint rami venarum meſaraicarum, in quibus morbi cauſa continetur, ideò earum apertio juvabit. In his verò, in quibus hæmorrhoides nunquam fluere conſuevere, malleoli Venam utiliter aperiunt Galenici; vel ſalvatellam ſcindunt; cucurbitulas ſcarificatas imponunt, aliaſque hujuſmodi crudeles operationes commendant. Verùm *Paracelſus*, *Helmontius*, *Sylvius*, *Williſius*, *Carteſius*, *Dolæus*, aliique Recentes Sanguinis miſſionem nullo modo admittunt.

Hinc ego ſubnecto mea pharmaceutica præſidia pro curatione quartanæ à Clariſſ. Authoribus deſumpta; omninò enim damno miſſiones ſanguinis, quia per has, cùm ſanguis ſpiritibus depauperetur, hinc eſt quòd vigor ægri labaſcit. Pro domando ergo acido præternaturali fermento, expiationem primarum viarum per lenientia laudo; poſtea decoctiones aperientes; hinc vinum chinâ chinæ medicatum continuè adhibitum optimum eſſe experientiâ ductus aſſero; ut & pulveris chinæ chinæ ʒ. ij. cujus remedii tanta eſt efficacia, ut multos ſolo hoc præſidio in vino Malvatico ſumpto ante acceſſionem à quartana etiam incipiente liberaverim; de cujus pulveris operandi modò fusè, & egregiè tractat *Williſius in tract. de Febrib. cap.* 7. Mixtura ſequens ad *Sylvii* mentem parata optima eſt, quam expertus feliciter fui in Moniali quartanaria: ℞. Aquæ Fœniculi, Fumariæ, ana, ℥. j. tincturæ cinnamomi ʒ. ij. olei caryophilorum gutt. ii. Spiritus ſalis ammoniaci, gutt. XII. Syrupi cardui benedicti ʒ vj.

Miſce

Miſce. Curatam quartanam medio Vini veterrimi hauſtus, fuiſſe, ait *Barclaius in Argenid.*

Plures ſanaſſe Quartanas aſſerit *Riverius* ope ſui febrifugi ad grana xx. exhibiti; cujus remedii deſcriptio habetur apud ipſum *Riverium*, apud *Fr. Bernardinum Chriſtinum*, apud *Pharmacop. Schrödero - Hoffman. Rolfincium*, *Charras*, alioſque.

Nimias purgationes in curanda quartana vitupero, quas etiam nocivas eſſe notavit *Petr. Borellus in Obſervat.* ſcribit enim hic Auctor D. Maſnavium Tholoſanum Senatorem, non ſemel ipſi patris ſui mortem enarraſſe, qui Medicorum nimiis purgationibus, dum quartanâ laboraret, periit; quarè à violentia purgantium medicinarum abſtinere fas eſt, ac ad ſpecifica recurrere, velut ad ſacram Anchoram.

Multi Practici multa, ac Varia commendant amuleta, quorum aliqua hîc adnotabo, antequam diætam pro ſanandis quartanariis inſtituam. *Platerus* araneam in nuce avellana collo appenſam laudat; *Trallianus* ſcarabæum vivum fulvo linteo firmiter alligatum collo ſuſpendit; Dextrum oculum lupi alligatum, febres non tantùm quartanas, ſed alias quoque diſcutere ſcribit *Thom. Bartholinus*, cum *Sexto Philoſopho Platonico.* Lardum ſalitum intrà digitos pedum ligatum optimum fuiſſe demonſtratur in *Miſcellan. noſtr. curioſ. dec.* 1. *ann.* 3.

Ranas Virides in Quartanis prò amuleto adhibent multi; de ſimilibus verò curioſis remediis vid. *Jacob. Wolff. in ſuo ſcrutin, amuletorum cap* 2. *ſect.* 1. *pag. mihi.* 147.

Exteriùs etiam pro curatione febris quartanæ poſſunt varia topica linimenta, ac emplaſtra apponi; & hinc eſt, quòd peculiari laude ſuum Emplaſtrum in quartana potens effert *Helmontius tract. de Febrib.*, cujus deſcriptio per multos ſequens eſt. ℞. Ceræ ℥. j. agarici, ſtyracis calam. ana. ʒ. ij. ladani liquidi ℥. v. aſſæ dulcis, olibani optimi ana ʒ. iij. Miſce. Fiat Emplaſtrum. S. A. pulſibus manuum applicandum. Aliud emplaſtrum pro quartanæ cura componit *P. Joh. Fabri*: Emplaſtrum de cicuta multi laudant; alii illud de hyoſciamo extollunt; nonnulli balſamum *Minſichti* commendant; oleum ſcorpionum non pauci; & aliqui tandem oleum ſequens optimum eſſe volunt, quo inungi debet tota ſpina dorſi à nucha incipiendo, & ad os uſque ſacrum procedendo. ℞. olei Vulpini, Spicæ, Euphorbii, laurini, terebinthinæ, nucis moſchatæ ana ʒ. ij. m.

Specifica remedia medicorum multi proponunt, ut ſunt Radix tapſi barbati, decoctum Geniſtæ, radix Imperatoriæ, Ungulæ Phocæ, Caſtoreum, Cor Salamandræ, Ova Aranei, Jecur Delphini, Cor leporis, quod

quidem ſpecificum ego bis expertus fui ſine ullo fructu ; nil enim contra quartanam egit. Alia multa ſpecifica ab animalibus potiſſimùm deſumpta contra Febrem hanc adnotavi in mea Zoologia.

Nunc diæteticum medicinæ fontem videamus. Utatur igitur Æger cibis boni ſucci, & facilis coctionis, ut carnes ſunt juniorum animalium ; commendantur borrago, bugloſſum, pimpinella, petroſelinum, fæniculi radix, & rapa, de qua multa refert *Crato apud Scholtzium.* Fructus boni ſunt poma, paſſulæ, ficus pingues, amygdalæ, dactyli &c. Pro potu ſit vinum album optimè defæcatum, & etiam medicatum. Acida fugiat Æger, ne morbi cauſa augeatur; Die paroxyſmi æger cibandus eſt quinque ſaltem horis ante illius invaſionem ; Aër ſit temperatè calidus & purus ; imò commendatur à multis mutatio regionis ; Vitetur craſſus aër, nubiloſus, & marinus, nam hinc eſt quòd Maritimis Quartanæ ſunt familiares ; ſuadendus eſt motus, & Æger ſæpè ſe movere debet ; Somnus, ac Vigilia mediocres ſint ; Si alvus ſponte non fluat, artē excitetur ; Si excretiones aſſuetæ ceſſent, procurandæ ſunt ; Hilaritas denique concilietur, & mœſtitia arceatur.

Antequam autem hanc de Quartana tenuem meam diſſertationem claudam, liceat mihi eruditionis gratiâ nonnullas hiſtorias afferre rariores de quartana Febri ; *Clariſſ. Hagendornius* enim narrat, ſe obſervaſſe quartanam ſingularem in tribus ſororibus, quæ uno, & eodem tempore ægrotabant, iſtarumque natu Major quartanâ ſimplici, Media duplici, Minorque triplici laborabat.

Q. Fabium Max. Conſ. apud flumen Iſaram prælio commiſſo adversùs Allobrogum, Arvenorumque gentes à febri quartana in ipſa acie liberatum fuiſſe, Author eſt *Plinius* ; Idemque refert *Pareus* de Capitaneo pugnante cum Hiſpanis. De Quartana certæ Familiæ peculiari mentionem facit *Jo : Rhodius* ; *& B. Silvaticus*, ſe obſervaſſe ait Cænobitam cucullatum quartanâ correptum, quæ ſcabie ſolvebatur, quod idem ego adnotavi in quodam milite. Quartanas tertio, vel quarto paroxyſmo terminatas vidiſſe, dicunt *Jo. Speronius, ac Rhodius.* Albas Maculas in hac Febri ſemel obſervaſſe ſcribit *Carol. Piſo de Seroſ. colluv.*, nigraſque maculas in Querquera adnotavit *Silvaticus*, monente *Rhodio*, qui ſcribit etiam obſervationem curioſam, de quartana pertinaci imaginationi cedente. Hanc Febrem bis ego ebrietate fugatam vidi ; Terrore ſubitaneo, ac improviſo quartanarios liberari poſſe aiunt multi, & ego vidi mulierem ab aquæ frigidæ perfuſione inopinatè oppreſſam, quartana febri feliciter fuiſſe ſpoliatam.

Et hæc ſunt, *Benevole Lector*, quæ de Quartana brevis diſſertationis lex dicere permiſit. Hæc qualiacumque ſint, affectu bono tibi donata grato animo excipe ; ſi quid boni in iſtis reperias, fruere, ubi erravi excuſa ; & ſi quid inter excudendum errati irrepſerit, benignè corrige. Laudem à te pro brevi hac Diſſertatiuncula non poſtulo, mihi enim propoſitum eſt non plauſum legentium, ſed fructum proficientium quærere : qui enim hunc plauſum ſequitur ait *Seldenus de libris.*, planctu proſequendus eſt, & incipit laude indignus eſſe, qui legentium laudem ambit. Vale diu felix.

JOSE-

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec non S. R. I. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

EXERCITATIO
MEDICO - PHYSICO - ANATOMICA
DE
SALIVA HUMANA.

Ejuſque

NATURA, USU, PROPRIETATIBUS &c.

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

REVERENDISSIMO

P. MAGISTRO

VINCENTIO CORONELLI,

ARTIUM, & SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, SERENISSIMÆ VENETORUM REIPUBLICÆ COSMOGRAPHO, AC TOTIUS SERAPHICI ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM MINISTRO GENERALI MERITISSIMO.

JOSEPH LANZONUS

Salutem, & Felicitatem.

A *Vetuſta rerum memoria mos receptus ad nos uſque pervenit, ut illi omnes, qui libros ſuos pubici juris facere decernant, unum, aut virum Dignitate conſpi-*

cuum , vel heroicis virtutibus illuſtrem , aut eruditione celebrem , vel tandem Amicum eligant , cui librum donent : Ità ſapientiſſimus Peripateticorum Pater Ariſtoteles Eudemo , Nicomaco , & Alexandro Magno , Elegantiſſimus Poetarum Catullus Cornelio Nepoti , Lyricorum Phœnix *Horatius Mecenati , Incomparabilis Valerius Maximus Tiberio Cæſari , Illuſtris Flavius Vegetius Valentiniano Auguſto , & magnus Naturæ Bibliotecarius Plinius Veſpaſiano opera ſua dedicarunt ; Longum hìc foret , & epiſtolæ minimè conveniret ad inferiora deſcendere tempora , & plura exempla , quæ paſſim extant , undique velle conquirere ; Itaque qualecumque meum Opuſculum in lucem edendo, antiquum morem ſequi decerno , nec diu deliberandum fuit , cui potiſſimum meam hanc dedicarem, opellam ,* REVERENDISSIME PATER, *ſi enim Dignitatem quæro , pauci Dignitatis gradum tuo æqualem obtinent , ſi heroicas virtutes ; quis iſtis te fulget præſtantior , ſi Eruditionem , quis te dignior ob tot egregia Edita opera , ſi denique benevolentiam erga me tuam conſidero , quis tibi eſt præferendus , qui ſuavi comitate ſemper ſoles.*

Meas eſſe aliquid putare nugas.

Hanc ideò Exercitationem meam de Saliva ſub tuum conſpectum venire ſino , Reverendiſſ. Pater , Protectorem non habituram , quin potius ſuſtinuerit judicem.

Quò nil exactius , eruditiuſque ,
Sed nec candidius , benigniuſque.

Accipe igitur hilari vultu , & exporrecta , lætaque fronte hoc qualecumque munuſculum , tanquam ſpecimen , & teſtem meæ ergà te obſervantiæ , idque ſi dignum tua protectione videatur , tuere : Ego interim D. O. M. enixè rogo , ut gloriam tuam augeat , tua vota ſecundet , & ad tuæ Illuſtriſſimæ , ac ſemper Venerabilis Religionis perpetuum ſplendorem , & utilitatem , te ſervet incolumen. Vale.

Ferrariæ die 27. Febr. 1702.

AD

AD

LECTOREM.

TANTUM in me poteſt blanda vis Amicorum, ut tenuem hanc ingenioli mei opellam publici juris facere ſuſtineam, & vadum hoc tentare publicæ Famæ; Nihil enim mihi minùs in animo erat, quàm huic me devovere curæ faſtidioſo hoc, ac delicatioris palati ſæculo, quo plures ſunt Ariſtarchi, quos hodie alit obtrectatio, ut verbis utar *Stobæi*, & plures Sycophantæ, qui jejunè malevoli, nihil præter odium Litterarum profitentur, & ut nihil ſciunt, ità omnia carpunt acuendo linguas ſuas ſicut ſerpentes, omnia Theoninis dentibus dilacerando, ad vituperandum procliviores, ut ait *Plutarcus*, quàm ad laudandum, & quia quot homines, tot ſunt ſententiæ, ideò ſtat pro certiſſimo, quod ſcribendi modus, qualiſcumque ſit, voluntates omnes explere nequit, omnibus enim placere difficillimum eſt: Vicit nihilominus Amicorum importunitas, quibus me totum debeo, & licet mihi plus diſcendi incumbat neceſſitas, quam ſuppetat docendi facultas, ut loquar

verbis *Illuſtris Boylei in Tent. Phyſiol.*, attamen Exercitatio hæc de Saliva humana reſpicit lucem; cujus evolvendo pagellas, ut te benevolum Lectorem præbeas enixè rogo, & hunc qualemcumque ingenii mei fœtum, æqui bonique conſulas oro; Obſervabis autem perlegendo, me multos paſſim Authores, & plures forſan, quam par eſſet adjeciſſe, quod tamen haud iniquo, ut ſpero, feres animo, neceſſum enim duxi verbis meis Doctorum Virorum teſtimoniis in medium allatis fidem conciliare; nec per hoc, quod aliorum ſententias tranſcripſerim, me damnes velim, nam rectè in ſui Eunuchi Prologo cecinit *Terentius*.

Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit priùs,
Quare æquum eſt, te cognoſcere, atque ignoſcere.

Plura quidem circa Salivam addere potuiſſem, aſt cùm non volumen, ſed tantummodò Exercitationem parvam conſcribere decreviſſem, nolui juſta mole eandem excedere, præceptorum memor *Stobæi* lectione; & doctrina mirabilis, *ne verbis multis pauca comprehendas, ſed paucis multa*, & antiqui Athenienſis Comici *Menandri*.

Impudentes ſermones hoc ſolo juvantur, ſi fiant breves,

nec non Lyricorum Phœnicis *Horatii* in gremio Muſarum educati

Quidquid præcipies, eſto brevis, ut citò dicta,
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Nonnulla forsàn irrepſere in hujus Opuſculi impreſſione Menda, & Sphalmata, tùm ob oculi mei prætervolantis indiligentiam, cùm ob Typographi incuriam, quæ juxtà rei ſenſum faciliter apparentem, ut emendes rogo; commata verò, & diſtinctiunculas alias, quæ hinc indè negligenter impreſſa invenies criſi tuæ, & arbitrio committo; Interim Vale, ac me ama.

HIERO-

HIERONYMI BARUFFALDI
PH. D. FERRARIENSIS

In Undequaque Clariſſimi VIRI, *& Amici Candidiſſimi*

JOSEPHI LANZONI,

Med. Ferrarienſ., in Patr. Lyc. Lectoris.

OPUS
DE
SALIVA HUMANA.

PHALEUC.

Q*uid*, LANZONE, *tot editis libellis,*
Quos non Occidui invident Eois,
Quos nec poſtera pejerabit ætas
Huic noſtro decus attuliſſe ſæclo
Quid LANZONE *novum voves Minervæ*
Phœbeæ Artis Opus BONÆ SALIVÆ?
Non ſat Pœonia *quot* Arte claros

Regali

Regali Padus educavit undæ
Chartis vivere ? non ſat orbe noſci
Condiri *queat* Arte *qua Cadaver ?*
Non ſat Citria , *non ſatis* Corollas
Æternam ingeniis olere Famam ?
Sunt hæc crede mihi , ſatis ſuperquè ,
Ut doctum queat uſquè ad aſtra Nomen ,
Vel viſu invidiæ probante , tolli ;
At perge , & nova ſemper Eruditis
Mentis prome penu diu repoſta ,
Quò , ſi plus nequeat , nitere nomen ,
Saltem nomine Res tuo niteſcant.
Ipſa , dic rogo , quid fuit SALIVA
Olim ſordidiuſque , viliuſque ?
Quid nunc nobilius , ſalubriuſquè ?

Canebam in meo Muſeo Ferrariæ Kal. Febr. 1702.

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

EXERCITATIO MEDICO-PHYSICO-ANATOMICA *DE* SALIVA HUMANA.

CAPUT PRIMUM.

De Salivæ Natura, & cauſis.

VT à nomine incipiam, & rem ab ovo, ut dici ſolet exordiar, Saliva dicitur, quod ſalis ſaporem habeat juxtà *Perrotum*, & *Laurentium*, vel à ſaliendo, quod in ore ſaliat, & creſcat, ut *Rob. Stephano* placet, ſive à ſalvando ſalvia, quaſi ſaliva nuncupatur, eo quod multos morbos ſanet; ac ſalvet, ut cum *Galeno*, *Plinio*, *Martinio*, & aliis *Cornelius à Lapide* ſcribit; Varias hic

humor ſortitus eſt definitiones, ac nomina juxtà varias Doctorum ſententias; nonnulli enim ſalivam, tanquam inutile corporis excrementum conſiderarunt, qui tamen à *Galeno* admonentur, ſalivæ generationem inter ea eſſe, quæ providè à Natura fiunt; undè merito alii velut utiliſſimum machinæ humanæ laticem ſalutarunt; hinc cum *Jungkenio*, & *Bohnio*, *Zypæus*, ſalivam, humorem ſeroſum ex ductibus ſalivalibus extillantem definivit; primum Naturæ menſtruum in humano laboratorio vocavit *Waldſchmidius*; Liquorem à ſanguine ſeparatum per proprias glandulas *Tauvry* dixit; Principale chylificationis menſtruum *Georgius Baglivus*; primariam alterationis alimentorum cauſam *de le Boë Sylvius*; humorem præparatum à parotidibus glandulis *Saccius*; Simplicem lympham *Paulus Ammannus* in ſua paræneſi; humiditatem ex ſero à ſanguinea maſſa ſegregatum *Gerardus Blaſius*: Vaporem e ventriculo per œſophagum in os aſſcendentem, ibique condenſatum *Carteſius*; Excrementum glandularum, quæ ſub lingua reperiuntur *Zacutus*; Spumam fermenti *Grebnerus*, & humorem aquoſum planè inſipidum *Warthonus*: Relictis autem hiſce variis ſalivæ nominibus, ac definitionibus, ego ſalivam definio, liquorem limpidum, ex arterioſo ſanguine à glandulis propriis ſeparatum, & per ſalivales ductus in oris cavum ad uſus varios effuſum; limpidum dixi liquorem, colori tamen, & perſpicuitati aquæ aliquantulum cedens, cùm lucis radii in ſaliva, quam in aqua paulò majorem ſubeant mutationem quod autem ſpumoſa expuatur, non ſibi, ſed linguæ, & oris motui hoc debetur; hinc optimè aſſerit *Anton. Nuckius*, ſpumoſam ordinariò, & tenacem ſalivam reddi, quia linguæ, muſculorumque maxillam inferiorem moventium motù variè agitatur, undè ſal, quod in ſalivali continetur liquore, fortè lixivioſum, unà cum ſpirituoſis acidis, & oleoſis partibus, dùm ſpiritus volatilis diſſipatur in auras, in ſpumam abit, nivis modo albicans, quæ varietas ex eo provenit, quod radii lucis tum temporis majorem, quam ante ſubeant mutationem, magis tamen ſpumoſa ſaliva apparebit, ſi longiori ſermone humor ſalivalis agitetur; Accedit quod aër aſſiduè inſpiratus, & expiratus,

ratus, multùm ad id contribuat, potiſſimùm ſi ſalivæ diutiùs maneat permixtus, uti hoc videre eſt in his, qui apoplexia afficiuntur, in quibus, dùm liber aëris exitus denegatur, talis ſpumoſa ſaliva ordinariò conſpicitur; Dixi à ſanguine ſeparari, quia arteriæ glandulis præter calorem, nutrimentum quoquè, ſimulque ſalivæ materiam ſuppeditant, quod probant magnæ ſalivationes, vel ſpontè ſubortæ, vel arte procuratæ, quæ ſæpè craſim ſanguinis vitiatam corrigunt, ac affectiones cruoris tollunt, quod ſanè non fieret, ſi à nervis, vel aliundè ſalivæ materia deveniret: Negat autem *Helmontius*, ſalivalem liquorem à ſanguine ſequeſtrari, oriri ſtatuens à ſuo latice humorali neglecto; & cum *Bilſio Deuſingius*, eum à rorifero ſucco ſtatuit provenire; Aſt non tantùm ſanguinem arterioſum ad ſalivam conſtruendam concurrere tradit *Paul. Ammannus*; verùm ſpiritus etiam animales per nervos in glandulas ſalivales derivatos: Effluit autem per proprios ductus ſalivalis lympha, de quibus ſingillatim ſcribam in ſecundo capite hujus meæ Exercitationis. Nomine verò ſalivæ hìc non intelligo; quemadmodùm confundunt aliqui, craſſum illud, viſcidumque liquamen, quod è tonſillis, tuſſi, aut ſcreatu exprimitur, quodve ſputum nuncupatur, de quo tamen nonnulla in ultimo capite diſſeram, cùm varia circa ſputum, & ſalivam enumeravero, ne forte aliqua in præſenti meo tenuiſſimo opuſculo deficere videantur; Notanda hìc ſolummodò venit differentia, quæ inter ſputum, & ſalivam procedit; per ſputum enim intelligunt prudentiores Phyſici, humorem tenacem in ore cum moleſtia redundantem, atque vel ex catharri defluxu collectum, vel ex ſalivæ corruptione genitum, ſive cum tuſſi à pulmone rejectum; per ſalivam autem liquorem naturalem in ſanis intelligunt, non ſuperfluum, ſed ad oris humectationem, ciborum maſticationem, concoctionis præparationem, & ad alios uſus neceſſarium; Pariter notanda eſt diverſitas, quæ intercedit inter ſalivam, & illum mucum, qui è cerebro per os cribriforme delabitur & partim per nares evacuatur, partim per palati poſteriora ad fauces deſcendit; non quod hic humor ratione originis multum diffe-

rat à ſaliva, ſed quod mucus ratione longioris moræ in via, ſæpè alienam adipiſcatur qualitatem, antequam ad os perveniat; Sanè liquor iſte in homine ſano in cerebri ventriculis ſatis fluidus, ac tenuis exiſtit, non tantùm verò inſtar ſalivæ oris; propter quam tenuitatem per minima foramina oſſis cribriformis faciliter in ſpongioſa narium oſſa elabitur, in quibus per moram, & per tranſitum aëris, craſſitiem, colorem, aliaſque à ſaliva alienas qualitates acquirit: Verùm quia de muco ſermo intercidit, opere pretium exiſtimo, nonnulla obiter juxtà mentem *Clariſſ. D. Raymundi Vieuſſens in ſua Neurographia generali lib.* 1. *cap.* 16. de membrana pituitaria adnotare; hæc enim membrana eſt pars fungoſa, ſpongioſa, & glanduloſa, plurimis diverſi generis inſtructa vaſis, quæ propriè, ac primariò aſcendentis ad caput ſanguinis, aquoſis, lentiſque ſuccis excrementitiis excipiendis, & excernendis apta comparata eſt; dicitur autem pituitaria, quia, aquoſæ, craſſæ, & viſcidæ aſcendentis ad cerebrum ſanguinis partes, ad illam amandantur, ac in ea à ſanguine ſecernuntur, & deinceps vel ſcreatu, vel narium emunctione extruduntur; ex quo etiam patet, quanta ſit, à me jam dicta diverſitas; ac differentia inter mucum, ſcreatum, & ſalivam; Talis verò membrana exiguis foraminibus diſtinguitur, & ſi digito comprimatur mucum confeſtim emittit; & ſi è capite exempta in aquam immittantur, ſpongiæ ad inſtar illius partes abſorbet, quod oculari inſpectione obſervavit *Excellentiſſ. D. Franciſcus Juſtinus Medicus, Chirurgiæ Profeſſor expertiſſimus, nec non Anatomicus diligentiſſimus* in ſectione capitis unius Militis ſæva peripneumonia extincti in Magno noſtro D. Annæ Xenodochio, cui feliciſſimè operam ſuam chirurgicam præſtat; Hinc in ea membrana obſervantur quamplurima vaſcula glandulis intertexta, ac nerveæ propagines à nervis conjugationis quintæ derivantes, & arteriæ innumeræ ſuis comitatæ venis; & notandum cum Citato *Vieuſſens*, hanc membranam pituitariam, multò pluribus arteriarum propaginibus, quàm reliquas oris partes irrigari; ſiquidem ea, ubi ſpatium poſti-

cæ

cæ oſſis vomeris parti, & maximo oſſis occipitis foramini interjectum occupat, & ubi tum os, quod *Vomer* nuncupatur, tum narium; tum meatuum duorum, qui à naribus ad fauces tendunt, interiora obducit, numeroſiſſimis vaſis ſanguiferis intertexta apparet, quæ in plexulos hepatis, uterinis plexibus non abſimiles abeunt, unde poſteà nihil mirum, ſi lentis, & aquoſis ſuccis excipiendis, & excernendis aptam eſſe jam dixerim; nam non tantum vaſa cruoris in hac membrana obſervantur, verùm plures breves ductus, quos officii reſpectu muciferos nominavit *D. Raymundus Vieuſſens*; Mucifera autem hæc vaſa ſetam facillimè admittunt & in illa præcipuè ejuſdem membranæ pituitariæ parte conſpiciuntur, quæ poſticæ oſſis vomeris, & utriuſque oſſis palati parti appenditur; hæc igitur membrana prædicta munera præſtat, & ab hac mucoſus humor derivat; nullus enim eſt homo; licet perfectè ſanus, qui ſæpè, vel narium emunctione, vel ſcreatu, excrementitium pituitoſum quendam humorem, non extrudat; Cùm ergo differant vaſa ſalivalia, ab his mucoſis ductibus, cum differant glandulæ, & membranæ, dicendum pariter erit, eſſentialiter differre ſalivam à muco, qui à membrana pituitaria originem trahit; de qua membrana plura cupientibus dabit in loco ſuprà citato *Clariſſ. Vieuſſens Medicus Monſpelienſis præſtantiſſimus*; Differt pariter ſaliva à lympha, & Succo pancreatico, quamvis, & illa, & iſte à glandulis elaboretur ex ſanguine arterioſo, quia in ſaliva non eſt manifeſta aciditas, ut in ſucco pancreatis, nec talis tenuitas, ut lympha; ſed eſt craſſior, & manifeſtè inſipida, ideòque cùm ſit in eſſentialibus qualitatibus pituitæ ſimilis, ità non differre ſalivam recentiorum ab antiquorum pituita docent *Pomp. Saccius*, & *Daniel Becherus*. Hanc non eſſe corpus ſimplex, ſed compoſitum aſſero, varii generis enim particulas in ſe continet, ſalinas nempè, acidas, oleoſas, inſipidas &c. unde difficile judicat *Diemerbroeckius* ſingularem ejus compoſitionem exactè deſcribere, quam tamen admirabilem eſſe teſtatur; omnibus ſiquidem alimentis facillimè admiſcetur, ſiccis, humidis, oleoſis, aquoſis, ſalſis, ſulphureis &c.; nul-

lum enim ingeritur, cui non aſſocietur, imò extrà corpus noſtrum etiam cum argento vivo miſceri, eique aſſociari queat, cùm alioquin alii ſimpliciores heterogenei humores, aqua, ſpiritus, oleum, ſal, aliique ſimul mixti à ſe mutuò recedant, cum quibus tamen omnibus ſaliva unitur, quæ ſua mediatione, omnia illa non modo miſcere, ſed etiam inter ſe unire valet; ità ut videatur, inquit *citatus Diemerbroeckius* mercurius quidam humoralis, ſeù menſtruum internum univerſale, quo quælibet ore aſſumpta mòx junguntur, & cum eo ad ventriculum deſcendunt, ut in eo omnium exactior diſſolutio promoveatur; Ex quibus omnibus judicavit *Sapientiſſ. D. Joh. de Muralto Acad. Curioſus & Collega meus eruditiſſimus*, una cum *Silvio de le Boë*, ac *Dolæo*, illam in ſe continere multum aquæ, parùm ſpiritus volatilis, & minimum ſalis lixivioſi, cum olei, ſpiritusque acidi tantillo inter ſe commixtis, ac temperatis; Ab hac tamen recedentes hypotheſi *Jacobus Lemort in Chimia*, *Ettmullerus in Schrôd. Dilucid. Gulielminus de nat. ſanguin.*, *Baglivus in Epiſt. ad Paſcolum*, & *Craanen de homine*, ſalivam ex aliis conſtare partibus aſſerunt; *Lemort* enim acido-ſalſas tantum particulas in ea eſſe contendit expertus; *Ettmullerus* ſpiritu acido ammoniacali turgere ſcribit; *Gulielminus* ex glutinoſo liquore multis ſalibus ſolutis præſertim tartareis impрægnato, multoque aëre, conflatam eſſe ait; *Baglivus* ſal nitro-ſalinum univerſali analogum ſali in ſe continere ſalivam edocet; *Craanen* verò, hanc ex particulis tàm acidis, quàm ſalinis aqua mixtis componi aſſerit; & quod mera aqua non ſit eò probat, quod igni impoſita, & in vaporem acta relinquat in fundo corpus album ſalſo-acidum: Hanc autem poſt levem ſuarum particularum inter ſe agitationem, cum plurimis liquoribus tùm acidis, tùm alkalibus, variiſque ſpiritibus ſeſe admiſceri ſalivam obſervavit *Clariſſ. Nuck*; ſive enim cum urina, cùm ſale abſinthii liquato, liquore tartari, aqua forti, ſpiritu ſalis, ſpiritu nitri, oleo ſulphuris, Spiritu urinæ, Cornu Cervi, ſanguinis humani, ſive horum aliquo admiſceatur ſaliva, expertum noviſſe fatetur, poſt lenem luctam, ſe ſe omnibus, & ſingulis aſſociare, & de colore parùm tantum mutare; hinc multa

&

& varia experimenta chymica circa ſalivam à ſe facta refert citatus *Nuckius*, quæ curioſus lector videre poterit *in cap.* 2. *ſuæ Sialographiæ :* Solummodò verò ex dictis mihi liceat colligere, quod licet inter ſalivam, & nonnullos alios liquores, aliqua lucta obſervetur, attamen cum plurimis tamen exactè ſe miſcet, idcircò concludendum, quod ori excepta, aut ventriculo tradita, cum eſculentis, & potulentis jungi commodè poſſit, quibus inſervit pro menſtruo fermentativo, quam fermentandi virtutem in ſe continere, præter dicenda in cap. 3. ubi de ſalivæ uſu loquar, experientia comprobatur; nam ſi panis fruſtulum optimè teratur, multæque ſalivæ admiſceatur, deindè in maſſa farinæ competenti indatur, & hanc fermentare faciet, pari pacto, ac fermentaretur ab ordinario panis fermento; hinc *Kergerus tract. de Fermentat.*, ſalivam fermenti naturam habere colligit, eo quod pulmenta cochleari facta, quod ex hominis ore trahuntur facilè, ac brevi tempore funduntur, & fermenteſcunt, cujus fermentativæ virtutis cauſam, ex ſalina ejus natura deducit *Magnif. noſter Præſes D. Lucas Schroekius Dec.* 2. *Miſc. A. N. C. An.* 6. *ſchol. ad obſerv.* 62. imò plures alimentorum antè aſſumptorum particulas ſalivam retinere docuit *Dan. Tauvry in Anatomia*, ideòque aptiſſimam eſſe ad diſſolvenda alimenta, utpotè illis valdè homogenea quoniam particulæ hujus ſolventis, rei diſſolvendæ particulis eò faciliùs adhæreſcere poſſunt, undè *Galenus* vires rebus maſticatis præbere ſalivam ſcribit *in* 5. *de comp. medic. ſec. loc.* Hinc de natura pariter, hujus liquoris, an ſcilicet menſtruum acidum ſit? an ſulphureum? ſaliva dubitant multi; quiſquis autem conſideraverit, ſalivalem humorem ex ſanguine ſuam habere originem, cum mercurio miſceri, naturam aquæ referre, & omnia diſſolvere corpora, illum eſſe univerſale quoddam menſtruum dicet, ab alimentis acidis, ſalſis, ſulphureis alkalium natura gaudentibus proveniens, undè poſteà omnia alimenta valeat diſſolvere; Proindè figit mercurium inſtar menſtrui acidi, diſſolvit ſulphura inſtar alkalium, inviſcat in morem ſulphuris, necnon diſſolvit quoquè ſalia ad modum aquæ, atque ad inſtar ſpirituoſi, & ſalino-volatilis corporis excitat

excitat fermentationem, undè *Clariſſ. Tauvry in cap. 1. Anat.* ſalivam nominat *Alchaeſt Helmontii*, cùm ſolvens exiſtat univerſale, quod omnes alimentorum ſpecies ſolvere poteſt, ac debet; hinc refert *Tackius* Nobilem quendam in ſaliva quæſiviſſe materiam univerſalem, indéque liquorem rubicundum impetraſſe, ſed ad ſcopum ſuum nihil; nec me latet, alios aſſerere in ſaliva ſolummodò, acidum quoddam occultum eſſe, hoc rationibus ſequentibus probando. I. Quia mercurium figit. II. Addita farinæ fermentat. III. Corrodit vaſa cuprea, præſertim ſi ſit ſaliva ſcorbuto, & ſyphilide affectorum. VI. Candenti ferro admota relinquit maculam, quam ſimplex aqua non facit. V. Impetiginem ſanat illita. VI. Viſcoſa eſt, atque. VII. In veſtibus maculas tollit; verùm ut hiſce difficultatibus reſpondeam, conſiderabo. I. Corpora quædam quæ non ſunt acida, & mercurium figunt, ut Terebinthina, quæ ope ſuæ viſcoſitatis tantùm hoc facit. II. Dico, non eſſe opus, ut acidum ſit illud, quod farinam fermentat, ſufficit enim, ut ſit ſpirituoſum, vel ut obſtruat poroſitates, per quas materia ſubtilis motum ante liberum obtinebat. III. Concedo in lue venerea, & ſcorbuto, illam acidam eſſe, imò corroſivam, ſed per hoc non infertur eam talem eſſe in ſtatu ſuo naturali. IV. Nullus ait eam ſimplicem aquam eſſe, ſed ſalibus onuſtam, acidam ſolummodò ſimpliciter eſſe nego. V. Dico reperiri multa alkalia efficacia, & fortia, ut V. G. oleum tartari, &c. quæ impetiginem curant, quarè neque ex hoc deducendum, ſalivam tantummodò eſſe acidam; ſed ob mixturam ſuam ſalino - ſulphureo aqueam, & conſequenter abſterſivam, talem virtutem habere ait *Wedelius in Phyſiolog. reform. cap. 9.* VI. Terebinthina licet etiam viſcoſa, tamen non eſt acida. VII. tandem, multa ſalia, quæ ſunt lixivialia, maculas à veſtibus tollere compertum eſt; undè concludendum ſalivam humanam menſtruum tantùm acidum non eſſe; verùm ſolvens quoddam microcoſmicum pro omnibus eſculentis; potulenta enim menſtruum ſuum jam penes ſe tenent, adeòque non indigent alieno, ſcilicet ſalivali, cujus energia præcipuè habetur a ſale, quod in ſaliva tenet imperium,

rium, & à particulis aëreis, quibus ſpecifico modo ipſam condiri aſſerit præclariſſimus *D. Aloyſius à Fabra nunc in patrio Archi Lyceo Ferrarienſi celeberrimo eruditiſſimus Lector ordinar. in Dioptr. Phyſ. Med. de Nutrit. cap.* 14. quas particulas aëreas ipſæ ſalivæ tribuit quoque magnus ille Philoſophus, & Mathematicus *Dominicus Gulielminus exercit. de ſang nat. pag.* 102. his verbis: *Saliva glutinoſo liquore, multis ſalibus ſolutis præcipuè tartareis impregnato, multoque aëre componitur.*

Quarè autem magnus fiat ſalivæ proventus in ore ex ſolo cibi grati aſpectu, vel etiam ejus audita deſcriptione, quærunt nonnulli curioſiores Phyſici, fierique hoc putat *Craanenius*, quatenus conſpectus, & imaginatio cibi grati cauſat in nobis affectum animi; Verùm ſuppoſito, aliquos nervos ad ſalivales glandulas pervenire, ipſaſque, ut docet *Stenonius*, motu poſſe gaudere, dicendum eſt tale phænomenon ad glandularum motum ſalivalium ſpectare, ex illa enim viſione, aut deſcriptione grati edulii fit motus in ſpiritibus animalibus, undè major pariter motus in glandulis ſalivalibus habetur, ex quo motu copioſus ſalivæ proventus per proprios ductus in os extillat, hinc movere ſalivam aiunt *Seneca in Epiſt.* 79. & *Perſius in ſatyr.* 6., ſuper quem locum ità ſcribit eruditus *Caſaubonus*: *quando anima movetur appetitu aliquid edendi propter partium ſympathiam ſtatim ſaliva in ore naſcitur, tanquam ſupplente pro ſua virili natura defectum rei optatæ, quod etiam in aliis affectibus ſimili ratione poteſt obſervari*; præ libidinis etiam furore, & concubitûs deſiderio, ſalivam in homine abundare, ac uberiùs effluere notavit *Lubinus in Juvenal. Satyr.* 9. hinc *Perſius* cecinit,

Nec gluto ſorbere ſalivam mercurialem;

Libidinis ergo impatientiam exprimit talis ſalivæ copia, qualis erat in Pathicis illis, qui ut refert *Martialis* Draucos, vel benè a Natura inſtructos in balneis nudos videntes, oculis devorabant; Imò habet fames vehementior imprimis ſibi frequens hoc, ut uberiore, ac tenuiore ſaliva os ſcateat, quod evenire putat *Clariſſ. Johan. Bohn. Circ. anat. pag. mihi* 128. *pro-*

ſym. verò 8. a cauſa famem intendente, quia fluiditas hæc ſalivalis emergere videtur aquoſior ob nutritiarum molecularum depoſitionem, undè ſaliva uberiùs ad glandularum ejus colatoria permeat; & in os deponitur; Sic ubi aliquid grati olfacimus copiosè in os ſuſcitatur ſaliva, quia nervi paris vagi non tantùm propagines ad ductus, & ſalivales glandulas demittunt, ſed etiam aliquos ad nervos olfactorios, undè facto in hos influxu fortiore, augetur & ille in nervis paris vagi, quo ulterius fibrillarum contractione, ductus ſalivæ anguſtantur, & ſic ſalivam ipſam ejiciunt, ità explicante *Præſtantiſſ. Franciſco Zypæo Fundam. Med. part.* 2. *cap.* 3. *artic.* 12. Vomitu verò inſtante abundat pariter ſalivalis humor in ore, quia ventriculus, cum glandulis maxillaribus participationem habet ope ramorum nervi ſexti paris, continuando ſecundùm ſuam tunicam interiorem, cum ea, quæ in faucibus, & palato exiſtit, ac ſic ſympathicè contrahuntur, & liquorem ſuum eructant illæ glandulæ, eodem penè pacto, quo irritata Membrana, quæ reperitur in œſophagi principio vomitus ſuccedit; Cur autem glans plumbeus, ſive ceraſi nucleus in ore detentus, ac rotatus ſitim ſedet, facilè colligitur ex linguæ motù, quia linguam movendo, ductus anguſtantur ſalivales, & ita latex ſalivalis exprimitur, undè copioſus emanans ſitim arcet.

Hæc verò de natura, & cauſis ſalivæ uſque adhuc dicta ſint ſatis; nunc ejus vaſa luſtremus.

CAPUT II.

De Ductibus Salivalibus, & de ſecretione Salivæ.

NON omnia apud priores meliora eſſe inquit *Tacitus lib.* 3. *Annal.* ſed noſtra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda poſteris tulit

Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis.

Sapien-

Sapientiam ſibi ipſis adimere ſcribit *Lactantius lib. 2. divin. inſtit. cap. 8.* qui ſine ullo judicio majorum probant inventa, & ab aliis pecudum more ducuntur, nec quia nos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque pariter anteceſſere; veterum enim opiniones parum exactas, ac rudes eſſe ait *Seneca*, undè optimè Poeta cecinit

Vilia ſunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectavimus olim.

Fatendum quidem reor in majorum noſtrorum ſcriptis non contemnenda extare fundamenta artis noſtræ, verùm omnia veteres ſciviſſe, & quæcumque præcipuè in Anatome obſervaſſe, nihilque nobis perpendendum reſtare nequeo concedere; multa enim adhuc reſtant in Microcoſmo, ſemperque reſtabunt videnda, quæ tamen à noſtris erunt ſperanda Nepotibus; quamvis enim plurima, qui ante nos fuere, ingenioſi, ac curioſi Naturæ ſcrutatores, ut *Hippocrates*, *Democritus*, *Ariſtoteles*, *Galenus*, & alii plures, egerint, non tamen, ut ait Romanæ Scholæ Princeps, omnia peregerunt; multumque ex veritatis inquiſitione etiam futuris relictum eſt, quod ſedula inveſtigatione è Naturæ abyſſo protrahi poteſt in lucem, undè *Hippocrates* ipſe hanc veritatem confirmans exclamavit, ſcribendo ad *Democritum*; *Ego ad medicinæ finem non perveni etiamſi jam ſenex ſim*, & GALENUS 14. *Meth. cap.* 17. *Plurima hodie inveniuntur, quæ apud majores noſtros non fuere inventa:* Eandem eſſe Philoſophorum, ac Anatomicorum rationem in peragratione microcoſmi inquiunt optimè *Celeberrimi Mangetus*, & *Clericus in Præfat. Bibl. Anat.*, quæ Geographorum, & Viatorum in itineribus terrarum orbis luſtrandi cauſa ſuſceptis; novas terras per intenta olim maria poſtrema aperuerunt ſæcula, & quantæ adhuc ſuperſunt ignotæ terræ? Multa viderunt recentiores in humano corpore ignota veteribus, at quam multa relicta ſunt poſterorum induſtriæ, quæ nos adhuc fugiunt! In Patria certè adhuc Hoſpites ſumus; At quemadmodum verè vaticinatus eſt, qui temporibus Neronis dixerat

Venient Annis
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat Tellus, Tiphyſque novos
Detegat orbes, nec ſit terris
Ultima Thule.

Ità ſperandum eſt: In præſentiarum autem mihi ſufficiat de novis ductibus ſalivalibus, & de ſecretione ſalivæ ſecundùm modernorum inventa diſſerere; quamobrem variè diſputarunt Anatomici de origine ſalivalis humoris ora rigantis; Multi enim ſalivam à cerebro per occultas vias provenire dixerunt, alii à nervis, & ſuccum eſſe nerveum putarunt; à rorifero quodam ſucco per lymphatica vaſa eo deſtinata oriri ſalivam credidêre nonnulli: aliqui per chyliferos ductus advenire voluerunt; non pauci demùm illam à ſanguine per proprias glandulas ſeparari, & per proprios ductus in oris cavitatem demandari docuere: Aſt qui per occultas vias ſalivam provenire contendunt, anatomes imperitos, ſe manifeſtè declarant, cùm hæc vaſa, non occulta, ſed aperta in ore conſiſtant; quæ fuere quoque adnotata ab *eruditiſſ. Cælio Rhodigino lib. 3. antiq. lect. cap. 30.* ſub his verbis; *in linguæ radice duo ſunt orificia, quæ ſalivæ fontes dicuntur*; neque à nervis prodire dicendum eſt, cùm nemo, quod ſciam, adhuc ſuccum nerveum aſpexerit; ſectoque nervo talis non effluat liquor, quemadmodum expertus eſt *oculatiſſ. Graaf. de ſucc. pancr. cap. 2.* neque in nervis ſint idoneæ cavitates ob tranſitum ſalivæ, cùm ſanè hæc conſtet è particulis craſſioribus, quam ut per anguſtiſſimos nervorum porulos pergat, per quos tantummodò ſpiritus animalis non verò ſaliva tranſire poteſt; imò addit *Clar. Diemerbroeck Anat. lib. 3.* minimum etiam liquorem viſibilem in poros nervorum incidentem paralyſim inducere; quarè nequeo me ſubſcribere opinioni *Celeber. Malpighii cap. 3. de Cereb. cortic.*, ſcribentis hæc verba; *inter vaſorum genus reponendas eſſe nerveas fibras, vulgatum illud indicare videtur his ſcilicet ſectis copioſum quendam ſuccum, ovi albumen referentem igneque concreſcibilem emanare*,

nare, ut in ſecto brachii nervo obſervavi; hanc enim *Malpighii* ſententiam, & experimentum *Graafii*, & aliorum, necnon rationes ſuperiùs dictæ jam ſatis evertunt; ſuccus autem ille obſervatus à *Malpighio* in nervo brachii ſecto nutritius ſuccus non fuit, ſed aqua, ut dicunt glarealis, vel articularis, qui eſt humor circà articulos, ad eorum humectationem, & lubricitatem ſubſiſtere ſolitus; de quo plura apud *Liemerbroeck. Anat. lib. 3. cap.* 11., optimè igitur in hac re *eruditiſſ. Sbaragli*, ait ſuccum nerveum in mente hominum eſſe, ſed non in natura; Nec magis autem ſaliva à lymphaticis vaſis expectari poſſe aſſerit *Nuckius*, cùm hæc vaſa à partibus lympham cor versùs vehant, non verò e contrà; valvulæ enim in his ubique obſtarent, præter quàm quod ligaturæ contrarium ſatis manifeſtè demonſtrant; neque à chyliferis ductibus deduci poteſt ſalivalis aqua, quia chylifera vaſcula eo uſque non excurrunt, & quia chylus, ſi eò deferretur ad majorem perfectionem deberet excoqui, ſicut fit in meſenterii glandulis, non verò in alium minùs alimentarem, & ſolummodò fermentaceum ſalivalem humorem ibi immutari deberet; igitur à ſanguine arterioſo provenire eſt fatendum; omnes enim liquores in humano corpore, exceptis quibuſdam ſtercoribus, ab illo proveniunt: Verùm antequam vaſa ſalivalia deſcribam, ac modum ſalivalis ſecretionis exponam opere pretium exiſtimo, hìc primò reſpondere *Eruditiſſ. D. Theodoro Janſſonio ab Almeleoveen* in ſuo libro cui titulus *Inventa novantiqua*, qui

Laudat præteritos, præſentes deſpicit annos,

ut loquar verbis *Corn. Galli eleg.* 1. laudi, & gloriæ Novatorum invidens, ut verbis utar *Illuſtriſſ. D. Ant. Mar. Salvini in eruditiſſ. ſua 2. Acad. lect.*, & nimis fortaſsè indulgens Veterum autoritatibus, vel potiùs felicitatem, ac ingenii ſui acumen oſtentans, omnia penè inventa neotericorum, ut & vaſa ſalivalia, antiqua eſſe documenta contendit; *Hippocratemque*, *Galenum*, *Avicennam*, alioſque veteris Medicinæ Proceres, omnia ſciviſſe, recentioreſque Phyſicos, Anatomicos, ac Medicos ab

illis mutatis verbis inventa ſua mutuari, cui autori adhæret Famatiſſ. *Jo. Hieròn. Sbaragli Bononienſis Medicus exercit. phyſ. anat pag.* 92. ſcribendo; *vaſorum ſalivalium notitiam vetuſtiſſimam eſſe; ſicut & multarum aliarum rerum, quæ pro novis imponuntur, quamvis ſæculis elapſis fuerint à viris præclariſſimis cognitæ, & publici juris factæ, & solùm ab illis, qui ultimos libros, ultimoſque Authores legunt, & adorant ignoratæ; quod pejus eſt calumniis, & contumeliis illos à quibus acceperunt gratis proſequuntur;* De ſalivalibus ergo vaſibus ſic ait *citatus* Jansonius; „ Adeſt Galenus de uſu part. lib. 9. cap. 3. „ loquens *per palati foramina*, & paulò ulteriùs *in palatum ceù in* „ *os foraminibus deſinentibus*; & lib. 11. cap. 1ſ. *continens jam in* „ *ſe ſe meatuum cerebrum purgantium foramina*; ſic iterum Gale- „ nus *quid igitur natura non ut palati os, ità, & capitis tenuibus* „ *foraminibus, quaſi cavernulis quibuſdam pertudit*; quæ ſi juſtè „ perpendantur verba, hiſce Galenum illa foramina deſcripſiſſe „ mihi facilè perſuaſero, & ut abſolvam ità Oribaſius *ad hoc* „ *vinculum utrimque ex obliquis partibus ora vaſorum, quæ ſalivam excipientia dicuntur, invenies, in quæ deſcendere ſtylus poſ-* „ *ſet* nobis hæc abundè ſatisfaciunt, tribuat jam quicumque vo- „ luerit diligentiſſ. Warthono horum ductum inventionem; „ quod ad me, ego Galenum, Oribaſium illos vidiſſe lubens ag- „ noſcam; Hæc, & alia plura habet *clariſſ. Janſſonius loc cit.* ut credere faciat vaſorum ſalivalium inventionem antiquam fuiſſe; Quibus tamen omnibus ritè, & rectè examinatis, luce meridiana clarius pateſcet, aut circà ſtructuram, aut ſitum Antiquos graviter erraviſſe; nam licet dixerint, duo oſtia ſub lingua conſpici, attamen nimis latè hoc ſumptum eſt, per hoc enim non oſtenditur præciſus oſtiorum locus, idemque eſt, ac ſi aliquis diceret, in duodeno eſt oſtium pancreatici ductus, quis mortalium ſciendi cupidus per hoc fidem concederet, tale oſtium dari, niſi accurata demonſtratione conſtaret ejuſmodi oſtium in duodeno inveniri; imò addo, adſunt viæ breves, quæ à ventriculo tendunt recta ad veſicam, ut patet ex acicula deglutita, & per urinas emiſſa, ſinè ulla noxa, quæ ſanè per renes tranſire haud poteſt; ergo per hoc infertur,

quod

quod viæ iſtæ clarè ſint demonſtratæ, quod tamen ſperandum ab oculatioribus Anatomicis; ſanè quod non, alioquin quod eſt tantummodò conjectura diceretur inventum; Deindè ſalivam excipientia non ſunt dicenda, quemadmodum facit *Oribaſius*, quandoquidem experimentis certis ſit manifeſtum, eadem oſtia magnam ſalivæ vim eructare, ex quibus ſanè conſtat in uſu partium aſſignando maximè antiquos erraviſſe, nec Lector ſalivæ fontes

Ex ipſis veterum poterit cognoſcere chartis.

Quatuor igitur jure meritò ſunt dicenda ſalivalium vaſorum genera, a quatuor pariter recentioribus Anatomicis adinventa; Primus in hac re glaciem fregit *Clariſſ. Warthonus*, qui *in ſua Adenographia cap.* 21. primum ſalivæ ductum detexit è glandula maxillari interna immediatè provenientem, præſente collega ſuo *celeber. Gliſſono*, qui ductus radices ſuas capillares in omnes glandulæ iſtius partes æqualiter ſpargit, & in aliquibus geminum ramum, in aliis plures ramulos emittit, anterior autem ramus mox ab egreſſu extrorsùm fertur versùs glandulam quandam minorem ſitam intra intimam maxillæ partem, & hanc glandulam majorem; eſtque diverſi generis, cineritii coloris, ſubſtantiæ compactioris, minuſque granulatæ, figuræ ovalis, quæ interno latere impreſſura lævi, & rotunda excavatur, è qua prodit vas peculiare, quod recta fertur, & in glandulam hanc maxillarem diſtribuitur (ſunt verba præciſa clariſs. Inventoris *Warthoni*) circà locum dictum; Poſterior ramus ſpatio trium, vel quatuor digitorum è glandula egreditur priuſquam cum anteriore caudice conjungitur; ſimul ac verò è glandulæ ſubſtantia prodiit, fertur ſub muſculo maxillari tereti, biventri, vel digaſtrico, qui eidem ramo, quaſi trochleæ vicem præſtat: Exindè reflectitur ferè ad glandulæ medium, ubi cum anteriori ramo deſcripto, & pluribus ramis eidem quaſi ſociis unitur, & indè canalis communis ex horum concurſu aliquantò auctior redditur; hinc canalis dictus recta anterius tendit, & à linguæ lateribus nimirum in inferio-

re

re ejus parte, cute, & pinguedine glanduloſa tectus, ductu tredecim pollices longo provehitur, & inter gingivas in maxillæ extremitate, inter ipſam, & papillas quaſdam compreſſas, & rigidas ei pertinaciter adhærentes in os aperitur, eidemque, quoties uſus poſtulat humorem ſalivalem impertit. In Equo circà mediam linguæ longitudinem utrinque aliæ glandulæ conſpicuæ in ductum ſalivalem ſeſe exonerantes occurunt; & notat citatus *Warthonus* hanc glandulam, prout variatur in junioribus, & ſenioribus Animalibus, diverſam ſervare ſibimetipſi proportionem, diverſam, inquit, & quodammodò contrariam illi, quam thymus in iiſdem animalium ætatibus obtinet; nam quo juniùs eſt animal, eò minor hæc glandula, & major eſt thymus, & contrà, quò ætate grandius, niſi in extrema ſenectute eò major hæc glandula, & minor thymus.

Secundus aliorum vaſorum ſalivæ inventor *Nicol. Stenonis* dicitur, eò quia præter dictos ſalivales *Warthoni* ductus adhuc alii duo utrinque unus Anno 1661. Menſe Januario ut refert *Diemerbroeck*, à *Joh. van Horne in* publico Leidenſi anatomico Theatro demonſtrati fuerunt, quos ille tunc appellavit ductus Stenonios à *Nicolao Stenone* Dano, qui illi primus eos demonſtraverat; in eorumque cognitionem caſu inciderat, dum Amſtelodami aliquandiù antè cum Hoſpite, & Præceptore ſuo *Gerado Blaſio*, caput ovillum diligenter perluſtraret, undè poſtmodum inter *Blaſium*, ac *Stenonem* ortas eſſe lites ait *in ſua Medic. defens. Eruditis. D. Ant. Franc. Bertini vir omni ſcientiarum genere inſtructus, ac Amicus meus ſemper colendus*, & primæ inventionis gloriolam editis libris ſibi ſingulis vindicaſſe. Originem habent hæc vaſa à maxima glandula ad radicem auris ſita, quam *Stenonis* parotidem conglomeratam dicit, è qua diſſecta multi ramuli conſpiciuntur, & extra maxillam decurrunt ad centrum muſculi buccinatoris, & ſic terminant in oris cavitatem; obſervavit autem citatus inventor in his ductibus præter propriam tunicam varios nerveos funiculos medium ductum amplexantes.

Tertius vaſorum ſalivalium adinventor extitit *Caſpar Bartholinus*

tholinus, qui Anno 1682. obſcuram novi ductus viam manifeſtavit, dum glandulam protulit ſublingualem ductu quodam peculiari ductui Warthonis adſito prodeuntem; ante autem illud tempus anno ſcilicet 1679. ſub præſidio *Aug. Quirini Rivini Lipſienſis* quidam Doctor poſt Diſſertationem medicam de Dyſpepſia, nonnulla corollaria addit in quibus diſtinctiſſimè de his vaſis, eorumque origine, decurſu, & orificiis loqutus eſt; quidquid autem de hac ſit lite, videant ipſi, credere interim mihi liceat *Caſp. Bartholinum Thomæ Filium*, utpotè experientiſſimum & diligentiſſimum Anatomicum ductum ſuum inveniſſe nihilo prorsùs audito priùs de illa Diſſertatione ſub præſidio *Auguſti Quirini Rivini* habita Lipſiæ Anno Chriſti 1679.

Sed neque tertius Arti Anatomicæ inventor ſalivalium vaſorum ſufficiebat; vel hic poſteà fuerit *Bartholinus*, aut ut alii dicunt *Rivinus*; Quartus enim occurrit *oculatiſſ.* nempe *Antonius Nuck*, qui alia duo vaſa ſalivæ, utrinque intrà orbitam cranii ſita detexit è pluribus ſurculis in unum truncum coeuntia ad ſecundum dentem molarem à poſterioribus numerando ſuperioris maxillæ, deſcendentia, ibique orificiis, in ſuprema utrimque gingivæ parte conſpicuis manifeſta, cujus inventi occaſionem narrat his verbis citatus Author. „Cum „ antè tres circiter annos ductus ſalivales; tam ſuperiores, „ quam inferiores, ductus itidem lachrymales, & vas ex„ cretorium naribus proprium examini meo ſubjicerem, „ tùm temporis in ſubjecto, quod præ manibus habe„ bebam canino, Stenonianos ductus examinandi cauſa potiſ„ ſimùm intentus; ecce præter expectationem, aliud oſtiolum, „ non niſi ad diſtantiam duarum, vel trium linearum mathe„ maticarum à Stenoniano diſſitum, in altero ſe prodit latere, „ ſtylum immiſſum non niſi in ipſo principio admittens; incer„ tus itaque viam ulteriorem variè exploro, modò ſursùm, „ modò deorsùm, mox iterum antrorsùm, & retrorsùm, tan„ dem recta quaſi linea obliquè ſursùm tendere, ſtylumque „ ad latitudinem pollicis admittere obſervavi: Rei novitatem „ tamen non admirabar, & Naturam, ſit venia verbo, quæ „ in variis ludere ſolet, ludentem conſidero, minimè cogitans,

CAPUT III.

De Uſibus Salivæ Humanæ.

SALIVALIBUS ductibus cognitis, ac ſecretione ſalivæ examinata, nunc de uſibus ſalivæ in corporis humani œconomia, ut diſſeramus oportet, ad hoc ut perfectam ſalivæ Theoriam habeamus; Quocircà plures eſſe uſus ſalivæ aſſero, hæc enim deglutitionem facilitat, ſaporem ſiccioribus cibis inducit; ſitim extinguit, oris partes interiores lubricat, ſicque vocem, & ſermonem facilitat, & in ventriculo alimentorum aſſumptorum promovet fermentationem, imò ipſius chylificationis in ore ponit exordium; de quibus omnibus aliquid in capite præſenti dicamus.

Primò igitur cibis in ore maſticatis admixta ſaliva facilem deglutitionem ſua lubricitate efficit, quæ ſine illa ægrè, & difficulter procederet, ut patet in febricitantibus, aliiſque ſalivali liquore depauperatis, qui eſculenta nequeunt deglutire; quarè optimè *Mat. Tilingius diſp. med. de ferment.* ait: *ſaliva cibis inter maſticandum pro mixtione, ſubactione, & deglutitione promovenda miſcetur*; mutatiſque verbis *Martin. Schroockius de Ferment. cap.* 19. *ſalivæ uſum agnoſcimus ad hoc, ut cibus convenienter dimitti poſſit uſque ad ventriculum*; Apud *Senecam* quoque, referente *Schneidero de Cathar. lib.* 3. *Poſidonius* ſat intelligit humidum oris ſalivale maximè requiri ad cibos deglutiendos; *receptas*, inquiens, *in os fruges concurrens inter ſe duritia dentium frangit*, & *quidquid excidit ad eoſdem dentes lingua refertur, tunc verò ſalivæ miſcetur, ut faciliùs per fauces lubricas tranſeat.*

Secundò ex cibis ſiccioribus ſaporiferam qualitatem, id eſt ſal ſapidum elicit ſalivalis latex, quod ſal alioquin ſine humido nequit educi, ex alimentis enim tincturam ſapidam extrahit, illamque intimiùs ad guſtus organum devehit, undè ſalivam pro guſtu inſervire ait *Scip. Ferrarius ſup. 6. Satyr. Perſii*, &

& ſine ea ſapores deficere ſcripſit *Zypæus Fund. med. part.* 2. *cap.* 3. *artic.* 12., hancque operationem ſalivæ per diſſolutionem ſalis alimentorum haberi vult *Clariſſ. Pomp. Saccus in Syſtem. med. cap.* 8. *ſect.* 1. Quapropter linguam ſalivario rore debere madere ait *Illuſtris. Lucas Tozzi in med. theor. cap. de guſt.*, quo ciborum ſalia exſolvantur, & faciliùs in ejuſdem papillas inſerantur, ac ſenſum pariant ſuavem, vel inſuavem prout linguæ adaptantur texturæ; hinc eſt quòd ipſe *Ariſtoteles lib.* 2. *de Anim.*, guſtum eſſe tactus ſpeciem ſentit, & hoc idem innuit *Archigenes* apud *Galenum*, ſaporem explicans nomine doloris; multum ergo contribuere dicendum ſenſui guſtus ſalivalem liquorem, imò tantæ ac talis eſſe neceſſitatis; ut pro varia ejus habitudine, affluxu, defectu; aut diſpoſitione, quævis aſſumpta alimenta, modò inſipida, modò ſapida, modò peregrini ſaporis appareant; modificatæ namque partes alimentorum a ſaliva juxtà ordinem naturæ ſe habente, tranſeunt ad papillulas nerveas, quæ in lingua, & præſertim ejus apice, numeroſiores ſunt, & ſe ſe in illas ſubtiliſſimè immittendo, ſpiritus animales diverſimodè exagitant, & afficiunt, quas nerveas linguæ papillas, ſeu fungulos, guſtûs eſſe inſtrumentum docuit *Academ. Piſanæ Decus Laurentius Bellini Med.*, *&* *Anatom. Clariſſ.*, *atque Dominus meus ſemper colendus*; *in cap.* 14. *de organ. guſtus*, quem formaliter conſiſtere, ait *Petrus Dionis in Anatom.*, in tremulis motibus, quos alimentorum ſalia excitant in ſpiritibus, dum nervos, in quibus continentur, feriunt; adeò ut ſalinæ particulæ ciborum, quæ ſalivalis humoris ope linguam tangunt, eminentias papillares feriendo undulationes ibi excitant, quæ eodem momento, ſpiritus afficiunt in nervis contentos, qui eaſdem deferunt ad corpora ſtriata, cum quibus continuitatem habent; hæc verò eas animæ repræſentant, quales exceperunt, atque ita guſtus tantummodò eſt tactus corporum papillarium, quæ conſtant ex extremitatibus nervorum linguæ, excipientium impreſſiones à corporibus ſapidis, quæ propriè ſunt alimentorum ſalia, à quibus eminentiæ illæ nerveæ afficiuntur; hinc *Clariſſ. Malpighius de ling.* ait, fuſa illa ſalia, ſalivæ commixta proprio ſe immiti pondere in papillas, vel ope aëris premen-

delatus, vel à partium ambientium preſſione, vel à ſubſequentis ſanguinis protruſione ulteriùs impellitur, donec perveniat ad anguſtiſſimos glandularum canales, ubi poruli adſunt diverſæ figuræ, quorum aliqui, unius generis particulas, alii alterius generis ſunt apti ſuſcipere, undè ſalivalis liquor porulos ductuum ſalivalium ingreditur, lymphaticus autem ductus lymphaticos ſubit; reliqua verò maſſa, cujus particulæ ejuſmodi conditionis non tenent, per patentiores vias, venas ſcilicet tranſmittitur, non tamen quod ſit putandum, ſalivam, & lympham omnem tunc à ſanguine ſeparari, nam mediante rapido ſanguinis mòtu, multum lymphatici, & ſalivalis humoris cruori remanere permixtum, & cum reliquo ſanguine cor versùs per venas tendere, ut ſic iterum circulando, nova ſalivæ materia glandulis poſſit communicari, dicendum eſt; Quod ut clarè pateat exhibet nobis experimentum apertiſſimum *Celebris Nuck*; ait enim, hoc ex eo conſtare, quod venarum glandulis ſalivalibus contiguarum ligatura, nobis copioſiorem affert ſalivæ ſecretionem, ſanguis enim tunc circulo impedito à ſanguine retrofluente, plures, ac ferè omnes tali modo figuratas particulas deponit, in ſalivales ductus mittendas; Requiritur ergò legitima partium pororum, & particularum proportio ut ſalivæ ſeparatio procedat; ſanguis enim cùm conſtet, ex corpuſculis quantis, & figuratis, quæ per proportionata tantum foramina poſſunt tranſire, non autem per illa, quæ diverſa gaudent configuratione, hoc illudve fluidum in cruore contentum, vel excipietur, vel excludetur, juxtà diverſam figuram recipientis poroſitatis, & ingredientis particulæ; quod etiam docuit Clariſſ. *Jo. Bapt. Scaramuccius in Theor.* 16. idque manifeſtè jam conſtat ex obſervatione ſudoris, per cutis enim foramina, ſeu poroſitates ſudorem tantummodò, non reliquas ſanguinis partes, emanare conſpicimus, ſic pariter in hepate ſeparatur bilis, in renibus ſerum &c.

Antequam verò caput hoc de ſalivæ ductibus, & ſecretione claudam, nonnulla quæſita ſolvenda reſtant, *primò* nimirum, cur noctu talis ſecretio minor fiat? cùm tamen circulatio ſanguinis procedat, ac diù, *ſecundò*, quo tempore ſalivæ

livæ ſecretio copioſior fiat? *tertiò*, quantam ſalivæ quantitatem homo uno die ſecernat? *ultimò* autem, quarè ſaliva, cùm ex particulis ſalinis conſtet, ſalivalem, non impediat ſecretionem? Aſt ut ab ultimo hoc exordiar dubio, nimirum, cùm ſaliva modicam ſalis quantitatem in ſe contineat, quare iſti ſales ſuis non hærent aciculis, & obſtructionem non efficiant, & ſic impediant ſalivalem ſecretionem? cui pro me reſponderit *Nuckius* dicendo, materiam ſalinam optimè ſuo liquori miſceri, eodem modo quo videmus per carnium poros æquali facilitate aquam inſipidam, & ſalſam penetrare, cum tamen aliæ tincturæ non penetrent; Ad tertium verò, nimirum ad petitam quantitatem diurnam in humano corpore ſalivalis humoris, dico in viro adultæ ætatis, in ſtatu naturali duodecim horarum ſpatio uncias decem, aut libram unam integram ſalivæ ſecerni, cujus tamen ſalivalis humoris pars expuitur, & alia pars deglutiendo, ventriculo traditur, atque cum cibis miſcetur, ut ſuo loco videbimus; Ad ſecundum autem dubium, ſcilicet quo tempore major ſecretio ſalivæ fiat? notandum eſt ſecretionem talem copioſè fieri, cùm homo cibum ſumit, poſt cibum aſſumptum verò in minori copia; nocte quidem omninò non ceſſat ſalivalis proventus, licet minor evadat, pro raro tamen obſervavi aliquandò tantam, ac talem de nocte factam ſalivæ ſecretionem, ut dormienti moleſtiam ferret, ità quod fuerit neceſſe, ut ſubitaneo modo expergefactus ſuffocationi proximus exceptam ore ſalivam expueret; Ad primum deniquè propoſitum quæſitum, nempè, cur nocte naturaliter ſalivalis ſecretio ſit minor? hoc à variis dependere cauſis aſſero; cruoris enim motus tunc minor fit, ac tardior, & conſequenter ſecretio fit minor; inſuper ceſſante oris partium motu, ſalivæ exitus retardatur, & cùm animi motus, ut plurimùm tùm temporis ceſſent, ita & latex ſalivalis moram concipit; hæc verò de ductibus ſalivalibus, ac de ſalivæ ipſius ſecretione uſque adhuc, quantumvis ruditer dicta ſufficiant.

„ quod in oppoſito latere ſimile conſpiciendum foret oſtiolum; „ in quod uti in priori, ubi ſtylum immitto, ad eandem etiam „ diſtantiam ſubſiſtit ſtylus; interim occupationes aliæ aliò me vo- „ cabant; quapropter in inquiſitione horum; tùm temporis „ ulterius non inſudavi, verum in proximè ſubſequenti ſubjec- „ to canino, attentiore mente illa examini ſubjicienda æquum „ duxi; in cane itaque majori, primo ſtatim intuitu, ductus „ hujus oſculum in uno, & altero latere ſe prodit, haud abſi- „ mili modo; ut in priori ſubjecto: ſtylum tamen paulò altiùs, „ quàm quidem in priori, canis enim erat major, admittebat; „ poſtmodum in aliis ſubjectis caninis horum oſculorum duc- „ tuumque inventio adeò facilis fuit, ut primo ſtatim intuitu „ illa apparuerint; ideòque neceſſum non habeo plurimis ſub- „ jectis illud confirmare, nec etiam opus fuiſſe putabam, ocu- „ latos adduxiſſe teſtes, cum ipſa autopſia, cuique curioſo ma- „ nifeſtum eſſe poſſit; nec etiam primo inventionis tempore „ aliis communicavi, quòd, uti ſæpius jam vidimus, aliorum „ plumis ſuperbire plurimi ſoleant. Præter autem quatuor hæc vaſorum ſalivæ genera, nimirùm præter duo interiora *Warthoni*, quæ *à Pet. Dionis* inferiora vocantur, & duo exteriora majora *Stenonis*, quæ à *cit. Dionis* ſuperiora dicuntur, atque duo alia juxtà Warthoniana ſub lingua aperta, & obſervata à *Bartholino*, ac *Rivino*, ut diximus, necnon alia duò ultimo loco detecta à *Nuckio*, innumera minima reperiuntur in toto palato, faucibus &c. in quibus partibus innumeræ pariter ſunt glandulæ ſalivales, quæ vaſcula per compreſſionem facillimo demonſtrantur negotio; dum ſic ſcilicet per ea omnia, inquit præclariſſimus, & nunquam ſatis laudatus *D. Joh. Jacob. Mangetus in Append. ad oper. Paul. Barbettæ*, liquoris ſalivalis in glandulis ſubjectis; undè producuntur, contenti, & expreſſi guttulæ emanantes conſpiciuntur, undè glandulas omnes, quæ oris cavitati ſalivam ſubminiſtrant, ejuſdem generis vaſa excretoria in os emittere docuit *Blancardus*, quam tamen humoris expreſſionem in os fieri per poros membranæ inveſtientis oris internas partes exiſtimant alii. Quomodo autem ſalivalis iſte liquor ſecernatur, nunc videndum reſtat, quia de re plures à

pluribus

pluribus Authoribus habentur ſententiæ; antequam verò magis receptas opiniones de ſecretione ſalivæ exponam, cogitatum circa ſalivalem generationem *Michaëlis Doringii*, *Sennerto* communicatum, Lectori hic priùs exhibere non incongruum puto, utpotè quia curioſum inventum eſſe mihi videtur; coctionem igitur, ait ille, non quæ fit in ventriculo ſaltem, ſed in omnibus corporis partibus elixationi reſpondere arbitror; elixationem verò deſtillationi, quæ per cucurbitam fit, ſimilem eſſe reor, & ut in hacce ſub cucurbita reſolutæ rerum deſtillandarum partes ſubtiliores vaporum forma in impoſitum alembicum feruntur, in eoque in fluidam ſubſtantiam coagulantur; ità in elixatione; tàm quæ arte in culinis fit, quàm quæ à natura in animalium corporibus perficitur, idem quodammodò ſpectare fas eſt: Etenim in arte quidem coquinaria olla cucurbitam, operculum, alembicum? in animantibus verò ventriculus, pulmones, & reliquæ ſubſtratæ partes cucurbitam, caput alembicum perbellè repræſentant; Quandò igitur ventriculus ciborum concoctioni incumbit, eoſque connata ſua proprietate reſolvit, ac in chylum convertit, evaporationes multas oriri, atque id, quod volatilius in eis exiſtit, ſaliſque volatilis ſubdulcis naturam participat, ipſis permiſceri, hæcque invicem, vel in oris cavitate, vel cerebro ipſo concreſcere, ac humoris ſpecie in faucibus cumulari, à vero non eſt alienum. Verùm enim verò relicta hac inaudita *Doringii* de ſaliva opinione, aliorum ſententias de ejuſdem ſecretione videamus. Nonnulli à facultate quadam ſalivatrice, vel à proprio glandularum ſalivalium temperamento hoc opus fieri in ore ſtatuunt; Alii mediante quodam fermento hoc peragi putant, quod fermentum à ſucco nerveo deducunt, eò quod nervos plures glandulis illis ſe inſerentes aſpexerint; Multique à varia particularum, & poroſitatum proportione hanc operationem deducunt; Egò verò circà ſalivæ ſecretionem ſentiò, hanc ſalivares glandulas filtrare, & à ſanguine ſeparare; quemadmodum enim partes diverſis à ſe invicem gaudent poris, ità quoque diverſi generis liquores filtrant; hinc ſanguis arterioſus, ex variæ figuræ particulis conſtans, in ſalivales glandulas

dela-

tis; areſcente verò lingua papillarum cœcos meatulos conſtringi, notat *Fracaſſatus de ling.*, undè deficiente ſalivâ non ſunt apti ad excipienda ciborum ſalia, ſicque pariter guſtus deficit: Notabiliter autem guſtatum juvat motus linguæ, qui nerveis hiſce papillis, ſalivam ſale ſapido imprægnatam fortiùs impellit, ita ut ſi accuratè optemus ſaporum conditiones acquirere, alimenta linguæ applicata ore tantiſper volutare prius eſt neceſſe, donec modo ſufficienti, ac congruo tempore evoluta ſint, ex qua ciborum agitatione, reſultat, ut non in unam papillam tantum, ſed & in plures, particulæ ſapidæ penetrare valeant, undè pluribus locis plus ſapidi imprimitur, & melioris notæ guſtus evadit; imò addit *Clar. Bohnius*, hac ipſa òris commotione ſalivam commodius exprimi, & ad eliciendam ſaporiferam potentiam adduci melius; egregiè igitur *Gerard. Job. Voſſius de Idololat. lib. 3. cap. 29.* aſſerit, medium guſtus, eſſe humorem linguam madefacientem; & hinc cauſam videmus ait, cur morbo regio laborantibus dulcia videantur amara, nempè quia ſaliva iſto ſapore eſt infecta, idque ob flavam bilem, quæ ſe per corpus diffundit; itaque non falluntur ægri in eo quod ſe amarum guſtare judicant, ſed in illo falluntur, quod amaritiem illam cibi eſſe exiſtimant, non humoris inſiti; hinc matutino tempore melius ſapores diſcernit homo, quia tunc lingua nondum alios imbibit ſapores.

Tertiò dixi, ſitim humectando ſalivam extinguere, undè fit, ait *Diemerbrock in Anat.*, quod ſputatores parùm ſitiant; hinc eſt quod ſitis moderatricem ſalivam appello, quandoquidem impedito hujus liquoris effluxu, ad òris cavum, vel tali exſiccato humore, ut in Febribus ardentibus, atque in violento cursu, & nimio exercitio, valdè ſitis moleſtat, undè Dipſam, vocavit *Helmontius* præconem laticis, vel deficientis, vel alieno vitio corrupti; quem ſalivæ defectum ſitim cauſare docuit *Clariſſ. M. A. Andriolus Medicus præſtantiſſimus. & Amicus meus ſemper colendus in ſuo Enchirid. med. part.* 4. quibus ergo præcordia æſtuant, ac febrili calore torreſcunt, lingua omni prorsùs humore deſtituta, ut terra nimis ſolis ardoribus aduſta finditur, quod paſſim à me, & ab omnibus Medicis

dicis praxim exercentibus obſervatur; hinc rectè ſalivam extinguere ſitim ſcripſit nuper *in ſua erudita lectione Phyſiocritica de ſalivali hominis liquore Excellentiſſ. D. Joſeph Rocchi Florentinus Doctor egregius*; *quæ* lectio impreſſa videtur *in tom.* 4. *part.* 6. *lib. edit. Venetiis apud Albrizzi*, *cui titulus eſt Galeria di Minerva.*

Quartò, oris interiora, fauces, loquelæ organa, & œſophagum lubricat, & ità ſermonem vocemque facilitat, & licet commune aſſertum ſit, humidiora minus ſonare, adeòque ſonum habitare in ſicco, hinc & glottis moderata, & proportionata ſiccitate gaudens magis ſonat, quam causâ tuſſis, & raucedinis vitioſa lympha obſeſſa; undè in blæſitate humidum vitioſè excedens non ſinè cauſa accuſat Vedelius: Nihilominus tamen in humano corpore ità comparatum eſt, ut humido convenienti vocis inſtrumenta egere ſit opus, maximè quia ad linguæ volubilitatem, & aſſiduum motum in ſermocinando tam neceſſarium, ſalivalis humiditas requiritur, quibus enim arent fauces *Vox faucibus hæret*, nec illi ſinè maxima difficultate loqui poſſunt; hinc cantores ſæpè os ſibi abluunt emulſionibus, aliiſque liquoribus, imò etiam aqua, vel vino ſimplici, ut vocem edant clariorem; Egoque ſacrum Oratorem novi, qui ſermonem cum animi fervore vix pergere poterat, niſi pauliſper biberet; Advertendum tamen cum *Blaſio com. ad Vesling. cap.* 11 ſi nimium abundet viſcoſus, pinguis, ac tenax humor ſuper organa vocis, planè mutos fieri, & repentè voce privari, quæ rursùs redit abſumpta hac humiditate, quod fieri potuit in Filio Crœſi muto de quò *Herodotus*, & in *Ægle* ſamio Athleta muto, qui narrante *Valerio Maximo lib.* 1. indignatione accenſus vocalis evaſit, cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus, & præmium eriperetur.

Quintò demùm in Ventriculo alimentorum aſſumptorum fermentationem promovet; imò primarium eorum fermentum exiſtit, ut innui quoque in primo capite, ubi de natura ſalivæ ſermonem habui, quamobrem optimè aſſerit *Doctiſſimus Vir magni Parentis non minor filius Franciſcus Maria Nigriſolius Medicus noſter Ferrarienſis præſtantiſſ. in not.*, *& obſ. ad Jo. Corn Weber.*

liq. ſtypt., maſticatione præparari cibos ad meliorem in ventriculo coctionem, cùm enim hæc ſit fermentatio, nec iſta ritè fieri poſſit, niſi fermentanda ſint benè priùs comminuta, & humido ſalivali permixta, ſic neceſſarius erit ſalivæ proventus in alimenta, adeòque optimus ejus uſus; Chylificationis autem in ore ponit exordium humor hic, ſalivalis, multumque illi, prodeſſe docuit *Medicorum maximus Ludovicus Teſti Amicus meus ſingularis in Def. Aer. Venet. prop.* 1. *cap.* 2., cùm participet de natura fermenti quod in ventriculo reperitur; habet enim particulas quaſdam ſalino-volatiles, quæ faciliter chylum efficiunt; ideòque bolus panis maſticati ſoli expoſitus chyleſcit notante *Zypæo*, & reliquiæ ciborum in dentium intercapedinibus remanſæ per ſalivam chylificantur advertente *Sapientiſſ. Luc. Tozzi Amico meo ſemp. recolendo Comment. Aphoriſm. Hippocr. lib.* 2. *Aphor.* 11. quod etiam cognoviſſe *Avicennam* colligitur ex *lib.* 1. *fen.* 1. *doctr.* 4. *cap.* 2. Hinc duo fermenta ad chylificationem requiri dixit egregiè Vedelius, extraneum nempè, & ventriculi domeſticum: extraneum eſt, quod extrà ventriculum, ad eum defertur, ut ſaliva; domeſticum verò eſt ſuccus à glandulis in ipſo ventriculo poſitis præparatus, quæ duo fermenta ſimilia ſunt, eandemque habent eſſentiam, & qualitatem, quia eadem à ſanguine arterioſo origo eſt, glandulæ tam unum, quam alterum ſecernunt, & finis utriuſque eſt idem; imò addit *citatus Vedelius in Phyſiolog. reform.* talem eſſe acorem in fermento ventriculi, qualis eſt in ſaliva, lenem enim exiſtere, & inſipidum ait, ad ſenſum, acido-ſalinum verò in receſſu; nam ſi acidum eſſet explicitè potiùs præcipitaret nec quadraret concoctionis, & chylificationis negotio; licet verò in longa abſtinentia, aliquando liquor hic fermentaceus Ventriculi aſcendat per œſophagum in oris cavum, ibique à guſtus ſenſu judicetur acidus, per hoc tamen dici non debet, illum ſua propria natura acidum eſſe; adſunt enim glandulæ plurimæ miliares in Ventriculo, non alio fine fabrefactæ à Natura, niſi ad ſecretionem liquidi ciborum fermentatoris quæ glandulæ in longa abſtinentia, & jejunio, corrugatis plicis Ventriculi, minus liquoris ſecernunt, & conſequenter liquidum fermentativum jam ſecretum, & in cavo ventriculi otiosè ha-

bitans

bitans aciditatem contrahit ad acrimoniam majorem inclinando, ſicque pungendo, & irritando fibras Ventriculi, ad appetendum magis occaſionem largitur, & famem excitat; quamobrem ex ſalino ſulphureis particulis, tam ſalivæ, quàm ſucci Ventriculo proprii, fermentationem ciborum fieri judicamus; cùm prima emotio ſit à ſulphure, ſed primaria acrimonia à ſale, ſulphur enim diſſolvit ſalem, eumque ad fuſionem deducit; hic ſolutus, & attenuatus acrimonia ſua omnes alimentorum particulas corrodit, pervadit, atque diſſolvit, quæ operatio fermentatio dicitur, ſine qua homo vivere nequit, & qua debili, ac vitiata homo miſerè vivit; undè optimè docet *Diemerbroeck Anatom. lib.* 1. *cap.* 17. chylificantem operationem adjuvari à ſaliva, quæ deſuper ab ore fluit in ventriculum; quo circa *Job.* ait, *ut glutiam ſalivam meam*, illam enim fermentacea donari virtute demonſtravi in cap. 1. Dixi ſuperiùs, ſalivam in Ventriculo promovere ciborum fermentationem, & licet per conſuetudinem, multum ſalivæ ab ore ſputi nomine projiciamus, attamen plus alimentis commixtum, vel ſine his ad ventriculum homine haud cogitante traditur; ſic, & bruta cùm nihil expuendo rejiciant, omnem ſalivam deglutire videntur; obſervandum tamen, ad hoc, ut talem edat operationem, ſalivam, nec nimis craſſam eſſe debere, nec nimis aquoſam, tunc enim, nec alimenta macerare valet, nec eorum fermentationem procurare, eò quod ejus ſpiritus, & ſalia, vel implicentur liquori nimium craſſo, vel obruantur nimia phlegmatis affluentia: De hac verò ſalivæ neceſſitate, ac ciborum in ventriculo fermentatione, plura cupienti dabit *illuſtris ille Romanæ Sapientiæ Anatomicus Alexander Paſcoli Peruſinus Amicus meus ſemper colendus in ſua Anatom. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. imò talis neceſſitatis ad chylificationem peragendam eſſe ſalivam volunt aliqui, ut ſalivalem oris ſolum humorem agnoſcant pro fermento ventriculi; Hactenùs verò dicta de uſibus ſalivæ ſint ſatis.

CAPUT IV.

De Salivæ proprietatibus, ac virtutibus.

USIBUS, ac neceſſitate ſalivæ in corporis humani œconomia pro viribus delibatis in capite antecedenti, nunc petit ordo propoſitus, ut nonnulla colligam in præſenti capite circà ſalivæ humanæ virtutes medicas, atque proprietates, quibus ſcilicet ſcatens ſalivalis humor, modò aliquas morboſas tollit affectiones, modò ad varios à variis adhibetur uſus, ut ſic Medicorum non tantum, & Anatomicorum, ſed Curioſorum quoque obtemperem genio, ſalivam enim humanam ad plures ægritudines remedium eſſe ait *Calcagninus* noſter quantum commendatus à *Gyraldo*, tantum fœdatus à *Jovio*.

Hominis itaque ſaliva contrà ſerpentes eorumque morſus valet, ſi *Pierio Valeriano*, & *P. Zacchiæ* credamus; hinc *Ariſtoteles de hiſt. Animal.* ait *adverſatur plurimis eorum hominis ſaliva*, plurimis verò inquit, non quia verùm non ſit in cunctis, ſed quia nondum de omnibus conſtaret, ut notat *Voſſius de Idolatr. gentil. lib.* 4. Utcumque hoc eſt ſaltem omnibus hoc præſidii datum *Plin. lib.* 7. *& tamen omnibus contrà ſerpentes ineſt venenum, feruntque ictu ſalivæ, ut ferventis aquæ fugere contactu*; hanc ſalivæ vim agnoſcit quoquè *Galenus*, & *Scaliger*, quam tamen negare videtur *Severinus de viper. cap.* 15. Aſt imprimis intelligenda illa hominis jejuni, quæ ſi in ſerpentem ceciderit fugere jam dixi, velut ad contactum aquæ ferventis; quod ſi in rictum ejus incidat etiam mori ab *Ophilio* traditum eſt, indéque *Plinio hiſt. lib.* 28. *cap.* 4. ac ſimiliter *in lib.* 4. *Poëta* Phyſicus cecinit

Eſt utique, ut ſerpens hominis qua tacta ſalivis
Diſperit, ac ſe mandendo conficit ipſa.

Etiam morſus à Serpente, ſi confeſtim ſalivam illeveris vulneri, cohibebis venenum, ne ultrà ſe diffundet, hinc egregius ille Bellorum civilium deſcriptor *Lucanus in lib.* 9. ait

Nam

Nam primùm tacta deſignat membra ſaliva
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere peſtem.

hoc remedio ſoliti etiam fuerunt uti *Ophiogenes in Helleſponto* circà Parium, de quibus *Varro*, *Plinio* teſte; ſcripſit, ſuo etiam tempore fuiſſe iſtic paucos eorum, *quorum ſalivæ contrà ictus ſerpentum medeantur*, ac colligo indè, ſalivâ prius imbuere manus ſolitos fuiſſe, quandò ut ibidem ex *Cratete Pergameno* refertur, *ſerpentum ictus contactu levare ſolent, & manu impoſita venena extrahere corpori.* Admiratur autem *Jo. Bapt. Sitonus Miſcel. tract.* 20. hanc vim humanæ ſalivæ contrà ſerpentes, aitque, hoc fieri ob diſſimilitudinem formalem, & ſpecificam, qualis, & quanta eſt inter unum, & alia. Perſcrutantes verò alii Philoſophi cauſam, dixere, hoc fieri ob magnam inter utrumque animal contrarietatem (ſunt verba *Pierii Valeriani lib.* 14. *hieroglyph.*) ſer„ pens ſiquidem frigidæ, & ſiccæ eſt temperaturæ, homo au„ tem calidæ, & humidæ, hinc alterum alterius, viſu, tactu„ que exhorreſcere, humanoque ſputo tactum anguem æquè „ fugere, ac ſi ferventem in aquam incidiſſet, id ſi penetrarit „ in fauces extingui; quod verò aiunt pollere ad hoc jejunio„ ris hominis ſalivam, ſciendum, & ab jejunio quoquè morſum „ eſſe peſtilentem; hinc fortis operationis eſſe illam ſalivam, quæ eſt famelici, & jejuni ſcribit *Grebnerus in Med. vet. reſt. cap.* 4., imò ipſe addit, ſe abſque incantatione à ſola hominis ſaliva occiſum vidiſſe ſcorpium, idque celeriter à ſaliva eſurientis, ac ſitientis, tardè autem ab ea illorum, qui cibo, potuque fuerant impleti, quod idem legitur apud *Galenum*, & *Aldrovandum de inſect. lib.* 5., inſuper cujuſque viri ſalivam, viperæ, ſcorpioni, ac venenatis omnibus exitialem eſſe non tacuit *in Theriac. Nicander*, cum quò ſentiunt *Plinius*, *Leu. Lemnius*, & *Caſp. à Reies in camp. Elyſ. jucund. quæſt. n.* 24. Hinc Venatores Serpentum, eos captos, illicò ſaliva perfundi ſcribit *Aldrovandus de inſect. lib.* 1., cujus contactu villeſcere, & violentiam veneni deponere creduntur, de hac autem re audiendus *Marc. Aurel. Severinus de Vipera*, ſcribens ſequutus *Ælianum*, quod ſi viperæ collum ſumma cautione contineas, in oſque

 illius

illius diductum expuas, ſputum in ejus ventrem delatum tantæ ei perniciei eſt, ut indè vipera contabeſcat; Alia per *Matthiolum* eſt obſervatio, quam lib. 6. notavit, viperas, capite per venatorem ſaliva perfuſo, nec manibus contactas adhuc non parum villeſcere, ac veneni feritatem perdere; Privilegium autem hoc antipharmacæ ſalivæ tribuerunt multi Pſyllis, aut his, qui carnes viperinas eſitaverint, nihilominus tamen, omnes uno ore prædicarunt prerogativam hanc hominibus fuiſſe à D. O. M. inditam, non Marſorum, & Pſyllorum privatam; & ſicut ſerpentes conterit humana ſaliva, ſic, & ipſorum venena pariter fugat, ut monet *Cardanus lib.* 2. *de Venen.*, cui adſtipulantur *Franc. Valeſius in Sacr. Philoſophia*, *Ferd. Ponzetus lib.* 1. *de Venen.*, & *Petr. Joh. Faber Myroth. lib.* 1.: At de ſalivæ vi contra ſerpentes jam ſatis.

De *Veſpaſiano* narrat *Suetonius*, eum quendam è plebe lumine orbatum propria ſaliva applicita, luci reſtituiſſe, cujus rei fides ſit penes citatum *Suetonium*, ac *Tacitum*; quod ad me firmiſſimè autem credo Jeſum Chriſtum, Redemptorem noſtrum, non tantum Mutum, tangendo linguam, & aures ſaliva ſua, de quò *D. Marcus cap.* 7. ſed cœcum. cujus meminit *D. Joannes cap.* 9., oculorum foveas tangendo luto confecto ex pulvere, & ſua propria ſaliva, in integrum ſanitati miraculosè reſtituiſſe.

Nutrices puellorum lichenas ſaliva curant, parùm nempè ea digitum rigantes, ac indè cutem affectam confricantes, idquè faciunt ſubindè, tanto ſcilicet intervallo, dum ſalivæ vires in lichene perdurent, & nondum ſint extinctæ, ipſamque ſalivam ob ſuam ſubtilem, & attenuantem naturam tumores diſcutere ait *Cornelius Hoghelande*. Triticum mandentes Ruſtici aliqui, illud trituratum, ac ſaliva permixtum ex ore trahunt, atque furunculis imponunt, celeriter eos digerendo, ac concoquendo, ut advertit *David. Grebnerus loc. ſup. cit.* Salivam contrà cancrum mammarum utilem eſſe docet *Paul. Ammannus med. critic. cap.* 37., illamque vi coſmetica pollere tradidi ego *in mea Zoologia part.* 1. *cap.* 23., & in ulceribus prodeſſe ſcribit *Jo. Schröderus.*

Jeju-

Jejuni, ac ſani hominis ſalivam illitam herpetem curare ait incomparabilis *D. Lucas Schröeckius addit. ad Helwig. obſer.* 38., hocque facere ſcribit: per hoc, quod *Tachenius in Hippocr. chim.* latens in ea agnoſcat alcali, acido iſtius morbi contrarium, quod ipſius vim pungentem infringit, atque abſorbet, undè legitur apud *Lev. Lemnium de occult. nat. mir.* ſalivam jejuni hominis, mentagram, impetiginem, Variolas, ſerpiginem, omniſque generis puſtulas abſtergere, & ſi cui parti corporis virulentæ beſtiolæ inſederint, crabrones, Scarabei, bufones, araneæ, tùm aliæ, quæ ſuo contactu, tumores dolorificos, atque inſtammatorios inferunt, illius ſalivalis liquoris confricatione, omnes illæ pravæ affectiones diſcutiuntur, quod idem *Ant. Mizaldus* confirmat. In oculorum morbis valere aiunt *Vedelius in Miſcel. A. N. C. dec.* 2. *ann.* 6., & *Henric. Salmuth comm. in Pancirol rer. deperd.* & tubercula ex tuberantium hæmorrhoidum ſalivæ jejuni ægri ipſius inunctione fuiſſe coærcita in eodem loco fatetur *cit. Vedelius*; De vulnere pariter oculi ſaliva humana curato in puero 12. annor. expertus notat *in Miſcel. Acad. Curioſ decur.* 2. *Ann.* 3. *Excellentiſſ. Jac. Aug.* Hunerwolfius, & ſalivam in quà ſal diſſolutum, ad glutinanda vulnera comendat *Veslingius obſer.* 13.

In parte arthritide affecta contrà novos inſultus munienda, ſaliva infricata manè commendatur à *Franc. de Le Boë Sylvio lib.* 1. *prax. medic.*, quia, ait ille temperat utrumque acre, & roborat partes. Ganglia, ſeù nodos in carpo exiſtentes frequenti ſalivali frictione, abſque aliorum uſu medicamentorum curavit *Chalmeteus*, ut ipſe refert in *Enchirid. Chirurg. lib.* 1.

Se notaſſe ſcribit *Maidalchinus in* ſuo libro, cui titulus De lizie hiſtoriche; Ruſticum in Apulia contrà febres, & venena uſum fuiſſe ſaliva aquæ commixta, & armentis quoquè morboſis, & canibus rabidis aſperſam ſalutem intuliſſe. Curioſum quidem remedium ad menſtrua evocanda docetur à *Clariſſ. Petro Romelio in Miſc. Ac. Nat. Cur. An.* 8. *dec.* 2. *obſ.* 181., ait enim, ſi Virgo, vel Mulier menſes ſuppreſſos priſtino fluori reſtituere, ſeque ab indè promanantibus, & pullulantibus valdè

moleſtis;

moleſtis, ne dicam periculoſis ſymptomatibus liberam cupiat, Emmenagoga tamen, ſivè medicamenta quæcumque fluxum lunarem ciere ſolita reſpuat, illa miſſis aliis, cibum aliquem duriorem, vel ſaltim panem, à virgine, vel muliere reipſa tùm menſtrua patiente præmanſum, & maſticatum, probèque ſaliva menſtruatæ imbutum, & madidum ex ore illius immediatè ore ſuo proprio accipiat, & extemplò quaſi voti ſui compos fiet, menſeſque ritè denuò fluere incipient; nec omni prorsùs ratione deſtitutum eſſe videtur, hoc ſit venia nomini, Euporiſton, quia cibus, vel panis probè maſticatus ſalivaque menſtruatæ copiosè ſubactus, ori, ſalivæ, & fermento ventriculi ægrotantis communicatus, & commixtus particulis ſuis ſalinis, & fermentativis facillimè, etiam magneticè orgaſmum aliquem, & ſanguinis fermentationem, indèque obſtructiones deopillantem, motum concitare poteſt, Symbolum ſuum etiam conferre hic poterit in corpore, & mente ab inconſueta hac cibatione, & ut mihi videtur non ſinè aliqua horroris nota, excitata alteratio; Verendum tamen, ne ſi curatio per fœminam minus bona valetudine præditam, & morboſam inſtituatur, ſimul etiam morboſum miaſma, & principium alteri, curam ſuſtinenti per transplantationem communicetur, Charybdimque vitans in Scyllam incidat, ſeròque cum Phrygibus ſapere diſcat. Ad tollendas cicatrices propriam ſalivam affricari jubet *Platerus*. Daucum ſalivali menſtruo madefactum uteri ſtrangulatum juvare aſſerit *Mullerus*. Ammoniacum à Matre jejuna maſticatum, & in puelli oculo albugine laborantis immiſſum optimum eſſe ait *Petr. Bayrus*, imò livorem ſub oculis à percuſſione factum emendare Cyminum probè maſticatum, & impoſitum docet *Daniel Becherus*; Quin, & cyminum quoque ſic maſticatum contrà culices valere ait *Sangallo*.

Salivam robur afferre infantibus inquit *Matthiolus in 2. lib. Dioſcorid.*, cùm puerorum corporibus mollibus panem ori imponunt Nutrices ore proprio priùs commanſum, ſic enim maſticata alimenta facillimè digerunt; obſervandum tamen, nutrices ſanas eſſe debere in hoc caſu, nam morbum à ſaliva nutricis inductum notavit *Sam. Ledelius Miſc. Ac. Nat. Cur. An. 6. dec. 2.*

obſerv.

obſerv. 62 in puero vegeto, & ſano, qui derepentè correptus eſt ſingultu, calore, vigiliis, inquietudine, & crebra ſternutatione; ac inquiſita cauſa, hæc fuit Vetula quartanaria pulmentum infanti ſubminiſtrans, quæ priùs ori proprio ingeſſerat, & ſingulum præbium deguſtarat, dein ori infantis immiſerat fermento febrili inquinatum, tutiùs ergo eſt, ut ſanæ Matres prægustent infantum cibos, eiſque miniſtrent, potiùs quam hoc faciant Vetulæ edentulæ, quæ hircum olent, & mephitim ſpirant.

Si intra aurem vermis devenerit, accipi ſalivam propriam, & eâ aurem inungi vult *Poppius in Theſ. med.*, & ità aut morietur vermis, aut ægri dietur; Ad veſicæ calculum, & renum pellendum componitur emplaſtrum ex ſaliva, & Bdellio à multis commendatum. Contrà convulſionem ſalivam hominis applicitam laudat *Franciſcus Joel Pract. lib.* 1. Ad prohibendum nè creſcant capilli refert citatus *Becherus* ſumi ferri rubiginem, teſtas marinas uſtas, & cum ſaliva permixtas adhiberi. Optimam à contagioſis morbis præſervationem, ſalivæ eſſe expuitionem monet *Clariſſ. D. Jo Jacob. Wencesl. Dobrzensky de Negroponte*, imò peſtis præſervativum optimum eſſe ait non deglutire ſalivam, maximè ſi cum peſtiferis agatur, ut faciunt Medici, Chirurgi, omneſque alii, qui peſte affectis appropinquant: Ego verò Medicos omnes hortor, ut quandò converſantur cum ægrotis qualicumque morbo affectis, nunquam, quamdiù intrà ſphæram vicinitatis talium morantur, ſalivam deglutiant, ſed ſemper eandem expuant, quicumque enim homo ſanus ab homine infirmo facillimè per ſalivam infici poteſt, nam ab ægris tam per halitum, quam per excretionem ſenſibilem, & inſenſibilem, emittuntur particulæ, miaſmata, ſeù effluvia apta ad inficiendum aërem ambientem, undè cubicula infirmorum communiter quodammodò fœtent, ut & Xenodochia; Medicus igitur loca talibus effluviis infecta intrans, infectum aërem in ſuum corpus attrahit, & ſic præſertim ſalivam inficit, & dum ægrum inviſit, & loquitur inadvertenter ſalivam deglutit, quæ deglutita chylum, ex quo ſanguis conficitur coinquinat, à quo morbus, imò mors ipſa cauſari poteſt: his de cauſis putat *Celeberrimus* GEORG. BAGLIVUS *in Romano Archi-Lyceo Pro-*

„ *feſſor Medicinæ ſapientiſſimus*, atque *Amicus meus ſemper colendus*,
„ morbos epidemicos, & contagioſos mediante ſaliva ab infecto
„ aëre conſpurcata communicari, cui pariter experientia ſuffra-
„ gatur, nam in hujuſmodi affectibus ex contagione, ægro-
„ tantes ſtatim, atque primo conqueri incipiunt de nauſea, ſa-
„ pore linguæ mutato, & ad vomitum propenſione, primaque
„ contagioſorum malorum ſymptomata circa ventriculum, &
„ hypochondria, per anxietates, vomitus, cardialgias, calores
„ viſcerum &c. manifeſtantur & quoniam eadem eſt tunica,
„ quæ os, œſophagum, & ventriculum ex interna parte in-
„ veſtit, præter ſalivam, illa etiam ſummoperè facit, ut magnus
„ ſit conſenſus linguam inter, & ventriculum, ipſorumque mor-
„ bi, & morborum cauſæ facilè, & ad invicem mutentur, quarè
„ illi, qui peſtilentium curationi inſerviunt, ſi velint eſſe à con-
„ tagio immunes, procurent quantum poſſunt, ut nunquam ſa-
„ livam deglutiant, cum qua morboſi, ac peregrini ſales in-
„ fecti aëris intimè mixti in ventriculo vires ſuas explicant, &
„ morbum neceſſariò inducunt; De hac autem re legi meretur
ab omnibus Practicis erudita *obſervatio* 170. *Anni* 9., *&* 10. *primæ Decuriæ Miſcellan. Acad. Leopold. Imperial. Nat. Curioſorum.*

Saliva tandem Microcoſmi admirando naturæ miraculo Mercurius figitur, quo ſic extincto in caſibus variis utuntur Medici, ut contrà Scabiem *Meſues*, contrà Scophulas *Hildanus*, adversùs Morphoicam faciem cum levi tumore, & puſtulis *Crato*, ad luem veneream *Roder. Fonſeca*; quin & ad Alchymiam quoque ſalivam hominis facere ait *Jo. Baptiſta Birellus* Orichalcum enim fulgidum, aurique inſtar reddit ope ſalivæ, modo ſequenti; Salem ammoniacum cum ſaliva conterit, & exactè permiſcet, ut fiat linimentum, quo perungit vaſa ex orichalco confecta, & prunis ferventibus impoſita reſiccat, denique abſtergit, & pannis lineis perfricat, & unum, alterumque Alchymicum ſe vidiſſe ait *Clariſſ. D. Ambroſ. Stegmanus Medicus Islebienſis præſtantiſſ.*, *&* *Acad. Curioſ. Lumen*, qui menſtruum, vel ſolvens catholicum ex ſaliva ſibi promittunt, qua cum non ſolum ſanguinem humanum in famoſum Philoſophorum lapidem mutare, ſed, & quævis metalla radicaliter ſolvere putant; iſta
verò

verò ſomnia, ac Alchymiſtarum vanitates, quilibet homo prudens meritò ridet; Audit quidem ſaliva, citatus ſcribit Doctor, menſtruum univerſale microcoſmicum, utpotè quæ particulis ſuis ſalinis ſpirituoſis ſulphureis a calore vitali in actum deductis nihil indiſſolutum mittit, quod proportionatum eſt corpori, ut facilè hinc alimenta fermententur, digerantur, & faciliùs concoquantur; Inſuper quòd aurum, cum rutilante eximio noſtro ſanguine videatur ſympathiam indicare, analogiam potius, quam veritatem phyſicam ſapit; Lubens etiam, concedit ipſe Auctor, quòd ſaliva ob ſal Volatile, ſeu mercurificans, quod vocant, & ſulphur ſuum viſcoſum in liquorem rubicundum verti poſſit; num verò menſtruum univerſale metalla ſolvens ex ſaliva ſit ſperandum, credat quis velit, cras ego, hodie non; cum ſaliva; experientia teſte, nec ſufficit mercurium vivum mortificare, quia ſolummodò viſcoſitate ſua illius particulas diſgregat, exutus enim mercurius ſalivali humido totus in ſe redit, & vivus exurgit: Aſt ſi ſani hominis ſaliva ad multa percipitur efficax; quid de his ſtatui debet, qui Elephantiaſi, Hectica, Scorbuto, Lepra, Morbo Neapolitano, aliiſque contagioſis affectibus ſunt contaminati; equidem novit *Levin. Lemnius de occ. nat. mirac.*, plures qui puſtulas, & exanthemata contraxerunt admotis ſolummodò ori cyathis, quibus infectorum adhæſerat ſaliva, hinc ego Ægrorum domeſticos moneo, ut abſtineant ab uſu vaſorum, cochlearium, poculorum, nitellarum, patinarum, ſtrophiolorum, phialarum &c. quibus ægroti utuntur; hæc verò pauca, ac incomptè expoſita ſint ſatis de proprietatibus, ac virtutibus humanæ ſalivæ.

CAPUT V.

De Morbis ſalivæ, ac de Mercuriali ſalivatione.

SALIVAM rectè conſtitutam noſtræ ſanitati maximè conducere optimè ait *in ſua Prax. med. Jo. Bernard. Gladbackius*, eam

eam enim fovet, tuetur, optimique fermenti officio fungitur; ſi verò præternaturalis effecta ſit, peſſimos effectus in œconomia animali diſſeminat, ſicut igitur, dum in naturæ ſtatu exiſtit, quamplures optimos effectus in ſolvendis digerendiſque humoribus parit, ut indè principalem locum inter omnia corporis humani menſtrua meruerit; ità è contrà dum ab illo ſtatu recedit, morboſis infecta particulis, eſt morborum plurimorum origo; hinc modò fit ſalſa, magis, quam par eſt, modò amara, nunc acida, nunc dulcis, modò verminoſa, nunc mutat colorem, nunc excedit in copia, nunc minuitur in quantitate; De præcipuis ergo ſalivalis hujuſce liquoris affectionibus à Practicis obſervatis nonnulla in præſenti capite dicamus.

Immoderata, & frequens ſalivæ excretio ptyaliſmus nuncupatur à Medicis, & à *Sennerto* definitur crebra, & involuntaria ſine tuſſi, & ſcreatu expuitio à nimia ſalivæ copia proveniens; & etſi enim ex mala conſuetudine quaſi nonnulli hanc expuitionem familiarem ſibi reddant, dum inter loquendum, ac perorandum toties, quoties ſententiam abſolverunt, expuunt, & ex medicaminum ſputum provocantium uſu quoquè hoc provenire poteſt, tamen de ea hic non eſt ſermo, ſed de præternaturali, cum objectum præternaturam, ſeu ſaliva copioſior ad expuendum invitat; hinc ſummoperè decipi, ait *Clariſſ. ætatis*
„ *noſtræ decus* BAGLIVUS, illos, qui ſalivam pro inutili ex-
„ cremento habentes ferè continuò ſpuunt, & ità magno cum
„ vitæ diſcrimine ventriculum hoc naturali, & maximo neceſſa-
„ rio ſapone privant quo non ſolum ejuſdem ſordes mundantur,
„ & diluuntur; verum quamplurimæ ipſius plicæ blanda ſalivæ
„ ſalſedine confirmantur, & in debito tono, ſivè neceſſaria criſ-
„ patura contractioneque continentur, lymphæ gaſtricæ fermen-
„ tativæ ſales acuuntur, & excitantur, aliique plures effectus op-
„ timi a deficienti ſaliva producuntur, ut non mirer ſi tales
„ homines ſiccitate laborent, imò etiam pallore vultûs, & uri-
„ næ cruditate, quorum nonnulla vidi in Fuella propè ſubur-
„ ram, in Presbytero juvene ad forum piſcium, & in aliis,
„ hoc tamen intelligendum velim de ſaliva ſanorum, non au-

tem

„ tem ſi ſcorbutica , gallica, aut ſimili lue laboraverint ægrotan-
„ tes, in quo caſu, quoniam ipſa ſaliva morboſa eſt, ſi fre-
„ quenti ſputatione nimium eliciatur, ad ſalutem potius ipſo-
„ rum erit, quam ad perniciem.

Ptyaliſmus dicitur à nonnullis ſalivatio ; quæ tamen dupliciter conſiderari poteſt, uno modo videlicet pathologicè, ut in noſtro hoc caſu, altero vero modo Therapeuticè, & eſt remedii genus, quando nempè virtute alicujus medicaminis ſalivæ affluxus ad os promovetur, inter quæ medicamenta pyrethrum propterea herbam ſalivarem nuncupant aliqui teſte *Rhodio ad Scribon.* imprimis cura per ſalivationem inunctione mercurii in gallica lue à nonnullis laudari ſolet, quamvis periculo non carere monuerit *Hildanus* præſertim in Arthriticis ; de qua mercuriali ſalivatione etiam nonnulla in hujus capitis fine dicemus.

Duplex autem quoquè eſt pathologica Salivatio, alia nempè eſſentialis, alia ſymptomatica, & accidentalis ; Eſſentialem definio per crebram ſputationem à copioſa ſalivalium glandularum humiditate ortam, ductuſque ſalivales patentiores reddentem : Fit iſte morbus ſecundum *Sennertum*, alioſque veteris Medicinæ Proceres, „ dum pituitoſus humor à capite ad os, &
„ fauces defluens ſalivæ ſe commiſcet, eamque auget, atque
„ tunc ptyaliſmi, & catharrhi eadem generatio, & cauſa eſt,
„ & ſolet ptyaliſmus, & catarrhus nonnunquam epidemius eſſe,
„ id quod Anno 1565. accidiſſe refert *Foreſtus*, eadem de cau-
„ ſa cum columellæ laxatione plerumque ſputatio multa con-
„ juncta eſt ; Accidit eadem in inflammatione, & ulceribus o-
„ ris ; deindè, dum ex ventriculo humidiore, & pituita abun-
„ dante ea ſursùm in os exurgit, ſputoque ſe miſcet, quod
„ manè ſeù jejuno ventriculo accidere ſolet, idque ſæpè poſt
„ morbos chronicos accidit ventriculo debilitato, & non rectè
„ concoquente ; neque tamen ſemper primario è ventriculo
„ aquoſa illa pituita ad os confluit, ſed nonnunquam ex inte-
„ ſtinis, ut in vermibus accidit, nonnunquam ex liene, undè
„ lienoſi, & ſcorbutici Sputatores, & ſalivatores ſunt. Juxta verò Neotericos Ptyaliſmus ortum habet à copioſa glandula-

rum ſalivalium humiditate, & excedente, ductuſque ſalivales patentiores reddente; ſicque ſaliva plus æquo per os excernitur; de hac ſalivatione morboſa longè clariùs diſtinctiuſque hoc tempore nos pronunciare poſſe ait Sylvius de le Boë, quam olim, poſtquam non tantum viæ, vaſaque ſalivam in os deferentia innotuerunt Anatomicis, non ità pridem, verum partes quoquè in quibus præparatur eadem, vel ſecernitur à ſanguine, glandulæ puta, & quidem non conglobatæ, ad quas, & à quibus feruntur vaſa lymphatica, verum conglomeratæ, viis certis, & ductibus, per quos in cavitatem determinatam ſuos liquores corpori utiles effundunt, donatæ: Quemadmodùm igitur in ſtatu hominis naturali, & ſano defertur ſaliva ſola ex glandulis maxillaribus conglomeratis in os, ita non rarò in ſtatu ejuſdem præternaturali, defertur una cum eadem ſaliva humor, vel pituitoſus, & viſcidus, vel ſeroſus, ac tenuis. Quod ad diagnoſim ſpectat morbus iſte per ſe notus eſt, & qui tali affectione laborant coguntur ſinè tuſſi, ob ſalivæ copiam aſſiduè expuere, quod ſi ſaliva copioſa excernatur poſt cibum, indicat ventriculum malè affici, & alimentum corrumpi teſte *Sennerto*; De curioſa ſalvatione morboſa deglutitionem liquidorum tantum prohibente meminit *Car. Raygerus Miſc. A. N. C. dec.* 1. *An.* 4. *&* 5. *obſ.* 10. in quodam Senatore, qui ſolida facillimè deglutiebat, liquida verò neutiquam, ità ut ſitim intenſam, abſque tamen calore febrili, nunquam potuerit potu reſtinguere, ſed aquam cochleatim tantum ut, & alia medicamenta liquida ſorbere debuerit, ſtatim ſuperveniente enormi quadam ſalivatione, quæ deſcenſum liquidorum impedivit, quamvis, & fluxus hujus pituitæ lentæ, ac viſcidæ ſemper, & per totum morbum uſque ad finem vitæ duraverit, ut quandoque ſingulis diebus aliquot vaſcula hâc materia impleverit; tandem ex vehementia morbi ità contabeſcens, ut cutis oſſibus hæreret, circà initium Maii anni 1672. placidè expiravit. De perpetua ſalivatione ex ruptura vaſorum ſalivæ mentionem fecit *Ant. Deuſingius*; de ptyaliſmo in Senè lethali *Helwigius*; de diuturna ſalivatione cum metu Gangrænæ *Joh. Mackius*, ac de Fœmina,

quæ

quæ limpidam aquam copiosè ex ore rejecit, ſic ſcribit in *Ann.* 4. *dec.* 2. *M. A. C. Excellentiſſ. Dom. D. Jo. Ludovic. Hannemannus Germaniæ, & ſuæ Academiæ Kilonienſis, & noſtræ* Leopoldinæ *Societatis maximum ornamentum curioſiſſ.* Quædam Matrona honeſtiſſima magna cum virium debilitate, inſignem aquæ limpidiſſimæ copiam ejecit; ſimilemque caſum in ſua dilectiſſima Matre vidiſſe ait; illa jam bis iſto fluxu, & quidem ſumma cum virium proſtratione laboravit; & quod mirum fuit, humor erat limpidus, omnis odoris, & coloris expers, totoque cœlo ab urina differens; putavit ipſe *Hannemannus* vaſa lymphatica aperta talem evacuaſſe materiam; Aſt *Sapientiſſ. & nunquam ſinè laude nominandus D. Lucas Schrockius in illius obſervationis Scholio* a Salivalibus ductibus talem emanaſſe laticem docuit. E contrà verò ſaliva poteſt deficere, quando, vel non ſeparatur ob vitium glandularum, aut obſtructionem ductuum ſalivalium, vel non generatur talis ſubſtantia in cruore ſivè generata abſumitur, ut in febre ardenti, longo ſermone &c. de quibus affectionibus curatio videatur apud Practicos; Symptomatica autem ſalivatio eſt illa, quæ accedit morbis, imò aliquandò critica evadit, cum nempè ipſius ope Morbus aliquis ſivè acutus, ſivè chronicus terminatur; De ſymptomatico ptyaliſmo in Variolis plura collegit *Riccard. Mortonus de Var. & Morbil.*, ac de quotidiana febri uretico-ſputatoria meminit *D. Benjamin. Scharfius Miſc. Ac. Nat. Cur. An.* 2. *dec.* 2. *obſerv.* 104. narrando de quodam Juvene 24. Annorum, qui quotieſcumque febris incipiebat ſalivam, & urinam reprimere vix poterat, ſed continuè jam urinam, jam ſalivam in magna quantitate egerebat, ut ne momentum quidem ab hac urinam, & ſalivam egerendi irritatione liber eſſe poſſet, Critica verò ſalivatio illa eſt, quà mediante exoneratur natura, & ſaluti æger reſtituitur; natura enim morborum vera medicatrix in debellandis morbis varias ſæpe vias admodum inſuetas prò evacuanda cauſa morbifica invenit, ſic ductus ſalivales ex glandulis hiantes eligit prò ſanguinis depuratione, humoriſque pravi evacuatione, & ita morbos feliciter profligat, talemque

criticam

criticam morborum ſolutionem, & quidem febris ardentis exhibet *Guern Rolfincius ord. med. lib.* 3. Vertiginis ſalivatione ſolutæ meminit *Nicol. de Blegny Zod. Med. Gall. An.* 1. Salivationem in Phthiſi criticam, & ſalutarem exponit *Clariſſ. Dom. D. Joh. Paul. Wurffbain Med. Norimbergenſis præſtantiſſ.*, *Archiater*, *& Comes Palatinus Cæſareus*, *Nobilis*, *& Acad. nat. Carioſ. Ephemer. director diligentiſſimus in dec.* 2. *Ann.* 1. *Miſcel Nat Cur. obſ.* 122. Ptyaliſmum in variolis lethalem refert *Bonetus in Merc. compit. lib.* 19 Et *ego* Anno 1699 Menſe Septembris ſcabiem fœdam in Milite quodam obſervavi, & mecum notavit *Eruditiſſimus D Hieronym. Baruffaldus Philoſophiæ Doctor. egregius*, *& Amicus meus ſuaviſſimus*, quæ ſcabies ſalivatione ſponte orta ſpatio novem dierum perdurante, nulloque alio adhibito auxilio ſanata fuit. Non tantum verò critica poteſt eſſe nimia ſalivalis effuſio, & ſymptomatica, quatenus ſaliva poteſt peccare in quanto, verùm etiam in qualitate, ſicque morbos inducere varios, prout variis odoribus, coloribus, atque ſaporibus imbuta apparet; obſervavit enim *Borrichius* ſalivam, quæ cum ſaccharo poterat comparari in Eccleſiaſtico Hafnienſi, illamque dulcedinem non fuiſſe laudabilem, quoniam oriebantur ulcuſcula in lingua ex illa, ut legitur *in Miſc. Ac. Carioſ. Ann.* 3. *Decur.* 1. *obſerv* 237. Salivam ad nauſeam uſque dulcem in ſe ipſo, & in aliis notavit *Clariſſ. D. Salomon. Reiſelius Dec* 2. *An* 8. cujus rei cauſam explicare difficile judicat idem Autor, cùm non facile ſit omnes in humano corpore ſecundas qualitates humorum, eorumque mutationes animadvertere, cum ignoremus plerumque quibus qualibuſque alimentis ægri fuerint uſi, & inprimis à quibus, qualibuſque tam mire alterentur ſapores, odores, colores, ac cæteræ humorum noſtri corporis qualitates, & quidem meo judicio propter neglectam à pleriſque chymiam, cuilibet Medico ſummoperè neceſſariam; Hinc pariter ſalivalem humorem dulcem cum nauſea ſe vidiſſe fatetur *D Joh. Burgius in Ephemer Ac. Nat. Cur. decur.* 2. *Ann.* 3 *obſerv.* 172. atque in Cive quodam ſe obſervaſſe ſimilem caſum narrat *Jo. Mat. Fabri Dec.* 2. *An.* 9. qui cùm per ſcalas ruens ſibi occi-

occiput vehementer concuſſiſſet, curatus tamen nullum aliud patiebatur incommodum inſolitum, præterquam quod ſaporem nullum niſi dulcem; Similiter de Matrona quadam ſputatione dulci correptam meminit *Theoph. Bonetus in Mēdic. Septentrion. tom.* 1. *lib.* 2.

Curioſam, & Eruditam Guſtus depravati obſervationem Medicam, à ſalivæ vitio, mihi communicavit *Excellentiſſ. D. Octavius Capellus Medicus noſter Ferrarienſis præſtantiſſimus*, quæ talis eſt.

Uxor cariſſima mei ætatis annorum 58., temperamenti ſecundùm totum calidi, & humidi, capitis tamen calidioris, & valde ſicci ut ex capillorum penuria, ex cute ejuſdem capitis, in qua æſtivo tempore rimulæ apparent, ut in terra ex ariditate, nec non muci ex naribus, & ſputi inſuetudine ferè totali liquet, ex tribus maritis unicum partum fœmineum adhuc viventem decimo ſeptimo ſuæ ætatis anno parta, laudabilem nacta valetudinem, quamvis non omninò inculpatam ex intercalatis non tamen longis febribus, doloribus, faucium inflammationibus, levi hæmophtyſi, aliiſque raro tamen occurrentibus morbis; alacri animo in rebus quibuſcumque domeſticis, quamvis laborioſioribus etiam me invito obeundis, optimis viribus prædita, atque promptiſſima, menſtruas purgationes ſtatis temporibus ſemper, copiosè, ac feliciter habuit uſque ad annum ſuum 52. quibus ratione ætatis deficientibus, cœpit levibus, vagiſque dolorificis fluxionibus modò genua, modo brachia, nunc intrà, nunc extra articulos, pedum polices, & manuum indices frequentiùs infeſtantibus torqueri, à quibus verò nunquam lecto incumbere, nec domum cuſtodire fuit coacta, ab hiſque opportuno tempore purgata ope aquæ ſtibiatæ convaluit, quamvis duo ab hinc annis illæ denuò recruduerint Tandem anno 1698. circa dimidium menſis Novembris queri cepit de quadam ingrata dulcedine, quam continuò ejus lingua, & os percipiebant adeò, ut nedum comedens, vel bibens, ſed tacita, loquens, vel orans omnia ipſi dulcia extremè viderentur; octo; vel decem ab hinc diebus dulcedini huic ſe ſe conjunxit auſteritas ab ea non diſſimilis, quæ muſto, vino,

aceto, vel hujuſmodi liquoribus ebullientibus in vaſis æreis, vel ibidem diutiùs immorantibus, æreamque tincturam auſteram attrahentibus accidere ſolet, ita ut omnia, & ſingula comeſta, & epota ipſi dulcia, ac auſtera ſaperent. Dulce auſterum paucis poſt diebus in amarum ceſſit, amarum in acuti piperis ſaporem eſt immutatum, ſapor hic in acidum ſpiritus vitrioli æmulum, acidum in intensè ſalſum, hoc in acre veluti aceti, in quo diù piſces frixi fuerint conditi, hoc rursùs in dulce, ſalitum, amarum &c. tandem, uno verbo, per octo menſes circiter, modò intenſiùs, modò remiſſiùs omnes, & ſinguli præfati, vel ſi qui alii dantur, ſapores, nunc breviùs, nunc diutiùs uno eodemque die, immò quandoque una, & eadem hora perdurantes, ſe ſeque alternatim immutantes miſeram Uxorem affligebant, adeò ut ad menſam accedebat ſæpiùs lachrymatura, quàm ut victu neceſſario, quem ſtomachus alioquin ſanus appetebat, frueretur. Plerumque dimidiam linguæ partem, ſiniſtram nempè, magis affligi, & praviùs deguſtare ſentiebat.

Saccharum, & ſaccharata omnia illi non minùs ſucco limoniorum acida videbantur, decoctum hordei lixivium ſapiebat, liquiritiæ radix ore detenta acetum, ubi fuerint piſces conditi æmulabatur, ſi aceto os collueret ſapores omnes depravati inſtar incantamenti torpeſcebant, & obtusè, ac obſcurè ab eadem paucis momentis percipiebantur, immò ab uſu aceti, vel acetarii, quandoque, non ſemper, aliquem bolum comeſtibilium ſuo naturali ſapore præditum percipiebat, donec à ductibus ſalivalibus nova ſuperveniente ſupra linguam ſaliva dilueretur acetum, & hinc moleſtiores repullulabant depravati guſtus ſapores.

Ab ardore doloroſo præſertim in parte læſa ejuſdem linguæ quandoque divexabatur veluti ſi aphtas, vel ulcuſcula ibidem pateretur, vel ſicuti, ſi ab aliquo eſculento nimis fervido, & ebulliente offenſa fuiſſet, immò impatiens mihi, & domeſticis ſæpè linguam inſpiciendam, ac explorandam exponebat, quæ ſemper incolumis, nulloque viſibili defectu læſa conſpiciebatur.

Vinum,

Vinum, aqua ſimplex, brodium, & potulenta omnia quamvis depravatè guſtaret, minùs autem inſuavia eidem apparebant, quam res dentibus manſæ. A ſomno expergefacta nihil moleſtum in lingua ſentiebat, ſed ea mota, & infra os agitata ſenſim præfati ſapores excitabantur. Spiritum vini ſi aſſumebat, hic magis depravatos ſapores ſuſcitabat, & adhuc ſuſcitat.

Senſum guſtus depravatè læſum, ſymptoma ſcilicèt linguæ non legitimè ſapores ſentientis, moleſtam hanc Uxoris meæ affectionem eſſe unicuique patet, quam *Galenus lib. primo de ſymptomatum cauſis cap.* 40. de ſympt. cauſis in guſtu, & odoratu elegantiſſimè ſic deſcripſit. „ Monſtratum enim eſt linguam eo „ quod duabus facultatibus ſenſui, voluntatique ſubſervit, duas „ quoquè actiones habere. Nunc autem eam veluti ſentientem „ conſideramus. Odoratus verò ſenſorium ipſos cerebri eſſe „ ventriculos indicavimus. Ac guſtandi quidem ſenſus ſymptomata ſunt, tum omninò nihil ſaporum ſentire, tum non legitimè ſentire. Cùm autem non vitioſè: diminutè quidem guſtare, in viſu amblyopiæ, id eſt viſus hebetudini, in auditu „ barycoiæ, id eſt audiendi difficultati portione reſpondet. Vitiosè autem guſtare, eſt veluti cum oculis, colore, figura, „ magnitudine vel ſitu mutata videntur. Hoc in auditu obaudítio nominatur. Porrò morbi prædictorum ſymptomatum, „ vel quæ in guſtandi actione, vel quæ in potentia incidunt, partim in ſimilari linguæ ſubſtantia, & tunica qua involvitur „ ſunt, partim in nervis mollibus, partim in loco cerebri, illo „ præſertim, undè hi nervi originem habent. Ac reliqui quidem prædictorum omnium morbi in manifeſto ſunt. Lingua „ verò vitiosè ſapores ſentire ſolet, cum extraneo humore eſt „ impleta. Quo caſu quæ guſtantur omnia vel ſalſa videntur, „ vel amara, vel alia quapiam aliena qualitate dicibili, indicibilive affecta. Tanquàm enim in ſuffuſis viſiva vis foris ſe „ cernere judicabat ea, quæ in ipſis oculis inerant: itidem „ guſtandi facultas ea quæ ſunt in lingua, ſenſibilibus imputat. „ In arquatis quidem bilis amarorem non linguæ eſſe ipſius, ſed „ eorum quæ guſtat deputans: in aliis verò quibuſdam affecti-

„ bus ſalſuginem, acoremve eduliis ipſis ineſſe imaginans: ſcili-
„ cet ſucco, qui extrinſecus acceſſit, vitioſum linguæ ſuccum,
„ qui prius quieverat, excitante moventeque, guſtandi autem
„ vi non eum qui acceſſit, ſed eum qui in ſe redundat; ſen-
„ tiente. Rarò ſanè accidit, ſed tamen aliquando, ut lingua ex
„ guſtandi perfectione priuſquam aliquid guſtet, ſuccos quos
„ in ſe habet, ſentiat. Simile hujus ſymptoma eſt, ubi in ſto-
„ machicis affectibus, ſuffuſionis imaginatio oculis incidit, vel
„ ſonitus auribus cum nihil extrà ſonet, ſed motus ipſe circa ce-
„ rebri membranas imaginationes creat, vel odoris in naribus
„ ab ſucco aliquo in his contento. Hæc *Galenus*: ex quibus elicitur talis ſymptomatis cauſam eſſe, per eundem, ſuccum quemdam extraneum partim ſimilari linguæ ſubſtantiæ & tunicæ linguam involventi, partim nervis mollibus, partim illi cerebri loco undè hi oriuntur nervi impacto.

Pro majori autem præfati ſymptomatis, juxtà *Galeni* mentem, dilucidatione neceſſe eſſe diſquirere priùs an guſtus fiat in linguæ carne, vel ejuſdem membranis, nervis, vel glandulis, ſed brevitatis gratia cum pleriſque recentiorum ſatius ſit credere guſtum fieri, cùm corpuſcula ſalina inſita rebus ſapidis communicantur nerveis linguæ papillulis ope humidi eadem ſalia diſſolventis, ſive humidum iſtud ſit corpus per ſe ſapidum liquidum, ut fructuum, vel olerum ſuccus, vel vinum, aqua ſaliva, vel liquor, in quo res ſolidæ contritæ, incoctæ, vel diſſolutæ ſalia ſua ſapida diſſolvant, quæ ſalia ope hujuſmodi liquoris linguæ papillulis imprimuntur, ex quorum ſalium diverſa, ſuarumque minimarum particularum configuratione diverſimodè per porulos linguæ prædictæ nerveæ papillulæ alterantur, ac afficiuntur, quæ diverſa alteratio, ſeu impreſſio, quælibet juxtà ſuam naturam, ac indolem, proprii ſaporis ideam producit, quæ idea per nervorum quarti paris fibrillas linguæ implantatas ad commune ſenſorium translata, menti ſaporem unumquemque juxtà ſpeciem ſuam repræſentat. Citior autem, vel tardior ſaporis perceptio ex majori, vel minori fluiditate corporis ſapidi dependet, fluidius enim corpus citiùs

per

per linguæ poros ad papillas penetrat, ibidemque ſuum guſtum imprimit, tardiùs verò quo minus fluidum, vel minus humidum exiſtit, idque linguæ agitatione, ac ope ſalivæ diſſolvitur, aptiuſque redditur ad penetrandum per poros ad papillas, qui pori ex motu linguæ, & ejuſdem humectatione magis ampliantur, ſalinæque particulæ comeſti ex tali motu, & agitatione ſic meliùs per porulos penetrant, ſubjectiſque nerveis papillulis infiguntur, quod nullatenùs contingit, vel ſaltem tardè, & obtusè immota manente lingua præſertim ſi huic res ſolidæ, & humido deſtitutæ imponantur.

Sic guſtum contingere non longè a præfata *Galeni* ſententia recentiores Medici, atque Anatomici oſtendunt, & experientiæ videtur conſonum in ſanis; in infirmis verò puta febricitantibus res diverſimodè ſe habet, vel ob defectum ſalivæ ab æſtu febrili conſumptæ, vel ipſius organi id eſt linguæ præternaturaliter conſtitutæ, & quamvis in ſanis etiam nonnullis quandoque pororum linguæ tunicæ inſitorum diverſitas mutet ſapores, adeò ut ob prædictorum pororum diverſam ſtructuram, & configurationem dulcia V. G. inſuavia videantur, & amara, ſuavia, immò, & aliis quibuſdam ingrata delitioſa appareant ob eorum particularem imaginationem talia grata, vel ingrata judicantem, noſtro tamen in caſu rem diverſimodè ſe habere arbitror.

Salivam ergo ex glandulis ſublingualibus, aliiſque in faucibus, palato, totoque ore diſperſis continuò linguam humectantem, hujuſce depravati guſtus præcipuam eſſe cauſam in Uxore mea dilectiſſima ſemper animo habui, & quamvis organum ipſum non videatur omninò inculpandum, forſan ex vitio nerveis papillulis, vel linguæ porulis, quod ipſis totum fortè imputare poſſet aliquis, nihilominùs tale vitium majori ex parte ſalivæ adſcribendum cenſeo pluribus ex cauſis.

Primò, quia ſi vitium tale ineſſet organo, potulenta æquè diſplicerent, ac res ſolidæ dentibus manſæ, & ſaliva humectatæ, ac diſſolutæ, nam hæc ſemper magis depravato guſtu, & ſapore præternaturali à Matrona fuere dijudicatæ, quàm epota,

ta, vel ſuccoſa, & liquida, undè patet, quod ſaliva diſſolvens ſalia rei manſæ imprimit iiſdem ſalibus quid magis ſapidum præternaturale, ac imprimat corpus fluidum, & humidum non indigens ſaliva pro ſuarum ſalinarum partium diſſolutione.

Secundò, liquet hujuſce vitii cauſam inſitam eſſe ſalivæ, quia abſente cibo, ac potu adhuc extranei, præternaturaleſque ſapores diverſi ab ægra percipiuntur, & quo magis ipſa movet, & agitat linguam loquendo, vel orando, deteriùs ſe habet, quam ſi linguam immotam teneat, quòd magis conſtat ſtatim ac à ſomno eadem expergiſcitur, in quo ſenſus omnes ſopiuntur, à ſomno verò reviviſcunt, & per conſequens reviviſcit, & in lingua guſtus, cujus vitium ſi inſitum eſſet ſoli linguæ hæc ſola etiam immota ſuos pravos guſtus ſaltem obtusè, & obſcurè redderet ſenſibiles, ſed ſtatim ac ea commota madeſit à ſaliva illicò extranei ſapores excitantur, ergò iſti potiùs à ſaliva dependent, quàm ab organo, vel ſaltem majori ex parte.

Ulteriùs cum id non contingat in ſanis, & naturali guſtu præditis, quorum ſaliva inſipida abſente cibo; ac potu nullum edit in ore ſaporem, ratum idcircò manere debet in noſtro caſu ſalivam hanc heterogeneis, minimiſque corpuſculis ſalinis, iiſque ſylveſtribus copioſiſſimè eſſe imprægnatam, à quibus modò intenſiùs, modo remiſſiùs, nedum cibo, potuve præſentibus, verùm etiam iiſdem abſentibus linguæ poruli alterantur, ac feriuntur, nerveiſque papillulis imprimuntur, & juxtà eorundem ſalium prædominantem ſymmetriam hujus vel alterius ſaporis idea ibidem impreſſa per quarti paris nervulos linguæ inſertos ad ſenſorium commune defertur, undè mens talis vel talis alterius ſaporis, juxtà obviam ideam, judicium facit.

Ab ejus ſanguine arterioſo præcalido, multaque acredine, atque ſalſedine in hac muliere familiaribus in laboribus quandoque vilioribus (me incaſſum prohibente) nimis ſollicita, producta fuiſſe præfata ſalia heterogenea, illaque totam ſalivalem maſſam (arterioſi ſanguinis recrementum) infeciſſe pro certo habendum, cujus ſanguinis arterioſi non ſolùm, sed & venoſi

acido-

acido - ſalinam indolem indicant doloroſæ, & ſemiarthriticæ fluxiones, quibus ratione ſenii à menſium defectu obnoxia eſt, necnon rimulæ in capitis cute æſtivo tempore apparentes cucurbitularum inciſionibus ſimiles; & quamvis aliquis poſſet inferre eam in tanta acido - ſalinarum particularum copia, quibus ejus ſcatet ſanguis, cutaneis affectibus ſcabie videlicèt, & hujuſce generis morbis, potiùs quàm aliis prædictis correptam rationabiliùs eſſe debuiſſe: reſpondere poſſem ex hujuſmodi ſalibus ipſam in ſcabiem, vel alios hujus generis morbos non incidiſſe, quoniam credere fas eſt talia ſalia eſſe ſummè fluida, & volatilia, ideòque neque in ſcabiem, nec alios cutaneos affectus fixantur, immò nec in veram arthritidem, quippe ſalia hæc lentoris, vel coaguli ſunt neſcia, ſi enim patientis noſtræ ſanguis lympha craſſa ſcateret ſolita prædicta ſalia irretire, ac fixare, ſputo, mucoque non eſſet hæc Matrona deſtituta ut ſuperiùs deſcripſi.

Rato igitur per me hoc fundamento judicavi pro hujuſce moleſtiſſimi ſymptomatis curatione opus eſſe præfata heterogenea ſalia è tota ſanguinea maſſa eliminare, uſu abſorbentium, edulcorantium, & eorumdem ſalium infenſa ſpicula retundentium, in quem finem poſtquam hyberno tempore ad eam exacte purgandam improprio, inaniter gargariſmis, & apophlegmatiſmis penè innumeris, diverſæque naturæ plurium, ac plurium Excellentiſſimorum Virorum mei familiarium Comprofeſſorum adjutus prudentiſſimis conſiliis uſus fuerim, circa finem menſis Aprilis anni 1699. præſcripſi univerſalem purgationem, levioribus, ac benignioribus inſiſtens lenientibus potiùs, quam purgantibus, alterantibus ex ſuccis cichoreaceis, & vaccino ſero depuratis; phlebotomiæ ex partibus ſuperioribus, ac inferioribus plures celebratæ, toto tandem expurgato corpore ad Aquam Stibiatam Pomponacii dictam tanquam ad ſacram anchoram confugi per dies circiter 30. copiosè de more propinatam: aſt omnia hæc exiguo cum levamine fuere perpetrata, unde locale remedium tentavi venarum ſublingualium inciſione, à parte affecta è directo humores ibidem (ſi qui forent) impactos detractu-

tracturus. Apertis ergo raninis venis effluxit ſanguis intensè rubicundus, aliquantulum craſſus ad uncias novem circiter, & quòd ex hac operatione valdè proficuum expectabam, fuit, ipſam Uxorem dum ſanguis ex ore profluebat omnes ſapores quoſcunque extraneos eodem tempore confusè, & indiſcriminatim autem adjuncto calore perſenſiſſe, quaſi tunc temporis guſtus depravati minera tota exhauriretur; aſt neque id niſi leviter profuit, nam præterquamquod pluribus diebus ob inflammationem circa inciſas venas, & ibidem ſitas glandulas ſubortam, difficulter cibum, potumque admittebat à calore, & frigore actuali eduliorum valdè moleſtata, ſedata poſtea inflammatione guſtus perſeveravit depravatus licet parùm remiſſus.

Cum itaque tot rationabilia tentamina ex plurium Amicorum Collegarum aſſenſu, & conſilio irrita, & inania fuiſſem expertus, ad famatiſſimum, & ſapientiſſimum Dominum, noſtri Almi Collegii Ferrarienſis vetuſtiorem, ac verè venerandum Virum acceſſi, cui enarrata moleſtæ hujus affectionis hiſtoria, & omnibus adminiſtratis præſidiis, ejus Oracula imploravi, qui humaniſſimè confirmavit tàm infenſi ſymptomatis cauſam ineſſe patientis fluidis heterogeneis ſalibus, iiſque ſylveſtribus heu nimium ſcatentibus; quarè cum jam Caniculares imminerent dies potandis mineralibus aquis peropportuni, ſuaſit Villenſem aquam eidem copiosè de more propinarem, huic dumtaxat innixus fundamento verè rationali, ſolam aquam ſalia diſſolvere, & ad nihilum reddere, Villenſem ergo aquam copiosè uſurpavit primis diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis verò uſque ad quindecim cum ſucco limoniorum, & quandoque cum ſpiritu ſalis, ſed nec proſpero eventu, nam nec illam totaliter ejeciebat, undè paucum fuit experta etiam ab hoc præſidio levamen, quarè tam longa diæta, tantiſque incaſſum fatigata medicamentis, iiſdem omninò abrenunciavit.

Jam quartus excurrit annus hujus vitioſi guſtûs, qui quamvis ab anno circiter valdè, & ſine comparatione eam remiſſiùs affligat; cùm ferè omnes ſapores in præſenti naturaliter ſæpè deguſtet, attamen plerumque de duobus ſolummodò ſaporibus

præter-

præternaturalibus quaſi continuò conqueritur ſalito nimirùm, & acri, & præſertim imminente, vel præſente aëre humido, ac pluvioſo, ſicuti in ſimili acris conſtitutione ab arthriticis doloribus, levibus tamen, citò advenientibus cum tumore in extremitate digiti indicis utriuſque manus, & pollicis utriuſque pedis, paucis horis, vel ad ſummum infra duos dies evaneſcentibus, & pro aëris mutatione citò recurrentibus. Hactenus *Excellentiſſ. Capellus* suprà laudatus.

De Amico ſuo quodam refert *Roſ. Lentilius Ann.* 4. *Dec.* 2. *M. A. N. C.* qui dum loquebatur, ſalivæ guttas, quaſi per ſyphonem eructabat, quæ continuò in albiſſimam calcem concreſcebant, ſi quid autem circà hoc conjiciendum, putat citatus Doctor, particulas alkalicas terreſtres à ſpiritù ſalivæ nitroſo ſolvi, quo ſpiritù exhalante in calcem coagulari, undè *Excellentiſſ. Theſeus noſter*, ſalivam in orbem ſtanneum eructatam concreviſſe in calcem albiſſimam, quatenus magnam continebat ſalſedinem, notavit. Salivam verminoſam concedit *R. P.D. Anton. Alberghetus C. R. S.* noſtræ Urbis ornamentum *in Gen. Spont. cap.* 22. *part.* 2. & in quodam Hamburgenſi vidit *Clariſſ. Joh. Dolæus Miſc. Acad. Curioſ. Decur.* 1. *An.* 9. *&* 10. *obſ.* 131. ſimilemque ſalivam minutiſſimis ſcatentem vermiculis ſe vidiſſe pariter affirmat Leuwenhoeckius; & licet *Rever. P. Philip. Bonnani Sacerd. Soc. Jeſu, vir magnæ eruditionis in ſuis obſerv. de Animal. viv. cap.* 64. aſſerat, ſe nunquam potuiſſe in ſaliva optimis, perfectèque elaboratis microſcopiis examinata, nec unicum vermiculum deprehendere; hoc tamen non evincit, talem morbum ſalivæ verminoſum dari non poſſe, quem etiam ego pro rariſſimo concedo, enim quia multa ſunt, quæ ab uno obſervantur, ab alio non; abſurdum ſiquidem eſſet dicere plicam polonicam non dari, per hoc quod ego talem morbum uſque adhuc non viderim, nec quia unus non videt, alius videre nequit?

A ſaliva morboſa & præternaturali ſordidi evadunt dentes, maximè quandò tenacitatem majorem aquirit à cibo, vel à calida expiratione, quæ eam, dum ore clauſo dormiunt exſiccando amplius incraſſat; ſic autem dentes oblinuntur, cum otioſi

ſunt nec mandunt & proin à cibo à quo ſolidiore præſertim ut pane, inter maſticandum, aliàs abſtergi, & poliri ſolent, non repurgantur, undè iis, qui in uno oris latere cibos tantum conterere ſolent alterius dentes hiſce ſordibus inquinatos plerumque eſſe, ait *Platerus prax. tom. 3.* limoque obductos, qui limus tandem in tophum converſus, dentes non ſolum diſcolorat, ſed & inæquales reddit; verum, & ſaliva putris, & maligna in lue venerea, ex hydrargyri uſù reddita, dentes inquinat, & denigrat, ſimulque, ut vacillent, efficit; Non tantum verò in qualitate, ſed etiam in defectu peccare poteſt humiditas ſalivalis, quemadmodum accidit in *Antonia Druſi*, quæ ſi fides habenda eſt *Solino*, & *Sim. Majol. in Canic.*, fortè ob inopiam ſalivæ nunquam ſpuit. Hæc autem de naturalibus ſalivæ ſymptomatibus dicta ſint ſatis.

Nunc ad artificialem ſalivationem deveniendum, qua mediante, & multi morbi ſanati, & plurimæ exortæ ægritudines, atque mors ipſa aliquandò ſequuta eſt; Notabo igitur primò quomodò peragenda, & quid ſentiendum de ſalivatione præſertim uſuali ex Mercurio; ſecundò morbos nonnullos per eam ſanatos enumerabo; tertiò ægritudines ab illa ortas enunciabo; quartò demùm caſus exponam, in quibus cauſa mortis fuit mercurialis ſalivatio.

Primus itaquè inventor Mercurialis ſalivationis, ſi *Gabr. Fallopio de Morb. Gallic.*, & *Clariſſ. Bernard. Ramazzino*, credamus, fuit *Jacobus Berengarius Carpus* à Patria dictus Profeſſor Chirurgiæ Ticinenſis, qui floruit circà Annum 1522. teſte *Mercklino Viro de Republica Med. optimè merito*, *in ſuo Linden. renovat.*; hic cùm ſolus ſecretam hanc medicinam calleret, ità opulentus redditus eſt ſolo iſto quæſtu, ut teſtatus fuerit numeratam pecuniam 40000. ſcutatorum præter argenteam materiam, quæ omnia Sereniſſimo Ferrariæ Duci reliquit; Alii verò noſtri ſcriptores hoc remedii genus ex Arabum ſchola deduxerunt. Diverſimodè in uſum ducitur mercurius ad ſalivationem; nonnulli enim frictione unguento mercuriali facta ſalivam movent; ſuffitu pauci, alii emplaſtri, aut cinguli forma mercurium adhibent; & aliqui ad ptyaliſmum movendum per os aſſumendum

exhibent

exhibent mercurium. Mercurialis inunctio autem talis eſt per *Pareum* ; Sumitur, ait ipſe, mercurius clarus, tenuis, albus, & fluidus, & quò purius ſit per pellem arietinam colatur, concluſum enim ſi comprimatur tenuitate ſua penetrat, ſordeſque ſuas, & plumbeas admixtas fæces in interiore ſuperficie relinquit; elixatur indè in aceto cum ſaliva, roremarino, thymo, chamæmelo, meliloto, iterumque colatur, & tot artibus excultum in unguenta venit, & admiſcetur; ut extinguatur certiùs, diù eſt agitandum, & veluti tribulandum in mortario, ut in tenuiſſimas partes frangatur; linimenti ergò mercurialis hæc erit forma ℞. Argenti vivi præparati, ut ſupra ℥. vj. ſublimati ʒ. ß. Sulphuris vivi, ℥. ß. axungiæ porci ſalis expertis ℔ j. vitellorum ovi ſub cineribus coctorum num. iij. olei terebinthinæ & laurini ana, ℥. ij. theriacæ veteris & mithridatii ana ℥. ß. Fiat linimentum, ut artis eſt; modus verò faciendi erit ejuſmodi imprimis; ſublimatum, ſulphurque in pollinem redigentur, tùm affundetur argenti vivi portio, ſimul, & axungiæ, mox, & vitellorum induratorum, continuò omnia, & diligenter agitando; his omnibus fideliter concorporatis tantundem rurſus affundetur argenti, vivi, axungiæ, & vitellorum, ac priori maſſæ incorporabitur, extremo loco affundentur olea, mox theriaca, & mithridatum, ſimulque omnia per diem integrum tundentur, hacque arte parabitur laudabilis conſiſtentiæ unguentum, quo ipſe *Pareus* multoties feliciter uſus eſt de qua re plura apud eundem Autorem *lib. de lue vener. cap.* 10.

Nonnullos autem uti hoc remedio abſque purgatione prævia, & venæ ſectione ait *Jungken in Prax. med.* ut ſic nullis evacuationibus infirmati ſalivationis impetum multò melius ſuſtinere queant infecti, quod tamen vituperant *Lemery*, & *Frid. Hoffmannus*; Formula autem deſumpta à nuper citato Jungkenio talis eſt. ℞. Mercurii crudi ℥. j., Axungiæ porcinæ ℥. ij. m. Juxta Dolæum verò ſic ſe habet; ℞. Mercurii vivi ſaliva hominis, vel oleo terebinthinæ, vel liliorum, vel lumbricorum, extincti ℥. ij. Unguenti de Althea Fernelii, ℥. ß., olei Succini ʒ. j. miſce fiat Unguentum S. A., & ſecundum

Nicol. de Blegny ℞. Mercurii crudi, & puri ℔. j. terebinthinæ venetæ ʒ. iij. diutiſſimè ſimul conterantur in mortario æneo, quouſque mercurius extinctus ſit, poſteà paulatim admiſce Axungiæ ſuillæ inſulſæ ℔. ij., diutiſſimè omnia conterantur, & ad uſum ſerventur, quam formulam etiam comendat *Lemery*; Cum unguento autem pomato permiſcet mercurium *præclariſſimus D. Oliger Jacobæus* in *Comp. Inſtit. med.* ſicque unguentum conficit; linimento verò tali, ſivè poſtea ſit *Parei*, vel *Jungkenii*, vel *Dolæi*, vel *Blegny*, aut *Jacobæi*, aliorumque deſcriptionis, univerſum corpus ungi debet à pedis planta ad caput, præter abdomen, & pectus, nè fortè lædantur partes in illis cavitatibus contentæ; ut verò litus ſuum ſorciatur effectum æger igni luculento exponatur, vel ſi debilis fuerit in cubile illinatur.

Unaquaque frictione, unguenti unciæ quinque, vel ſex abſumendæ ſunt, in corporibus verò delicatis, prima vice unciæ quatuor ſufficiunt, iiſdemque plantæ pedum, crura, femora, nates, & brachia tantum ſunt inungenda; hæc tamen frictio iteranda eſt ſæpe

Quotidiè verò unica ad ſummum vice facienda, manè jejuno ſtomacho, vel ſub veſperam duabus horis ante cœnam.

Si poſt tertium illitum ſalivationis nulla appareant indicia bis in die inſtituatur, mane, nempe, & veſpere, dummodò æger robuſtus ſit

Hoc tamen notandum, non ultrà ſeptem, aut octo illitus progrediendum, & omnino ab his abſtinendum ſtatim, ac ſalivatio ſe ſe exerere incipit; cujus imminentis indicia ſunt, cum caput dolere incipit, gingivæ, & lingua intumeſcunt, vultus rubore ſuffunditur, & paucos poſt dies os ulceribus obſidetur, ſputum multum, & frequens prodit, exactiſque aliquot diebus os aphthis ſcatet, tunc loquela impedita eſt ob inſignem palati, & linguæ ardorem, quæ niſi crebrò abluantur tepida, dolores intenſi accidunt, eoque tempore indeſinenter fluit ſaliva, comite intolerando fœtore. Qui luis venereæ capiunt curam per mercurii fumum, vel ex cinnabari vulgari prunis injecto, ut *Oliger. Jacobæo* placet, colligunt, vel immittunt ſex drachmas

mercu-

mercurii crucibulo ab igne candenti, quod prunis imponunt' ut æger perforatæ cathedræ inſidens, aut ſub conopæo commodè collatus illius fumum excipiat; interim ne hic caput feriat collum linteo, aut panno cingitur quoad totus mercurius exhalarit, aut tabellas parant ex mercurio cum terebinthina extincto, aceto ſtillatitio, bolo vulgari, & carbonum pulvere, ex cunctis his maſſam conficiendo, quam chartæ ſuperinducunt, & indè ſub umbra exſiccandam reponunt; Hæc tamen debet eſſe proportio, ut in compoſitione mercurius tertiam partem tabellarum conſtituat, cujus paulatim ℥. ß. imponunt, vel ℥. ij. carbonibus ardentibus, vel crucibulo, cujus fumum æger excipiat; Suffitus hic bis in die ſolet fieri, continuando donec ptyaliſmus advenerit; Silvius de le Boë autem aſſerit, talem fumum, aut toto corpore excipi, aut ſolum ore, talique fumo per corporis poros penetrante ad interiora, humores ubivis exiſtentes glutinoſi, & acres paulatim ſolvuntur, & ad vaſa ſalivalia deducuntur, undè inſtituitur ptyaliſmus; per infundibulum verò ab ore aſſumptum mercurii fumum ſalivationem excitare brevi tempore quam habet citatus Autor prò tutiſſima mercuriali ſalivatione, qua via feliciter perficitur, quandò in partibus externis ulcera exiſtunt, quæ fumo viam concedunt magis patentem, atque ità citiùs curantur ſinè ullo metu ſuffocationis, tantum enim ſalivæ ſingulis elicitur vicibus, quantum videtur poſſe commodè ferre quivis æger; quin æſtate, aliave aëris tempeſtate calida inſtituta, concedit ægris exitum, adeò ut vix, nec niſi ab hujus rei peritis deprehendi queat; parùm nempè cinnabaris, cum maſtiche, thure, benzoino, myrrha, ſuccino, laudano, aliiſque junctæ, prunis quotidie, aut diebus alternis injicitur, mox impoſito infundibulo fumus ore excipitur, uti antea dixi leviſque ſalivatio excitatur, quæ poſteà renovatur, niſi ſpontè ipſa continuet; Admonet tamen *Vedelius in Amœn. mat. med. lib. 2. ſect. 2. cap. 16.* Medicos ut abſtineant à tali mercurii ſuffitu; quia hoc pacto fumus magis pulmonem ferit, quam partes extimas afficiat, undè facilior læſio, quam uſus, licet talia ſuffumigia ex

mercurio in Gallia frequentia eſſe, & præmiſſis præmittendis etiam non ſine notabili ſucceſſu, uſurpari aſſerat *Frider. Hoffman. com. in Jo. Schrôder. Pharm. lib. 3. cap. 25.*

Superiùs dixi, eſſe aliquos, qui emplaſtrorum ope ſalivam movent in Syphilide eliminanda, & ii hac via procedunt. Telæ tenuiſſimæ inducunt quantitatem ſufficientem Emplaſtri de Vigo quadruplicato mercurio ex cujus maſſa effingunt emplaſtra admovenda pedum plantis, tibiis, femoribus, natibus, lunibis, dorſo, ſcapulis, collo, brachiis, præcipientes ægro decubitum, donec indicia ſalivationis ſe prodant, id quod nonnunquam poſtridiè accidit, alias tertio, quarto, ſexto die, ſin ſpatio illo temporis ſalivatio non ſucceſſerit recentia admovent emplaſtra, & aliquas adhibent frictiones; Sic loco Emplaſtri de Vigo, ſequens commendat *Pareus*, & comodè poſſe uſurpari aſſerit ℞. Maſſæ emplaſtri de Meliloto, & Oxycrocei ana ℥. vj. argenti vivi extincti pariter ℥. vj., & olei laurini, & de ſpica reducti ad formam emplaſtri, quod extendatur ſuper alutam, imponendum articulorum locis; Aſt conſultius eſt duo loca tantum ſeligere, pro emplaſtris nucham, & pro unctione articulos extremos; In cingulo autem, vel minor, vel major apparatus adhibetur; ille, ſi ſolum extinctus, viſcido quovis, cum goſſypio in cinguli modum ſuendo redigatur; hic verò, ſi alia addantur, quale eſt cingulum Sapientiæ *Rulandi*, innoxium ut aliqui dicunt, medicamentum *Mindererus* verò caſtigat empyricos, ſcabioſis audacter hoc applicantes, & *Philip. Hœchſteterus* damna eorum recenſet, qui cingulo mercuriali ad ſcabiem temerè ſunt uſi; Verum hic metus de nihilo eſſe ait *Clar. Frid. Hoffman. clav. in Schrôder.*, ſi univerſalibus præmiſſis, topica mercurialia rectè præparentur, & applicentur, undè *Petreus in Noſolog. Harmonic. tom.* 1. unguenta mercurialia, inquit, in contumaci ſcabie tutò, ac utiliter adhiberi poſſe, ſi univerſalia prius præmittantur, & inutilis, ac nocivus latex, anteà è corpere exterminatus ſit; hinc Ruſticus quidam apud *Thom. Bartholinum cent. 3. hiſtor. 79.*, omnes eos cingulo mercuriali feliciter reſtituit, qui pura corpora crebro medicamentorum à

Practi-

Practicis præſcriptorum uſu; obtinuerant, cacochymos autem exitio eripere haud potuit.

Multi poſtremò mercurio ore aſſumpto ſalivationem ſollicitant, quatenus mercurium præcipitatum, album, aut rubrum, ore aſſumptum ad quantitatem duodecim, aut quindecim granorum per ſex, octo, aut duodecim dies exhibent, donec prodeat ſalivalis excretio, quam extimulat tamen relicto præcipitato, granis viginti mercurii dulcis *Joh. Helfr. Jungken*; Ad modum verò operandi circà ſalivationem à mercurio, quod ſpectat, me brevi expediam, verbis egregiè ad hanc rem prolatis ab *Illuſtriſſ. D. Joh. Ludov. Hannemanno Acad. Curioſ. maximo Lumine*, cum enim argentum vivum, ait ipſe in *Ephem. Cur. dec.* 2. *An.* 8. habeat in ſe, aciditatem ſummam, & penetrantiſſimam, & cum hæc aciditas inſuper gaudeat intenſiſſimo æſtu; proindè quando argentum vivum aſſumitur ab homine, tunc archeus humani coporis nexum frigoris, & caloris (nam uterque in ſummo gradu ineſt mercurio) ſolvit, hinc diverſæ naturæ particulæ in luctam concitatæ noſtri corporis humores liquant, qui liquati, ac preſſi à Mercurii ponderoſitate exitum quærunt, & a calore mercuriali ſublimati per os effluunt, quod autem calor, & frigus ſimul hic in actu exiſtant, probant ſymptomata, quæ comitantur ſalivationem, ipſique ſuccedunt, ſcilicet dentium vacillatio, intumeſcentia gingivarum, oris fœtor &c., frigori enim vacillatio, & tumor, calori autem oris fœtor debetur, nec mirùm ſi vitali noſtro calori communicatus mercurius, ad oſſa quaſi uſque penetret, & poris omnibus corporis inſinuatus, efficaciam ſuam manifeſtè admodum prodat, nam leni tantum calore idem cum metallis libenter amalgamatur mercurius, eorundemque poroſitates pervadit; rectè igitur ſcribit *Clariſſ. Bonetus* in hoc reperiri partes ſalinas, & ſulphureas volatiles, quæ receptæ, à calore noſtro actuantur, & in ſero, lympha, & ſaliva vehiculum quaſi acquirunt, & ad motum magis illas incitant, ſecernunt, ac fundunt, ut irrequieto motu exitum ſibi quærant in faucibus potiſſimùm, utpotè quia ibi maximæ glandulæ ſalivales excretoriæ,

&

& ductus patentiores exiſtunt ; In hoc ergo præcipuè tota ſalivationis ratio verſatur, teſte *Mart. Liſtero apud Bibliot. Medic.* à *præclariſſ. Mangeto* concinnatam, nimirum intra ſanguinea vaſa lympham cohibendo, quæ jugi circuitu, aſſiduè, & neceſſariò ſeparari, & denuò inferri debet; ab artuum verò inunctione propter vaſorum lymphaticorum torpidorum tenuiſſimæ texturæ depravationem, & ineptitudinem, ejus reditus eò præpeditur, veniſque adeò ſanguineis uſque circuire cogitur, ad gravem cordis, arteriarumque inundationem, per emiſſaria ſalivæ ductuum tantum deplendam; neque enim arteriis, ſe exonerandi alia ratio, niſi ductibus excretoriis relinquitur, quemadmodum, ſi fortè à frigore, mutilatione alicujus membri, vel à ligatura, menſura, & modus venarum diminuitur, pulmo à catharris infeſtari, & hæmorrhagia, hydropſve oriri ſolet; *Nicolaus Lemery* tandem ſupponit *in ſuo Curſ. Chim.* Mercurium eſſe Alkali volatile, quod inſinuatum per poroſitates in corporis humani fluida intricare valet partes ſalino-acidas peccantes in lue venerea, & ſimul cum eis ſublimari, atque à calore, & ab humorum motu deferri ad caput, velut ad vaſis ſummitatem, ibique condenſatum cum illis particulis ſalino-acidis irritantibus vaſa ſalivalia ptyaliſmum inferre. Porrò quod attinet ad ſalivationis mercurialis uſum, quædam obſervanda eſſe judico primò nempè, quod æger non ſit in totum debilitatus, ita ut calor nativus omninò fatiſcere, vel extingui videatur, tunc enim vires adimit, mortemque accelerat; Secundò quod æger non afficiatur paralyſi, tunc enim ob ſuam frigiditatem magis nocebit mercurius; Tertiò quod non abhorreat æger ab ejus uſu, cæterum illam abhorreſcentiam valdè obeſſe notavi; Quartò quod argentum vivum benè ſit purgatum, habet enim particulas pravas admixtas, quæ valdè nocent; Quintò, quod non adhibeatur in nimia Doſi, nam tunc ob ſuam ponderoſitatem, nimium comprimet viſcera, frigore ſuo flammam vitalem extinguet, & particulis ſuis arſenicalibus acidis, partes corporis, quas inhabitabit, mortificatas reddet, ex quibus mors accidere poterit: Hæc autem curatio per ſalivationem mercuria-

curialem juxtà multos peccare videtur in leges ab *Aſclepiade*, & *Galeno* promulgatas, nequè enim eſt cita, tuta, neque jucunda; non cita, quia ad plures dies protrahitur, non tuta ratione materiæ, & effectûs, quia mercurius venenatus eſt, ut & medicamina ex eo parata, præcipitatus enim corroſivus eſt; non denique jucunda, quia ſymptomata gravia ſequuntur, in ore, & faucibus ſalivationes, in palato, & lingua eroſiones, in corde anxietates &c. Quibus tamen reſpondetur, concedendo primò deficere quidem brevitatem in curando, verùm feſtinatio nimia periculoſa eſſe ſolet; hinc legitur apud *Bonetum Merc. compit.*, non celeritatem attendendam eſſe, quandò perfectè curandum eſt, & in curatione luis gallicæ, non ſemper eſſe reſpiciendam ſecuritatem abſolutam, ſed interdum cum periculo junctam; qui enim ſecuritati nimis ſtudet, deficit in generoſitate, difficillimum autem eſt reperire remedium generoſum, quod nihil lædat, & magnificè proſit; periculoſum medicamen eſſe Mercurium conceditur aliquo modo, non ſimpliciter; aſſumptum crudum in ſubſtantia innoxiè teſtantur plurimi: periculoſa eſſe omnia ex eo parata, ſi debita accedat præparatio, negatur: Symptomata ſequantur graviſſima, quid ita? Lues inveterata mitioribus remediis nequit eradicari; ergo patiantur fauces, palatum; & gingivæ, ne totum pereat corpus, & ut aliæ partes cujuſcumque ſint generis a ſarcina liberentur; aliquando enim eſt poſtponenda jucunditas; Ità multos curatos à lue venerea ope ſalivalis excretionis à mercurio excitatæ colligit à variis Medicinæ Magiſtris *Tom. Burnet. in ſuo Theſaur. med. pract. lib.* 10., idemque confirmant *Foreſtus; Greg. Horſtius*, *Lotichius*, *Dolæus*, *Sim. Pauli*, *Vedelius*, *Mangetus*, quarè hìc rectè quadrat id, quod ſcripſit *B. Rhenanus in epiſt. ad Philip. Puchaimerum* Medicum, nempè, *ſalivare eſſe ſanum facere;* Non unum, ſed plures epilepticos inunctione mercuriali ſanatos refert *Bonetus in Iud. med. pract. lib.* 19., idemque narrat de ſcabie contumaci, de mania, Febre ardenti, Cephalagia immani, vertigine diuturna, ulcere antiquo, & lienis obſtructione, imò ſe obſervaſſe ſcribit *Vedelius* podagricum à mercu-

riali ſalivatione liberatum, durante ſolatio per tres annos continuos, poſtmodum verò rediiſſe morbum, ſed mitiorem. A nimia corpulentia, atque obeſitatis incommodo ſalivationem mercurialem liberaſſe Tribunum quendam Militum ait *Ol. Borrichius in Act. Med. Hafn. tom.* 1. *obſerv.* 74. Fœminam hydrope laborantem ſalivali effuſione arte procurata ſanatam vidiſſe meminit *D. Andr. Ernius Miſc. A. N. C. Dec* 2. *An.* 4. *obſ.* 36. Plicæ polonicæ curatæ prædicto remedio pariter recenſentur in *An.* 2. *Dec.* 1. *Miſc. A. N. C.* quin, & ſcorbuticam affectionem per mercurialem ſalivationem fugatam fatentur *Joh. Burgius in Dec.* 2. *An.* 3. *Joh. Accolutus in Dec.* 2. *An.* 9 & *Roſ. Lentilius in append. An.* 10. *Dec.* 2. Suffuſiones curatas hoc eodem remedio tradunt *Riverius*, *Fonſeca*, *Schenckius*, & pertinaces ophtalmias ſcribit *Zacutus*, unà cum capitis ſævo dolore: Multi verò ſunt in ambiguo, an prægnantes, & pueri ſinè diſcrimine vitæ per illinitionem mercurialem curari queant; Nodum hunc ſolvit *Maſſa de lue vener.*, qui id ſinè periculo fieri poſſe ait, idque verum eſſe *Jungkenii* obſervatio confirmat; Mulier enim gravida infantem 20 menſium lactans lue gallica inficitur, huic præſcripſit ipſe Doctor apozema alterans, & ſyrupum purgantem, quò dum utebatur, infans ſimul purgabatur; ſatis purgato corpore, etſi hoc non opus fuiſſet ut conſtat ex ſuprà dictis, articulos ſemel in diè, ad ſalivationem uſque, ſed leniter inungere juſſit, unde infans, etſi non inunctus, multum pituitæ expuebat, quare ablactari mandavit, ne amplius mercurium à matre ſuſciperet; Sic feliciter mater, & infans convaluere, & poſt ſex circiter menſes infantem ſanum peperit.

Verumenimverò, licet morbos nonnullos ſanaverit tale ex mercurio remedium, & mediante ſalivatione therapeutica, multæ profligatæ ſint affectiones, non putandum tamen, aliquid mali argentum vivum in corpore humano afferre non poſſe, tàm enim innocens non eſt Proteus iſte, ut non poſſit morbos alios pro ſalute tribuere; maximè quando animi inquietudo, vel fortis accedat timor, ut mihi nuper per litteras ſuas humaniſſimas communicavit *Excellentiſſ. D. Joh. Maſſonneau Medicinæ*,

ac

ac Chirurgiæ Profeſſor Gallus, *Amicus meus ſingularis*, narrando de viro quodam, qui anno 1699. menſe Maii ſalivationem mercurialem patiens, timore mortis aggreſſus, in fortem incidit melancholiam, cui ſucceſſit delirium, & furor, ceſſante omninò ſalivatione; Abſque etiam animi pathematibus poteſt morbos excitare, & de hac re teſtis ſit *Adam. à Lebenwald. Miſc. A. N. C. Ann.* 8. *Dec.* 2. *obſ.* 122. qui refert, virum quendam generoſum ex unctione mercuriali in Arthritidem doloroſiſſimam, & contumaciſſimam incidiſſe; Ex imperfecta inunctione mercuriali in lue gallica intenſiſſimas ortas cephalagias narrat *Phil. Jac. Sachs*, cum *Laz. Riverio cent.* 2. *obſ.* 91. Hydrargyrum admoto emplaſtro, inhærens magno ægroti damno obſervavit *Joh. Rhodius*, una cum fœda ſcabie cum motus impotentia ex mercuriali ſalivatione; Mirum eſt, inquit *Joh. Schenckius lib.* 6. *obſerv.* quendam, qui ter dumtaxat ſecundum brachia unctus fuerat, per aliquot dies, pondus, & anguſtiam in ventriculo ſenſiſſe, deindè cum latrinæ ſemel inſideret, argenti vivi pateram, non ſine gravi periculo vomuiſſe, Scabiem ab illito mercuriali unguento retrogredientem obſervavit *Clariſſ. Schrockius Germaniæ Portentum Schol. ad obſ.* 16. *An.* 4. *Dec.* 2. *Miſc. Curioſorum*, ex qua orta ſunt ſumma pectoris anguſtia, & totius corporis intumeſcentia; inſignem inflammationem ex unctione mercurii vidit *Joh. Georg. Laibius*, ut ipſe ait in *Miſcell. Ac. Cur. An.* 2. *Dec.* 2. *obſerv.* 157. Hæmorrhagiam ex mercuriali ſalivatione ortam obſervavit *Clariſſ. Nicol. Lemery in ſuo Curſ. Chymic. part.* 1. *cap.* 8. in quodam gallo naturæ robuſtæ, ac validioris, qui poſt unctionem mercurii, unius ſemi horæ ſpatio duodecim libras ſanguinis per os emiſit, ac quaſi vitam cum ſanguine fudit, & quod notabilius eſt narrat *Clariſſ. vir Bernardin. Ramazzinus in Diatr. de Morb. Artific. cap.* 3. caſum Mulieris, quæ cum in hypocauſto marito ſuo aſſideret, dum unguento ex mercurio inungeretur, ſolo aëre illo mercuriali per os ſuſcepto, talem ſalivationem paſſa fuerit, ut ulcera in faucibus eidem ſupervenerint.

Ad mortem deniquè ab argenti vivi inunctione, & per con-

ſequens à mercuriali ſalivatione cauſatam nunc accedamus oportet, ut ſic dictis facta reſpondeant, & ſtemus promiſſis; quarè, me legiſſe recordor apud *Philip. Hœchſtetterum obſ. Dec.* 3, cinguli mercurialis uſum in Sene mortiferum extitiſſe, cujus pariter cinguli infelix uſus notatus fuit à *Gul. Fabr. Hildano*, & *Joh. Rhodio cent.* 3. *obſ.* 86. Hinc quendam Gallicum à curatione per hydrargyrum in periculoſam Anginam incidiſſe, quem imperitus tonſor, repetita mercuriali inunctione infami errore necavit, aſſerit cum *Fernelio Schenckius lib.* 6. *obſ.* 17. Duos puellos mercurio inunctos mortuos ſe vidiſſe ait *Daniel Crugerus obſerv.* 16. *An.* 4. *Dec.* 2. *Miſc. Ac. Curioſ.* De alio Barbitonſore imperito, quorum infinitus eſt numerus, quibus virtus turpis eſt arrogantia, ac peritia, temeraria exiſtit ignorantia, narrat *Illuſtriſſ. Collega noſter Dolæus loc. nuper citato*, qui Militem arthritide laborantem unguento mercuriali, inunxit, & quidem totam ſpinam, & omnes articulos, à qua inunctione miſerrimus miles adeò largam ſuſtinuit ſalivationem, ut omnes dentes eximere potuerit, dein aliquot poſt dies, acceſſit ſphacelus, à quo lingua, gingivæ, fauces, maxillæ, imò tota facies cum maximo fœtore, abſumebantur, & ſic æger triſti ſpectaculo vitam miſerè amiſit; inunctionem pariter Mercurii lethalem fuiſſe in Juvene viginti annorum fatetur *D. Salomon Reiſelius Miſc. A. C. An.* 10. *Dec.* 2. *obſ.* 23. qui mercuriali unguento, non ſolùm carpum, ſed totum inunxit corpus, undè non tantum orta ſalivatio, ſed tumor manuum, & pedum, & capitis, cum ſpirandi difficultate; liquatis ſcilicet, & fuſis à mercurio humoribus; hinc convulſionibus accedentibus, pariter mors acceſſit,

Sicque rapit juvenem prima florente juventa;

Pariter ex mercurii inunctione in Scabioſo mors ſequuta, cujus cadavere aperto, coagulatum in corde ſanguinem obſervavit *Sigiſmundus König*, cum *Joh. Conrad. Peyero obſ. anat. med.* referente *Boneto in Sepulchr. Anatom. lib.* 4. *ſection.* 10. Tandemque ſcio, Pharmacopolam Venetiis hoc Anno 1701. Mercuriali

riali inunctum linimento vitam terminaſſe brevi temporis ſpatio. Hactenus autem dicta, quantumvis incomptè de ſalivatione ſufficiant; nunc varia circà ſalivam, & ſputum à ſacris, & prophanis Scriptoribus deſumpta in Curioſi, ac eruditionis cupidi Lectoris gratiam exponamus, & ſic ad finem hujus Exercitationis properemus.

CAPUT VI. *& ultimum.*

Varia circa Sputum, & Salivam exponens.

USIBUS, ac morbis Salivæ humanæ in capitibus antecedentibus explicatis, & juxta tenuitatem meam breviſſimè expoſitis, nunc pro hujus Exercitationis Coronide nonnulla à variis ſcriptoribus colligenda reſtant circà ſputum, & ſalivam hominis, quæ inordinatè, ac confuſo ordine exponam, utpotè quia, hæc quæ dicturus ſum plus ſapiunt eruditionis, quam Medicinæ, & magis ad Philologiam, quam ad rem Anatomicam ſpectant; nec ſub aliquo anteriorum capitum, tanquam ſub propria claſſe reducenda eſſe ſum ratus, idcircò tumultuariè adnotabo omnia, & ſingula, quæ ad ſalivam humanam faciunt à ſacris, & à profanis Autoribus, tum ad Lectoris delectationem delata, cùm ad mei genium decerpta ſiquidem *Venuſinus* cecinit *Vates in Arte Poetic. ad Piſones*

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Quod aureum *Horatii* Carmen more ſolito egregiè *Sapientiſſimus omnique laude digniſſimus J. U. D. Jul. Cæſar Grazzinus Ferrarienſis noſter, Patriæ Decus, & ornamentum*, ſic Italicum fecit

Inſieme unendo l' utile, e il decoro
Al diletto piacevole, la meta
Intiera conſeguir, dà cui riceve
Lode l'opra perfetta, e in cui s'aqueta.

Relicto itaque proemio ad rem noſtram nunc accedamus. Defluxio igitur ſalivalis in barbam, ſtultitiæ ſignum exiſtit, quemadmodum obſervatur defluere in epilepticis, paralyticis, ſtupidis &c. undè *eruditiſſimus Cornel. à Lapide ſup.* 1. *Reg. cap.* 21., ait *Defluebant ſalivæ in barbam Davidis, ut ipſe ſe fingeret ſtultum.*: Hinc ſalivam in alium immittere, atque alterum inſpuere maxima injuria ſemper fuit, ut colligit ex ſacris paginis *Origenes in Matth. tract.* 35. Ex hoc more inquit *Franciſc. Pithæus*: Romani milites Jeſum Servatorem noſtrum, cùm omni genere ludibrii adficerent, conſpuerunt, quare cecinit *Ghelfucius Roſ. cant.* 21.

L'urtare, il calpeſtar, graffiargli il crine,
Bruttargli il volto di ſaliva imonda.

Undè *Iſaias cap.* 50. *faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Injuriam hanc conſpuendi in alium præter illud quod habetur *in Deuteronom. cap.* 25. ſuprà quem locum nonnulla eruditè habet *Cornel. à Lapide*; adnotant veteres ſcriptores profani; ſic enim *Tullius* celebrans patientiam cujuſdam inquit, *qui conſputatus ab alio verbum reddidit, non omninò contumelioſum*, & Lucianus *expuit in Zonotemim jam jam maxillam percuſſurus*; hinc ſolitos fuiſſe nonnullos Antiquos in faciem ſpuere ad ignominiam inferendam nautis illis, qui negligenter navim gubernaſſent, colligitur ex *Stobæo ſermon.* 44. his verbis; *Cereetæ illos, qui crimen quodcumque commiſerunt, ſacris interdicunt; ſi quis autem navim gubernans aberraverit, ſinguli accedentes in faciem ejus inſpuunt*, & rationem hujus vituperii aſſignat *Picinellus in lum. reflex. part.* 5. ſcribendo, ſalivam in faciem injicere injuriam maximam eſſe, quia ſputum ab omnibus in locum viliorem emittitur; Quamobrem *Ariſtippus* referente *Laertio*, ingreſſus cubiculum ſolemni pompa exornatum expuit in Heri faciem, dicens *opportuniorem locum non habui.* Hinc ſpuere non licebat in dolio in Vico Romæ, quod ibi defoſſa ſacra invadentibus Gallis Senatoribus Urbem, ut meminit *Laurentius*

In

in Polymat. lib. 5. Spuere procul in conviviis, aut aliis congreſſionibus ſignum eminentiæ fuiſſe teſtatur *Clem. Alexandrinus*, imò eminentis vanitatis indicium potiùs *Philip. Pareus in elect.*; itemque procùl ſpuere, & multum tuſſire, arogantiam ſignare docuit *cit. Laurentius*; hinc e contrà in ſinum proprium ſpuere poſuit *in Emblem.* 111. *Alciatus*, & hoc pro ſigno humilitatis ait *Claud. Minous in ejus Commentario*; cùm ex *Caſaubono in Theophraſt.* notaverit, procûl ſpuere eminentiæ eſſe ſignum, ut etiam ego ſuprà ex *Clement. Alexandrino* collegi; undè etiam apud *Plautum in Perſa* ad exprimendum geſtum glorioſum quidam ait *Magnificè conſcreabor*: Aſt redeamus in viam, & inſputationis contumeliam ſequamur, cujus ſpeciem notavit impurus ille, licet puræ latinitatis Autor *Petronius in Satyric. cap.* 92., imò in faciem conſpui fuiſſe ſignum repudii apud ſacras paginas notavit *Origenes in cap.* 12. *Numer. Homil.* 7. ac deſpui illos, qui à nobis dimoventur, ait eruditus noſter *Franc. Bernius Ferrarien. Comes in Moralit. Arcan.*, undè Conſtans Imperator ſuam relinquens Metropolim eam conſpuit; hinc legitur apud *Leviticum cap* 15. *Si Salivam homo jecerit ſuper. eum qui mundus eſt lavabit veſtimenta ſua, & lotus aqua immundus erit uſque ad veſperam.*

Immundiſſimo conſpuere baſio dicuntur illæ vetulæ edentulæ, quibus involuntariò emanat ab ore Saliva; ſic *Catullus* cecinit

Suavia comminxit ſpurca ſaliva tua

& alibi

Tanquam comminctæ ſpurca ſaliva lupæ.

quæ Catulli carmina egregiè caſtigata explicavit *Joſeph Scaliger in ſuis notis ſuper Catullum* &c., & eruditè more ſolito expoſuit *Clariſſ. Alexander Guarinus Ferrarienſis noſter in ſuo opere ſuper citatum Poetam*; Talia oſcula fugienda, & expuenda ſunt, quemadmodum fecit apud ſuaviſſimum noſtrum Fabularum paſto-

ralium

ralium Principem *Baptiſtam Guarinum*, Amarillis pudica, dum ait

Bocca baciata à forza,
Se il bacio ſputa ogni vergogna amorza.

quæ elegans ſententia deſumpta fuit à *Theocrito* Poeta vetuſtiſſimo, qui Nympham pariter vi oſculatam canentem introduxit, cujus verba è græco in italicum carmen translata ſic ſonant

Jo mi lavo la bocca, e ſputo il bacio.

Cautè igitur iſtæ virgines oſculum expuerunt, nè ſcilicet fortaſſis ab orium connexione, coinquinata ſaliva deglutiretur, & intrò luxuriei venenum penetraret, quod idem ipſe advertit *Guarinus citatus*, canendo

Ne laſciai, che correſſe
L' amoroſo veneno al Cor pudico.

hinc ſuaviſſimus, omniumque Poetarum cultiſſimus *Albius Tibullus Eques Romanus lib.* 1. *eleg.* 9. cecinit

. . . . *humida linguis*
Oſcula . . . .

Et hac de cauſa hortatur *Kempius* Gallos ut in actu oſculandi ratione conſuetudinis urbanæ, non apponant os ori, ne halitus, & ſaliva commiſceantur, ſed potiùs ore genas contingant, hoc enim modo conſuetudini ſatisfacient, & infectionis periculum evitabunt; ſimiliter *Lucretius lib.* 4 ſcripſit

. . . . *Junguntque Salivas*
Oris, & inſpirant, preſſantes dentibus oræ.

Ad quæ *Lucretii* verba notat *Joh. Bapt. Pius*, Salivam Puellæ amatæ venenum eſſe transfunditur enim, ait ipſe, in corpus Aman-

Amantis, ità ut recrudeſcat luxuries; hinc *Tertullianus de Virg. veland.*, inter oſcula concalleſcere ſcripſit, & *Clem. Alexandrin.* de his oſculis loquendo *in Pedagog.* ait, *oſcula ſæpè immittunt virus impudicitiæ;* de talibus oſculis plura dabit Kempius de oſc. diſſert. 19.

De ſputando non tantum oſculo, ſed morbo pariter, nonnulli verba faciunt, ut *Plautus* in *Captiv.*, canendo

Et cum morbum mihi eſſe, ut qui me opus ſit inſputarier.

ſuper quem locum *Lambinus* ait, Morbum illum, qui ſputatur interdum venire pro morbo Comitiali; qui oris ſaliva, & ſputo aliquando levatur, imò potiùs cujus contagium ſputando prohibetur; *Plinius* lib. 10. *ſimulque comitialem propter morbum deſpui ſuetum.* & in lib. 28. *deſpuimus comitiales morbos, hoc eſt contagia regerimus;* quoad me pluries obſervaſſe fateor præſertim mulieres, quæ vel aſpectu epileptici alicujus, vel etiam ſola talis morbi deſcriptione, aut nomine tantum audito, ſtatim bis, terque exſpuunt; quarè autem hoc faciant? ſi interrogentur, neſciunt.

Faſcinationes jejuna ſaliva repelli docuit olim *Alexand. ab Alexand. gen. dier. lib. 5. cap. 27.* Ad veneficia expellenda valere ipſam tradidit *Mart. de Roa Soc. Jeſu Sacerd. ſingul. lib. 6. cap. 8.* undè pro faſciniis infringendis ter in ſinu expuere, optimum fuiſſe, antiqui nimis creduli, ac ſuperſtitioſi putabant narrante *Jacobo Wolfio in ſcrutin. amulet. med. ſect. 1. cap. 2.* Sic ſputum, ait *Erardus ſuper Petronium*, fronti illinebatur luſtrale infami digito, & expuebatur ad faſcinum avertendum; item ſequitur ipſe, ter ſpuebant in ſinum, aut ſuperior palpebra tangebatur, quod idem mutatis verbis ſcribunt *Clariſſ. Pignorius com. in Alciat. emblem.*, *Plinius lib 28.* & *Scaliger ad Petron.*, hinc Bucolicorum Princeps *Theocritus Idil. 6.* canit

Ter ſecreta ſinus tetigi ſputamine noſtri,
Sicut anus docuit. . . . .

& graviſſimus morum cenſor *Perſius in ſatyr. 2.* ſcripſit.

Ecce Avia, aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat urentes oculos inhibere perita.

Super quæ carmina ſcribunt *Anton. Foquelinus*, *Martin Kempius*, & *Thom. Farnabius*, ſalivam purgatoriam vim habere creditum fuiſſe ab antiquis, & ad faſcina inhibenda valere; exprimere enim tales *Perſii* verſus ſuperſtitioſos illos ritus ait *Eilard. Lubinus in cit. loc. commentario*, quibus vetulæ in precibus, & luſtrationibus ſuis ſuper nepotes, & natos, utebantur, nempè licio varii coloris, cervicem illorum ungebant; poſteà turbatum ſputo pulverem medio tollebant digito, & eorum frontem, ac labella ſignabant, ex quo notandum cum *Caſaubono ſup. citat. Perſium*, non meram Salivam veteres ad expiationes adhibuiſſe, ſed lutum ex ſaliva, & pulvere, undè *Petronius Arbiter*; *mox turbatum ſputo pulverem medio ſuſtulit digito, frontemque ſignavit*; nec hic aliter poteſt interpretari ſaliva luſtralis, nam ſinè luto expiationes non peragebantur, ideòque lutum inter genera catharmorum, quos ſuperſtitioſi homines ſtultè excogitaverant, ponit *Plutarcus*, cum *Kempio*; lutum autem, quo vanæ illæ aniculæ, ac nimis credulæ piatrices utebantur, vel proprio conficiebant ſputo, ut ſuprà dixi, vel è balneorum cellis petebant, autore *D. Chryſoſtomo*, qui *in prim. ad Corinthios*, ejus meminit vanitatis; *ſolent enim*, ait ipſe, *Nutriculæ, aut ancillulæ, vel aliæ Mulieres luto è balneis ſumpto, digito infantem linere, & illius frontem ſignare*; hæc autem omnia ſunt Antiquorum ſuperſtitionis vana deliramenta; verùm tamen eſt in Baptiſmatis Sacramento apud nos Catholicos, ſaliva liniri pueros ad aures, & ad nares, & hoc fieri propter Fidei receptionem, quantum ad aures; & propter aptitudinem ejus contrà dæmoniacas pugnas, quantum ad nares, legitur in Sacerdotali Romano. Non tantum autem ſaliva utebantur Antiqui; ſed ejus quoque nomen ad ſignificationem aliarum rerum adhibebant; undè hoc nomen ſalivæ frequenter uſurpari à *D. Hieronymo* pro dicendi genere, ac ſtylo-

&,

& prò orationis guſtu aſſerit *Marianus Schol. ad epiſtol.* 61. ejuſdem Doctoris Maximi, & prò guſtu pariter intellexit ſalivam *Perſius*, cujus Poetæ carminibus vir ille ſanctus plurimùm delectabatur, ut ait *citat. Marianus*, & ratio eſſe poteſt fortaſſis, quòd ſaliva, vel ſputum, ea quæ à capite deſcendat, ſapiat, & qualia illa ſint, ex guſtu ſuo nobis referat; ſupponebat enim magnus ille doctor, ſalivam à cerebro provenire, quemadmodum docebant multi Antiquiores Medici; Eleganter igitur, & proverbiali figura dixit, *& à ſaliva, quam ſemel imbibit*, id eſt ab illo guſtu, quo puer imbutus eſt, ut optimè advertit *Paul. Manutius in Adag.*, ſumpta metaphora ab infantibus quibus præmanſum cibum nutrices in os inſerunt, non ſinè ſaliva, cui, cum aſſueverint, nihil jam illis ſapit, quod ab illius primæ ſalivæ guſtu diverſum ſit; proindè modis omnibus curandum, ut optimis aſſueſcamus; idem ſolet accidere pleriſque noſtrûm, ut quidquid diſſideat ab iis, quæ primis illis annis imbibimus, protinùs diſpliceat; Multi aiunt, & canes eos amare, quorum guſtarunt ſalivam. Hinc tantæ, ac talis deniquè dignitatis ſaliva ſemper extitit apud bonarum litterarum Cultores, ut non tantum ejus nomen ad alia ſignificanda in homine uſurpaverint, quin etiam ipſam ſalivæ nomenclaturam ad mixta inanimata tranſtulerint, ſic ad Vinum transfert ſalivam *Suaviſſimus Propertius*, dum canit *lib.* 4. *eleg.* 8.

Lygdamus ad cyathos, utrique æſtiva ſupellex
Et Methymnæi græca ſaliva meri.

hanc autem vini ſalivam, eſſe ipſius vini ſaporem, inquit Rex Criticorum *Turnebus in lib.* 30. *Adverſar. cap.* 7. una cum *Rever. P. Martino de' Roa in lib.* 6. *ſingular. cap.* 8.

Sycerum ſalivam ad mel ſignificandum dixit *Plinius lib.* 11. *cap.* 12., & cum eo *Aldrovand. de inſect. lib.* 1. *cap.* 2. Tandemque de ſputo Cuculino ſalivæ ſpecie in nonnullis herbis collecto meminit *Franc. Baco de Verulam. in Sylv. Sylvat. centur.* 5. ex quo ſputo naſci cicadas credidit *Iſidorus orig. lib.* 12. quod

Cccc 2 tamen

tamen apertè negat *Aldrovandus de inſect. lib. 2.* in hoc autem cuculino, ſeù herbarum ſputo vermes ſe obſervaſſe ſcribit in ſuo eruditiſſ. Dialogo primo de inſectis diligentiſſimus Philoſophus, & Medicus inſignis *D. Anton. Valiſnerius* Amicus meus ſingularis, Archi Lycæi Patavini Lector digniſſimus, & inſectorum generationis exactiſſimus Scriptor.

Hæc autem de ſalivæ natura, cauſis, virtutibus, morbis, ac ſignificationibus laconicè à meo rudi calamò exarata, grato animo ut accipias, Lector Amice, rogo, ampliora ſuis loco, & tempore expectaturus; in his conſcribendis, ſi quid interſperſum notaveris, quod ſapiat Gentilium mores, hoc eruditionis gratia tantummodò dictum ſcias velim; pro ſacroſancta enim Fide noſtra, non tantum qualeſcunque labores meos libenter tribuerem, ſed puriorem cordis mei ſanguinem alacri animo, ac læto ſpiritu effunderem; Sin verò, quid probis, doctiſque Viris, ac veritati conſentaneum protuli, hoc primo à bonorum omnium Largitore D. O. M., ſecundò à doctorum virorum monumentis, acceptum referatur; Interim ſi in aliquo erravi, humanum ſcias eſſe labi; Scripſi hæc non, ut contentiones ſererem, aut hoſtes in me concitarem, ſed, ut nudam veritatem indagarem, ac tibi, Lector Amice, placerem; Si finem hunc obtinuerim, benè jacta eſt alea, *& firma ſtat anchora puppis.* Suficiens laborum meorum merces erit, ſi conatus mei tuæ curioſitati ſatisfecerint. Plura iſtis, & meliora fortè addet alius; Scriptionis hujus metam attigiſſe mihi videbitur, ſi alios excitaverim ad ea circa ſalivam humanam inveſtiganda, quæ diligentiam meam fugerunt, Si alicui vero tantillum utilitatis attulerim, tunc gaudebo, & cum Eruditiſſimo viro Ferrariæ noſtræ ornamento maximo, *Lilio Gregorio Gyraldo* canam.

non fuerit noſter labor irritus omnis
Quod ſic accendet noſtra lucerna ſuam;
Sin ſecus acciderit, fructus, nec carpſerit ullos
Gaudeo ſic etiam, nam voluiſſe ſat eſt.

hinc

hinc ſoli Deo, unico, & trino Honor, & Gloria.

Scribebam in meo Muſæo Ferrariæ die 20. Decembris Anni 1701.

F I N I S.

Jamque opus exegi, proræ nunc carbaſa noſtræ
Tollere, nunc placido fas eſt requieſcere portu
Sed Tu, magne Pater, nutu qui regna gubernas
Cuncta tuo, magniſque vales dare jura Monarchis
Aſpice, quam moveat diros Europa tumultus.
Vulnera quæ patitur lugens nunc Itala tellus:
Fac peto diſcordes coeant, dextramque, fidemque
Chriſticolæ jungant omneſque in barbara ferrum
Corpora tranſadigant, infidaque pectora frangant.

CATA-

CATALOGUS

Illorum Doctorum Virorum, quorum in hac Exercitatione de

SALIVA HUMANA

fit mentio.

AB *Alexandro* Alexander.
Ælianus.
Alciatus *Andreas*.
Aldrovandus Uliſſes.
Alberghettus Antonius.
Alexandrinus Clemens.
Ammannus Paulus.
Andriolus Michael Angelus.
Arbiter Titus Petronius.
Archigenes.
Ariſtippus.
Ariſtoteles.
Aſclepiades.
Avicenna.
Baco Franciſcus.
Baglivus Georgius.
Barbetta Paulus.
Bartholinus Caſpar.
- - - - - - - *Thomas*.
Baruffaldus Hieronymus.
Bayrus Petrus.
Becherus Daniel.
Bellini Laurentius.
Berengarius Jacobus.
Bertini Antonius Franciſcus.
Biblia Sacra.
Bibliotheca Anatomica.
- - - - - - *Medica*.
Bilſius Ludovicus.
Birelus Jo, Baptiſta.
Blancardus Stephanus.
Blaſius Gerardus.
Blegny Nicolaus.
Bohn Joannes.
Bonannus Philippus.
Bonetus Theophilus.
Borrichius Olaus.
Boyleus Robertus.
Burgius Joannes.
Burnetus Thomas.
Calcagninus Cælius.
Calphurnius.
Calmetheus Antonius.
Capellus Octavius.
Cardanus Hieronymus.
Carteſius Renatus.
Caſaubonus Iſaach.
Catullus C. Valerius.
Cicero Marc. Tullius.
Clericus Daniel.
Craanen Theodorus.
Crathetes.

Crato

Crato Joannes.
Crugerus Daniel.
Cryſoſthomus Joannes.
Democritus.
Deuſingius Antonius.
Diemerbroeck Isbrandus.
Dionis Petrus.
Dioſcorides Pedacius.
Dobrzensky Jo. Jacobus Wenceslaus.
Dolæus Joannes.
Doringius Michael.
Ernius Andreas.
Ettmullerus Michael.
à Fabra Aloyſius.
Fabri Jo. Matheus.
Falopius Gabriel.
Farnabius Thomas.
Fernelius Joannes.
Firmianus Cœlius Lactantius.
Flaccus Horatius.
Fonſeca Rodericus.
Foquelinus Antonius.
Foreſtus Petrus.
Fracaſſatius Carolus.
Gallenus Claudius.
Gallus Cornelius.
Ghelſucius Capoleo.
Gladback Jo. Bernardus.
Gliſſonius Franciſcus.
Graaf Regnerus.
Grazzinus Julius Cæſar.
Grebnerus David.
Guarinus Alexander.
- - - - - Baptiſta.
Gulielminus Dominicus.
Gyraldus Lilius Gregorius.
Hannemannus Jo. Ludovicus.
Helmontius Jo. Baptiſta.
Herodotus.
D. Hieronymus.
Hildanus Gul. Fabricius.
Hippocrates.
Hoecſtetherus Philippus.
Hogelande Cornelius.
Hoffmannus Fridericus.
Horſtius Gregorius.
Huneruvolfius Jacob. Auguſt.
Janſſonius Theodorus
D. Joannes Evangeliſta.
Job.
Joel Franciſcus.
Jovius Paulus.
Iſidorus.
Juſtinus Franciſcus.
Jungken Jo. Helfricus.
Juvenalis D. Junius.
Kempius Martinus.
Kergerus Martinus.
Könligh Sigiſmundus.
Laertius Diogenes.
Laibius Jo. Georgius.
Lambinus Dionyſius.
à Lapide Cornelius.
Laurentius Joſephus.
Lebenwaldt Adam.
Ledelius Samuel.
Lemery Nicolaus.
Lemnius Levinus.
Lemort Jacobus.
Lentilius Roſinus.
Löwvenock Antonius.

Lotichius Jo. Petrus.
Lubinus Eilardus
Lucanus M. Anæus.
Lucianus.
Lucretius Titus.
Lyſter Martinus.
Maidalchinus.
Maiolus Simon.
Malpighius Marcellus.
Mangetus Jo. Jacobus.
Manutius Paulus.
D. Marcus Evangeliſta.
Martialis M. Valerius.
Martinius Martinus.
Maſſa Nicolaus.
Maſſeneau Joannes.
Mathiolus Petrus Andreas.
Menander.
Mercklinus Georg. Abraham.
Meſues Joannes.
Mindererus Raymundus.
Minoes Claudius.
Miſcellanea A. N. C.
Mizaldus Antonius.
Mortonus Riccardus.
Mullerus Philippus.
Muralto Joannes.
Nichander.
Nigriſolius Franciſcus Maria.
Nuck Antonius.
Ophilius.
Oribaſius.
Origenes Adamantius.
Pancirolus Guidus.
Pareus Ambroſius.
. . . . . . Philippus.
Paſcoli Alexander.
Pauli Simon.
Peyerus Jo. Conradus.
Perſius Aulus.
Perotus Nicolaus.
Petreus Henricus.
Picinellus Philippus.
Pignorius Laurentius.
Pitheus Franciſcus
Pius Jo. Baptiſta.
Platerus Fœlix.
Plautus M. Accius.
Plinius Caius.
Ponzetus Ferrandus.
Poppius Hamerus.
Poſſidonius.
Propertius Sextus Aurelius.
Puchaimerus Philippus
Ramazzinus Bernardinus.
Raygerus Carolus.
Reies Caſpar.
Reiſelius Salomon.
Rhenanus Beatus.
Rhodius Joannes.
Riverius Lazarus.
Rivinus Aug. Quirinus.
Roa Martinus.
Rochi Joſephus.
Rodiginus Cælius.
Rolfincius Guernerus.
Romellius Petrus.
Rulandus Martinus.
Sacerdotale Romanum.
Sachius Pompeius.
Sachs Philip. Jacobus.
Salmuth. Henricus.

Salvin-

Salvini Antonius Maria.
Sangallus Petrus Paulus.
Sbaragli *Jo.* Hieronymus.
Scaliger Joſephus.
- - - - - Julius Cæſar.
Scaramuccius Jo. Baptiſta.
Scharſius Benjaminus.
Schenchius Joannes.
Schneiderus Conradus Victor.
Schoochius Martinus.
Schröderus Joannes.
Schrookius Lucas.
Seneca Philoſophus.
- - - - - Tragicus.
Sennertus Daniel.
Severinus Marc. Aurelius.
Silvius Franciſcus de Leboe.
Sitonus Joannes Baptiſta.
Solinus Julius.
Stephanus Robertus.
Stenonius Nicolaus.
Stobeus Joannes.
Tachius Joannes.
Tachenius Otto.
Taury Daniel.
Terentius Publius.
Tertullianus Quint. Septimius.
Teſti Ludovicus.
Theocritus.
Theophraſtus.
Tibullus Albius.
Tillingius Matthias.
Tozzi Lucas.
Tranquillus Suetonius
Turnebus Adrianus.
Valerius Maximus.
Valerianus Pierius.
Valeſius Franciſcus,
Valiſnerius Antonius.
Van' Horne Joannes.
Varo.
Victorius Marianus.
Vigo Joannes.
Waldſchmidius Jacobus.
Wartonus Thomas.
Wedelius Georgius Wolfangus.
Weslingius Joannes.
Wieuſſens Raymundus.
Wolffius Jacobus
Woſſius Gerardus Joannes.
Zacchias Paulus.
Zacutus Luſitanus.
Zypeus Franciſcus.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De Salivæ Natura, & cauſis. pag. 491

CAPUT II.

De ductibus ſalivalibus, & de ſecretione ſalivæ. 500

CAPUT III.

De uſibus ſalivæ humanæ. 512

CAPUT IV.

De ſalivæ proprietatibus, ac virtutibus. 518

CAPUT V.

De morbis ſalivæ, ac de mercuriali ſalivatione. 525

CAPUT VI.

Varia circà ſputum, & ſalivam exponens. 551

JOSE-

JOSEPHI LANZONI,

DE

MEDICI OFFICIO AC MUNERE EPISTOLA

Ad Excellentiſſimum Dominum

D. NICOLAUM FACCINUM

PHIL. & MED. DOCT. FERRARIENSEM.

Medici nomine multi, re autem, & opere valdè pauci.

Hippocrat. in Lege.

FLAGITASTI a me, Excellentiſſime Domine, ut tibi conſcriberem aliquid de Medici officio, ac munere. Expleo nunc quod petiiſti, ut poſſum; non fortè ut cuperes; attamen me excuſatum habeas, nam Praxis medica, & Lectiones quotidianæ, ut tu bene noſcis, meis Diſcipulis faciendæ, parùm otii mihi relinquunt, & præſertim quia in craſtinum Lauream Doctoralem Domino *Benedicto Lollio* publicè in noſtro Collegio conferre debeo. Utcumque tamen, ad rem venio.

Magnus Medicorum Princeps *Hippocrates* in *Epiſt.* ait: *Porrexit mihi manum Deus, quam ubi libentiſſime apprehendiſſem, rogabam, ut ſimul mecum pergeret, & ne me in medendo deſtitueret*: ex quo liquet, qualis debeat eſſe Medici religio, ac pietas; videlicet, ut ſit pius erga Deum, honeſtus erga Proximum, & religionis exercitia frequentet. Debet eſſe temperans præcipuè in gynecæis, unde apud Lacedæmones Æſculapii ſimulacrum ex agno-caſto conſtruebatur. Sit Sobrius, ſit taciturnus, & occulta artis noſtræ myſteria, nec non ſecretiores ægrotantium morbos evulgare ſcelus putet, quandoquidem Ægytii in Medicinæ templis Harpocratem ſilentii Deum labia digito comprimentem adorabant. Erga omnes ſit comis, cunctis officioſus, Sociis amabilis, reliquis urbanus, nemini oneroſus, ægrotantibus placidus, facilis, blandus, ſuavis, ſiquidem *Hippocrates lib.* 7. *Epidem.* ægris gratificandum eſſe nos monet;

neque ferat torvi faciem tyranni, non enim illi data eſt poteſtas excruciandi ægros, hominesſque impunè necandi. In omnibus porrò ſit ſemper prudens; nullum enim, ait *Juvenalis*, Numen abeſt, ſi ſit prudentia; quæ juxtà *Marſilium Ficinum* eſt omnium virtutum regula. Non ſit in praxi præcipitanter timidus, nec temerè ſecurus; non ſit oſtentator, ut evitet ſuſpicionem inanis gloriolæ, vel ignorantiæ, aut avaritiæ; cum ratione ſit audax, quia, referente *Schmitzio*, ſedes, & idea morborum ſenſum fugit, undè verificatur illud *Hippocratis*, quod timiditas in medendo impotentiam, audacia verò ignorantiam Artis indicat. Ad Experientiam ſæpè confugiat etiam repugnante ratione, cum hæc ſit rerum magiſtra. In morbis incognitis, ac non ritè perſpectis ægros non deſerat, nec à medicaminum præſcriptione abſtineat, ſed ea communia ſint, donec res patuerit, & negotium committatur naturæ, quæ ſola eſt morborum medicatrix. Ægrotis nè facilè credat, ſed morbi ideam propriis notis, ac ſignis inveſtigare tenetur, ac ſedulò inquirere, nec non morborum cauſas accuratè rimari. Prudens, & cautus videat, & provideat, ne quid inſidiarum ſtruat morbus latens; In quibuſdam morbis periculoſis potiùs ſpectator, quàm actor ſit: In prognoſi inſtituenda ne ſit nimis præceps, nec in eadem nimis ſecurus, aut tardus; nec debet ſemper metu ægrotos terrere, & omnia periculi plena aſſeverare; uno verbo in prognoſi ſuſpendat judicium, niſi certò conſtet; poteſt enim decipi, cum nominis ſui jactura. Pulſum diligenter examinet, ne fallatur, & qualis in ſanitate pulſus ſit, ſcire inprimis oportet; & utriuſque manus pulſum tangat. Sollicitus ſit, non tam ut proſit, quàm ut non obſit, cùm turpius ſit videri nocuiſſe, quam non profuiſſe. Empyricos quandoque imitetur, ut morbos expellat, qui ordinariis remediis vinci non poſſunt. Conſultationes ne fugiat; conſultandi enim munere, nullum inter Medicorum officia eſt illuſtrius, utpotè quo ſolo a doctis Medicis indocti diſcernuntur, qui non ſecus ac docti medicinam faciunt, rudique vulgo imponunt; Medicorum enim conſultatio magni ſemper fuit ad artem noſ-

tram

tram momenti : Conſultationes autem juſſu *Hippocratis*, abſque contentione, & altercatione fiant, ne deriſui ſe exponat Medicus; diſcordia igitur inter Conſultantes ſemper eſt damnanda, quia privati odii pertinacia ſtimulat in publicum exitium, ac plerumque laborantium ſalutem præcipitat: Seorſim autem ab ægris conſilia medica facienda ſunt, ut liberius quid ſperandum, vel metuendum proponatur. Non improbos medicos imitetur, qui famam, quam virtute nequeunt, fraude, doloque comparare nituntur. Ne ſe collaudet, aut morbum parvum magnifaciat. Non accedat ad ægrotos, niſi rogatus, quod præceptum maximè obſervandum ait *à Caſtro*: & hîc riſum retinere nequeo, dum Medicum Senem ſed ſordidè avarum novi, qui ſæpe Monaſteria petit non vocatus, & poſcit, an aliquis de Familia ſuæ operationis indigeat; quod certè ineptum, ac ridiculum eſt: In odoribus minimè ſit affectatus, præſertim cùm Virgines non omnes bene ferant odores: ungues abſcindat, manus nitidas ferat, munditiei ſtudeat, luxum tamen vitet: Vocatus veniat tempeſtivè, ſalutet ægrum, & condolentiam teſtetur, quærat an longo tempore decumbat, obſervet ætatem, blandè prius colloquatur, indè pulſum tangat bis modeſtè; examinet hypochondria, tangat partem affectam, ægrotantis linguam exploret, & nihil omninò omittat eorum, quæ ad exactam morbi cognitionem facere poſſunt; nec cum ægris bibat, ac comedat, nam nimia familiaritas parit contemptum, ut ait *Riolanus*. Simplicibus cùm poſſit mederi, à compoſitis ſe abſtineat; in compoſitione enim medicamentorum fugienda eſt illa theriacalis, & nauſeabunda variorum ſimplicium commiſtio, quæ non eſt neceſſaria, ſed inutilis, incerta, & ſumptuoſa, natura quippè paucis contenta ſimplicibus gaudet, & ſæpè unica herbula appropriata morbus citiùs, ac feliciùs profligabitur, quam prodigioſis illis compoſitionibus: Audiat quæſo, *Dom. veſtra Excellentiſſ.*, id, quod de hac re ſcribit *Clariſſ. Georg. Baglivus de morb. ſucceſſ.* „eruendo morem, & „ conſuetudinem vulgarium medicorum, qui alia ratione cu- „ rare morbos neſciunt, quam ſatiando ſtomachum ſyrupis,

con-

„ conſervis, & mille nugivendulis pulveribus, *Tyrones mei*,
„ *quam paucis remediis curantur morbi*; *quamplures vita tollit reme-*
„ *diorum farrago*, &c. idemque mutatis verbis innuere videtur in ſuis Epiſtolis Sapientiſſimus *Redi*. In morbis autem curandis, & in ſanitate cuſtodienda, non ſemper auxiliis utendum, ſed oportet interdum quieſcere, hoc eſt nihil prorsùs, præter commodam victus rationem, inſtituere; ſic fieri oportet in iis, qui perfectè judicantur, vel judicati ſunt, ut in morborum ſtatu; ſic jubente *Hippocrate in aphoriſm.* Medici enim, ait *Livius*, plus interdum quiete, quam movendo, & agendo perficiunt; ità Naturæ ſæpè multorum affectuum curatio eſt committenda, ut docuit *Sydenhamius*. Die decretorio, ac critico nunquam evacuatio inſtituatur, quando neceſſitas non urgeat, ac cogat. Eſto in arte noſtra generalis regula, ſemper blandè, ac lentè procedendum in omni cura ægrorum, uti etiam docuit *Franc. Sylvius de le Boe*. De mercede non paciſcatur, hoc enim proprium eſt Agyrtarum, non ſapientum virorum. Nec ſemper ægris ſeverè deneganda, quæ natura ſummè appetit; vidi enim Mulierem à pertinaci vomitu liberatam nucibus edendis conceſſis, quas enixè poſtulaverat. Morborum incurabilium curam non ſuſcipiat Medicus, ut præcepit *Hippocrates lib. de Arte*: morbi enim in triplici ſunt claſſe; Leves, quos natura ſanat; Mediocres, qui à Medicis tractantur; & Incurabiles, qui linquendi, ne cum promiſerimus ſanare, ignominiam, pro Gloria, referamus. Amuleta ne ſpernat, & medicamentis occultarum qualitatum, ut dicunt, multam non adhibeat fiduciam, inquit enim *Galenus* „ qui volet eſſe præclarus Medicus, iis medica-
„ mentis, quæ ægros juvant a qualitate occulta, rarò uti debet. Quidam Medici remedia omnia chymica negligunt, & formidant, alii e contrà illa ſuprà modum extollunt; ſed medium tenuere beati: Mercurius porrò in uſum non eſt ducendus, & non loquor de præparato, ſed de crudo, qui anxietatem inducit, monet enim *Walæus in Meth. med.* ſe noviſſe melancholicos, qui ſe lue venerea laborare putarent, Medicumque tandem eo perſuaderent, ut ad Mercurii uſum deveniret, unde ſequenti

quenti die moriebantur. Neque laudare poſſum nonnullos noſtros Medicos, qui pilulis mercurialibus utuntur, cum ſanè tutioribus, mitioribus, ac ſalubrioribus remediis uti poſſent, ut Salſaparilla optima: Poſt uſum Mercurii (ſunt verba ejuſdem *Walæi*) facilè ſequitur dyſenteria, obſtructio, & nervorum debilitas; hinc Mercurio inuncti incidunt in paralyſim; & vidi tumores, cœcitatem, & ſurditatem à Mercurio ſumpto inductam; quo circa legi meretur erudita Epiſtola lib. 14. Clariſſ. noſtri *Jo. Manardi*, in qua multa contra Mercurii uſum in re medica inveniuntur egregiè a tanto Viro exarata, prodit enim malignitatem hydrargiri, & inſcitiam illorum accuſat, qui tali utuntur remedio. Caveat inſuper Medicinæ Profeſſor, ne artem noſtram turpiter ſervilem faciat, quemadmodum quidam medici, qui ter, quaterque in die ægros inviſendo, propriam inſcitiam ſedula officioſitate compenſant, & niſi doctrina illuſtres, ſaltem ſunt blanditiis inſignes, à *Galeno* ipſo deriſi, dum quidquid eis adulantibus jubetur (ait ille) mancipiorum more faciunt, ideoque à cordatis Viris, tanquam turpes Agyrtæ, & pediſſequi rudes irridentur; ex quo artis apollineæ vilipendium oritur, & ars omnium præclariſſima (ſunt verba præciſa Clariſſ. *Lanciſi*) omnium viliſſima exiſtimatur; unde plus præmii datur Coquis ad crapulam, quam donetur Medicis ad ſalutem; quod etiam tempore ſuo innuit *Galenus* ipſe, dum ſcripſit, *Divites Medicis coquos præferre.* Inſuper Medicus ſit imprimis erga Collegas ſociabilis, nec arceat alios à viſitatione Ægrotantium, nec politicè, ac ſtudiosè Medicos ſui æquales, imò doctiores ab infirmis amoveat; privat enim alieno conſilio Ægrotantes, lædit amicos, atque ne prodat ſuam inſcitiam, morbo affectos ſuæ curæ commiſſos prodit, ac fallit. Sit Medicus converſatione affabilis, non garrulus, nec maledicus, quales ſunt Parabolani, & Circulatores; non ſit blaſphemus, neque aleator, nec rixarum, & contentionum cultor, nec jura ſpernens, ac Principis Edicta contemnens, ne incidat in Apparitorum manus, hoc enim ſummi dedecoris eſt, & totam Medicorum familiam infamat. Summopere execratur *Joh. Bohnius* illam

illam nonnullorum Medicorum imprudentiam, aut màvis animi malignitatem, per quam præ alliis emergère, hoſque ſubigere, ſeu ſupplantare moliuntur; philautia nimirum, ambitione, & vana gloria inflati, eos parvi faciunt, irrident, convitiis inceſſunt, cavillant, ab Eruditorum candore abhorrent, ſola ſua ipſis arrident, ac aliena ſemper deſpiciunt, quam quidem amarulentiam, modò coram, & palam, modò clam, & à tergo ſpirant; utrumque variis artificiis, imò aliquandò ſub blanditiarum, & collaudationum ſingulari ſpecie occultant; laudant alterius Medici Eruditionem, & dolent ejuſdem in Praxi infelicitatem, & ut opprimant ejuſdem virtutem, dicunt, multum valere in Poëſi græca, & latina, ac italica, in Sanctorum PP. monumentis, in ſacra, & prophana eruditione, parum verò in praxi mèdica adminiſtranda, quaſi quod diverſa eſſent inſtrumenta Sapientiæ, alia Medicinæ, alia Philologiæ &c.; verùm cùm eadem ſint in homine inſtrumenta ſciendi, ideò ſi bonus erit Philologus, Eruditus, Poëta, erit etiam Medicus illuſtris, Anatomicus inſignis, & Practicus celebris, ſi haſce Artes coluerit, quemadmodùm fuere antiquis temporibus *Galenus*, *Celſus*, *Fernelius*, *Fracaſtorius*, recentibus autem *Malpighius Tozzi*, *à Capua*, *Redius*, *Bellini*, aliique plures, in quibus enumerandis tota non ſufficeret dies: Abſint Medici illi, qui favorem quærunt Muliercularum, Barbitonſorum, Obſtetricum, & per harum commendationes, ac ut ità dicam, patrocinia, praxim quærunt, & ægrorum viſitationes comparant, hoc enim ignorantiæ eſt ſignum, ſiquidem *Plautus in Amphit.* ait *Virtute ambire oportet, non favitoribus*; *Sat habet favitorum ſemper; qui recte facit.*

Nefas ferme eſſet credere, Medicum aliquando colludere cum Pharmacopæis, queſtus reciproci, atque ſordidi cauſa ſancita, ità ut in Ægrotantis damnum, medicinas præter neceſſitatem, & majoris pretii præſcriberet, quod tam iniquum eſt, ut nefas quoque ſit hoc de veris Medicis cogitare. Vitium ſequens nonnullos Medicos vexat, quod ſanè fugiendum, nempè ſi à Medico morbus gravior, & periculoſior fingatur, ac re-

verà

verà ſit, eum in finem; ut ſi æger moriatur, erroris ſuſpicio à ſe declinetur; ſin revaleſcat ſtipendium augeat, & magis ægrotans Medici decantet laudes; hoc enim hiſtrionis eſſe, ait *Celſus*, parvam rem attollere quo plus præſtitiſſe videatur. Medicus in diæta præſcribenda ne ſit rigidior; in medicaminibus non excedat, in remediis adminiſtrandis à virium proportione nunquam recedat. In uno tantum remedio ſpem omnem non collocet, veluti ſi eſſet *Panacea*; nihil intermittat calumniæ metu, nec ſit timidus, nec pertinax, non ſit aſſentator, non jactabundus, non malignus; juxtà conſcientiam deponat, ad medendum vocatus ſit promptus: ægros pietatis admoneat, confeſſionem ſacramentalem inculcet, agat ſecundum rationem, & experientiam, conſuetudini indulgeat, ac ſemper Deum, tanquam Medicinæ Authorem cognoſcat; ait enim *Marſilius Ficinus*, Medicinam ſine cæleſti favore, ſæpiùs eſſe inanem, ſæpè noxiam: Tutò autem curabit Medicus ægrotantes artis noſtræ beneficio, convenienti qualitate, commoda menſura, & tempore opportuno exhibendi remedia. In Morbis verò debilibus medicinæ fortes non ſunt præſcribendæ, in debilibus debiles, valentibus valentia pharmaca conveniunt, & quæ longo tempore ſunt contracta, lentè curare oportet, quæ brevi, breviter. Advertat igitur Medicinæ Profeſſor, ſemper utenda eſſe medicamenta ſuavia, & quoad colorem, odorem, & ſaporem, ut fieri poteſt, grata, & jucunda, quod etiam ſupra innui. In prima Infirmi viſitatione inquirat Medicus, quid doleat, ex qua cauſa, quot diebus, an alvus ſecedat, quo victu utatur; conſideret ætatem, ſexum, temperiem, conſuetudinem, anni tempus, aëris conſtitutionem, loci ac regionis rationem, vires, & an aliquid divini inſit in morbo examinet: In Fœminis ſciſcitetur, an mulier ſit gravida, & quot menſibus utero gerat; an menſes in virginibus, vel non gravidis, vel lochia in puerperis ritè fluant. Quærendum inſuper an, & quibus hactenus uſus fuerit Infirmus remediis, an parentes tali morbo laboraverint, & an ſæpe, vel rarò morbo tentetur. Præter omnia obſervet Medicus Ægri

loquelam, faciem, oculos, linguam, decumbendi modum, inſpiciat urinam, & alias, ſi adſint, excretiones obſervandas. Officium autem Medici eſt, morbos ſanabiles ſanare, & inſanabiles prædicere, ne, ſi fortè Ars a vi morbi victa fuerit, vel ignoraſſe, vel erraſſe videatur. Audiendus eſt *Weinhartus*, qui ægritudine incipiente docuit, medicum debere judicium ſuum ſuſpendere, atque Oraculi more ambiguè de morbi exitu pronunciare; *ſatius enim* (ſunt verba *Galeni*, *de dieb. decret.*) *eſt tacere, quam temerè pronunciando falli.* Poëſis commodè inſervit Medico, quatenus eum divertit, præcipuè horis ſucciſivis, eamque non quidem, ut civem, ſed peregrinam tractare licet, hæc enim erit pulchrum Medici ornamentum; ſicuti eloquentia eruditione munita erit quodammodo neceſſaria, tum in Cathedris ad Artis decorem oſtentandum, cum ad Juvenes erudiendos, Concluſiones publicè defendendas, ac Tyrones Laurea Doctorali donandos, nec non lectiones, tum publicas, tum privatas exornandas. Anatomiæ, Botanicæ, Chymiæ, Phyſicæ, Pharmaciæ, atque Chirurgiæ incumbat, nullus enim bonus eſt Medicus, niſi qui illis artibus imbutus ſit. Vitet Medicinæ Profeſſor avaritiam, ſuperbiam, & arrogantiam, nec alios ſuos collegas, tanquam volitantes umbras ex alto deſpiciat, ac ſe ſolum (*ut verbis utar Weinharti*) cæterorum medicorum exemplum, Artis Hippocraticæ canonem, & archetypum vana oſtentatione arbitretur, ſicque nimium ſibi fidens etiam in gravibus periculis alios ſibi adjungi, non modo non poſtulet, verum etiam oblatos repudiet.

Ingratos etiam, qui jam olim e vitæ diſcrimine erepti, deteſtanda ingratitudine, beneficentiam Medici contempſerunt, nec præmiati ſunt, cùm denuo ad opem ferendam impudenter accerſunt, quamvis medica ope non digni eſſe videantur, attamen omninò hos negligere non oportet, ne avaritiæ ac crudelitatis accuſetur Medicus, cujus ſuprema debet eſſe cura, ut nihil unquam committat, quod, vel chriſtianæ charitatis jura frangere, vel nobilem, & præclaram, ut ait præallegatus Auctor, facultatem noſtram turpi pecuniæ exactione fœdare poſ-

ſit; humanus enim, & miſericors ex propria natura, & Medici munere, Medicus eſſe debet, ut de ipſius parente *Auſonius Gallus* cecinit.

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemptæ,
Officiumque meum cum pietate fuit.

Medicus per Epiſtolas curare poteſt aliquos morbos chronicos, longos, & contumaces, non autem acutos, qui ingentes mutationes brevi tempore ſubeunt, & in eodem ſtatu nunquam permanent, de quibus dicit *Hippocrates*, difficilem eſſe prænunciationem ſalutis, aut mortis: *Galenus* tamen acutos morbos per epiſtolas ſe curaſſe ait, uti fecere *Manardus* noſter, *Langius*, *Mercurialis*, *Joh. Fortis*, *Redius*, *Malpighius*, & alii plures. Monitos volo Medicos in morbis gravibus, ac præſertim in illuſtribus viris, ſemper debere vocare alios Medicos, nec facere, ut quidam Profeſſor octogenarius nimis in ſe, ac ſua ætate confidens, qui ab ægris ſuis arcere ſtudet Medicos Collegas, ne fortaſſis inſcitiam ſuam palam faciat, & nomen boni Practici arte acquiſitum amittat; nam plus vident oculi, quam oculus, & juxta proverbium, *unum nihil, duos vero plurimum poſſe*; hinc *Homeri* illud quadrat.

Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.

quod agnoſcens *Ariſtoteles*, in medicina neceſſarium eſſe plures vocare Medicos, ait, & Alexandrum Magnum in quadam epiſtola ſic alloquitur: *ne uni fidas Medico, poteſt enim tibi detrimentum afferre, quarè ſi quod pharmacum tibi accipere expediat, id facito conſultatione multorum.* Graviter inſuper peccaret Medicus, qui abortiva medicamenta utero gerentibus exhiberet, nam ſæpe non ſolum fœtum perdunt, ſed matrem ipſam in exitii periculum ponunt. Medici prudentis eſt, conſilia ſalutaria ſanis hominibus dare, quibus ſcilicet imminentia mala præveniat, ſicque ab ægritudine præſerventur. Segnities autem in Medi-

co increpatur ab *Eraſto*; occaſio enim cùm ſit præceps, non tardandum, ſed in medendo feſtinandum eſſe commendo, maximè quando urget neceſſitas. Obſervandi ſunt in Medicis, ut ait *Tholoſanus lib.* 17. *de repub. cap.* 7., pudici mores, nam ſi luxuria ſunt putidi, multa poſſunt ad corrumpendam pudicitiam Mulierum, aut ſui, aut alterius gratia meditari, quod quàm malum ſit quiſque ſapiens cognoſcere poteſt, hoc enim a Chriſtianis moribus alienum eſt, & divina Lege damnatum. In plebeis verò curandis interrogare oportet, quam artem exerceant, ex diverſarum enim artium exercitio morbos oriri docuit *Clariſſ. Ramazzinus.*

Advertat inſuper Medicus non frequentibus medicinis uti, ſæpè enim impediunt criticos motus, ut ait *Luc. Tozzi in com. Aph.* 1. unde *Galenus* inquit. „ Quædam peccata a Medicis committuntur, putantibus niſi quis ingreſſus ad Ægros, deinde „ ſuccingens ſe, vel cataplaſma impoſuerit, vel perfuderit, adufſerit, vel Clyſterem indiderit, vel venam inciderit, vel „ cucurbitulas adjunxerit, vel confricuerit, vel nutriverit, „ aut hujuſmodi aliquid factitaverit, nihil ab ipſo geſtum eſſe „ artificioſum; ii enim, quoties ad ægrum accedunt toties peccant: an ii Medici ſint, an Carnifices cæteri judicent.

Peccat etiam Medicus utendo pharmacis antiquioribus, ac ob longum tempus rancidis, ætatis enim injuria amittunt vires ſuas medicamina, ut innuit *Cl. Redi in ſuis Conſult.* Nihil æque, cenſente *Seneca* ‘ *Ep.* 2., impedit Sanitatem, quam remediorum crebra mutatio; adde, & Medicorum; recte enim non minus quàm verè canit *Ovidius.*

Nunquam crede mihi a morbo curabitur æger;
Si multis Medicis creditur una febris.

Eorum enim copiam ſemper fuiſſe damnoſam, ait *Frider. Hoffmannus in not. ad Poterium.*

In reconvaleſcentibus reſpiciat ſemper Medicus, non ad appetitum, ſed ad vires, lentè enim reficere oportet. Medici au-

tem

tem tenentur gratis curare pauperes ægrotantes, ut ait *Tiraquellus de nob. cap. 29.* In nonnullorum porro morborum cura, melius erit a medicaminibus abſtinere, ne exaſperentur, & majores fiant, velut irritati, ut evenit in cancris: ait enim Hippocrates: *cancri curati facilius pereunt, quam non curati*, unde recte *Ovidius.*

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Varietatem vocabulorum ſcire Medicum oportet, veteres enim horum ſunt prodigi, & qui non patitur prodigalitatem iſtorum inepte doctus eſt: ita ſentit *Caſp. Hoffmannus de med. offic. lib. 2. cap. 91.* Sicuti etiam ſcire coſmetica ad illum pertinet, quatenus ea poſſunt humanam lædere naturam. Ego autem commendare non poſſum Medicos illos, qui licet habeant in pharmacopæis tot, ac tanta Medicamenta, attamen a rebus ſordidis remedia volunt deſumere, ut a lotio humano, ſtercoribus caninis, pavonis, & aliis hujuſmodi, quæ nauſeam movent: & propterea deridentur a *Clariſſ.* D. *Luca Schrockio in Miſcell. Curioſ. An.* 1. *dec.* 2. *pag.* 192., ideo Medicus a ſordidis medicinis quantum poteſt abſtineat. In morbis difficilioribus debet Medicus aperire cadavera, ad eruendas morborum ſedes, ac rimandas affectionum difficilium cauſas, & ita dare operam, ut ægrotantibus proſit, ſi queat, ſi verò nequeat, ſaltem ulteriorem prohibeat lapſum; Medicus enim ſolers, ait *Joh. Bapt. Sitonus*, non tam artis medicæ augmento, & medicamentorum inventioni ſtudere debet, quam veritatis ſtudio flagrare, & methodum habere expeditam, qua vera a falſis diſcernat, juxta *Galenum.* Dixi ſupra ægris a Medico gratificandum eſſe; nunc moneo non tantum hoc ratione remediorum, verum quoque ratione ciborum, & potuum, in iis quoque quæ vident, aut tangunt, cæteriſque, modò non multum noceant; nec hoc ad gratiam ſolum, ait *Manardus* noſter, & docet *Galenus*, ſed veluti ejus utilitati conſulendo; quia quæ cum voluptate ſuſcipiuntur,

untur, ventriculus amplexari conſueſcit, & facilius concoquere, atque contrario quæ diſplicent, refugere, ceu nauſeas, inflationes, & fluctuationes inferentia, indeque fieri magna ex parte, ut cibus, qui erat paulo deterior, non talis maneat, ſed interdum melior evadat: ex quo patet, bene agere illos Medicos, qui voluntati ægrorum obſervientes, in iis, quæ nocere non poſſunt, adulatores benevoli apparent: Medicus autem ad Senium deductus, & defectum interiorum ſenſuum jam habens, puta octogenarius, medendi artem non debet exercere, ut ſentit *Paul. Zacchias Quæſt. med. leg.*; ne ſcilicet, in artis noſtræ dedecus in ægrorum viſitationibus obdormiat, obmuteſcat, non memoretur de ſymptomatibus antea paſſis, ac de medicamentis nuper præſcriptis, & ridiculosè loquendo adſtantes moveat ad riſum, & familiares ægrotantium provocet ad cachinnos. Advertat porro Medicus, ne injuriam afferat alicui, quarum maxima creditur, quæ famam deturpat, rapit honorem; multò namque major exiſtimationis, & famæ, quam rei, commodique, viro bono habenda eſt ratio, unde *Flaccus ſat.* 2. cecinit.

Fama malum gravius quam res trahit.

hinc meritò imperialibus ſancitum eſt legibus, eos eligi Medicos, qui præter artem apprime morum polleant probitate. Prætereà, cùm multa, ac difficilia in Medicina inveniantur, prudens, & cordatus Medicus vires ſuas metiatur, ne plus oneris unquam ſuis imponat humeris, præſertim ſi plures eodem tempore ægrotantes inviſere oporteat; ideoque *Clar. Gaſp. a Reies* conſulit, ut Medicus ſolùm octo ægros curandos ſuſcipiat, vel ad ſummum duodecim; aliter autem ſi faciat, dubium non eſt, quod in multis deficiet; & multa illum præteribunt, quæ advertere, & prævidere oportebat; rectè ſiquidem dictum eſt; *in multitudine operum confunditur Artifex*; quia verò ægri non omnes convaleſcunt, non ideò nullam Medicinam eſſe, ait *Cicero* 2. *de Nat. Deor.*

Medici, ac Judices ſimilitudinem habere non tantum profeſſione

feſſione ipſa, ſed etiam munere docuit *Sebaſt. Foxius ſup. Platon. de republ.* Medicus enim morbos corporis, Judex animi vitia curat, ille morborum peritus, & intelligens conſtitutionis cujuſque eſſe debet, hic ingeniorum, & morum civilium doctus; uterque probus, & diligens; uterque ſenex, aut ſaltem experimento peritus: Benè igitur in *Symp.* aiebat *Plato*, Medicinam eſſe ſcientiam amorum corporis ad repletionem, & evacuationem, & qui cognoſcit in his honeſtum, & turpem amorem, hic prò maximo Medico habendus eſt, & qui tranſmutare poteſt, ut pro altero amore alterum adipiſcatur, & ut quibus amor non ineſt, cùm tamen ineſſe oporteat, illic inducatur, & ut quibus ineſt, eximatur, is profectò bonus fuerit opifex; oportet enim, quæ inimiciſſima ſunt in corpore, quantum fieri poteſt, amica facere, & ut ſe mutuò ament efficere; inimiciſſima ſunt quæ ſunt maximè contraria, frigidum calido, amarum dulci, ſiccum humido, &c. unde Medici boni dant operam, ut ægrotantibus proſint, ſi queant, ſi nequeant, ulteriorem prohibere lapſum debent, ut ægrotantibus proſint; Animadvertat inſuper Medicus in curandis morbis debere proximum ſuum tanquam ſe ipſum tractare, ac familiam ſuam; ne fortaſſe quod ipſe non vult, alteri faciat, nec prodigus remediorum in aliis appareat, cùm in ſe ſit avarus, *Owenius* enim de illo cecinit.

Pharmaca dat Medicus, non ſolet accipere:

Medicus tria non ignorare tenetur, præterita, id eſt, unde infirmitas originem traxerit; præſentia, in quo ſcilicet gradu, & ſtatu ægritudo exiſtat, & futura, id eſt utrum curabilis, ac mortalis ſit, quin imo; ait *Brancacinus de Jur. Doctor. lib.* 4. *cap.* 11. peccare Medicum qui ſcienter applicat infirmo dubia medicamenta, cùm melius ſit Ægrotum relinquere in manu ſui Creatoris, & beneficio naturæ, quam periculo exponere, eundem ſupponendo dubitabili medicinæ. Ulterius boni temperamenti, & ſanæ corporis habitudinis eſſe debet Medicus, boni

coloris, elegantis figuræ, nec deformis, ut pueros terreat; turpe enim ſemper judicavi videre Medicinæ Profeſſorem gibbum, claudum, ſurdum, monoculum, ore diſtorto, oculis perverſis, gena turpiter attracta, ſtrabiſmo, vel lue gallica affectum, vel ſcabioſum, ne forte poſſit de illo dici *Medice cura te ipſum*: Nullus ſit ergo Medicus vel colore ruffus, vel fiſtuloſus, ac denſa ignaviæ caligine obductus, nec oris fœtore nauſeoſus, nec tremore correptus, & veluti paralyticus, qui nec arteriæ motum colligere, neque formulam remedii præſcribere nervis impotentibus valeat, nec ſit ventricoſus, ac tumidus, *cui ſatient vaſti ſpatioſa volumina ventris*, nec phyſiognomiam Judaicam præſeferat; iſti enim, ne quidem minima Æſculapii veſtigia incerto pede ſignantes, in ſacram Apollinis ædem, ac Hygiæ Fanum non vocati, ſed fraudolenter intruſi dicuntur: præterquam quod vulgus pluris exiſtimat eos, qui bene diſpoſitum corpus habent, ſicque, ut opinionem captet, Medicus veſtitu decoro utatur. Memor ſemper eſto illius, quod ſcripſit olim *D. Thomas in 2. de anim*; nempè, Medicum nihil aliud facere, quam auxiliari naturæ ad expellendum morbum, quo auxilio non egeret Natura, ſi eſſet fortis; quis ideo, ait *Ang. Politianus lib. 2. Epiſt.* non videt, plus eſſe a Medico, quam a morbo periculi, ſiquidem & morbus alius pro alio curetur, & alia pro aliis remedia afferantur. Et quia in omnibus penè rebus præſens ſæculum abuſum facit, ſic evenit in magno illo medicinæ practicæ auxilio a Venæ ſectione petito, cùm enim Medicinæ Magiſtri phlebotomiam introduxiſſent, veluti remedium extremum in magnis morbis ſolummodò concedendum, paulatim talis acceſſit nonnullorum temeritas, & audacia, ut in qualibet vel minima vertigine, dolore, triſtitia, febre depuratoria, *quæ alternis ſit rediviva diebus*, ſanguinis miſſio celebratur magno cum naturæ detrimento; ſicque, quod olim ſumma præmeditatione faciendum erat a veteribus Medicinæ Magiſtris, nunc inconſultò, & veluti per jocum a noſtris Medicis exercetur, & Sanguis; qui eſt Naturæ theſaurus, velut aqua fluminis diſperditur; de quo ſolemni abuſu fusè ſcripſi *in meis Conſultationibus num.* 124.

Animi,

Animi, & Corporis colligatio, & connexio ſummopere animadvertenda, cùm animi motus, & affectus, quoad fieri poteſt, à medico pernoſcendi erunt, unde legendus liber *Pauli du Bè*, cui titulus *Medicina animi*, *& corporis*. Abſtineat a Veſicatoriis, & ab omnibus ſuperſtitionibus, ac veneficiis in curatione enim morborum a Dæmonum arte longè ſtare oportet; ad corpora quippe curanda, medicamenta, non verba, non ſigilla, non veneficia adhibenda ſunt, & eſſet pluſquam palmare crimen, ait *P. Maraviglia leg. var. doctrin.*, rebus ad curandum ſuperſtitioſis uti, eaque adhibere; quorum uſus ratione naturali minimè probatur, licet, quod rariſſimum eſt, fauſtus ea probaret eventus.

Moderandam cenſeo audaciam nonnullorum noſtrorum Medicorum, qui in tenellæ ætatis, & penè lactantibus puellis a venæ ſectione non abſtinent, quod ſanè ægerrimè admittit earum tenuis natura, leve alimentum, ac virium languor, neque ullis a Sapientibus Scriptoribus) ſunt verba *Riverii*) patrocinio defendi poteſt nova hæc mittendi ſanguinis licentia; Venæ ſectio enim, ut etiam ſupra dixi, eſt extremum, & magnum remedium, &, ſuadente *Celſo*, ſæpe vel occidit, vel liberat. Præceptum eſt *Clar. noſtri Ant. Muſæ Braſavoli*, non poſſe convenienti diæta uti in prægnantibus, nec illis exhibere pharmaca potentia, ac fortia, ne abortus accidat. Advertendum porrò noſtram ætatem bonis non abundare ac ſapientibus Medicis, & rationem dat *Ariſtophanes* canendo

Quis hac in urbe ſit Medicus? ubi Medicis
Neque præmium eſt nullum, neque magni ars ipſa ſit.

unde *Juvenalis in Satyr.*

. . . *Quis enim virtutem amplectitur ipſam*
Præmia ſi tollas

Dolendum enim profectò, in noſtris Urbibus doctos Viros neque laudem, neque lucrum acquirere, cujus rei forſitan in

 cauſa

cauſa eſt ipſorum Medicorum diſſenſio in omnibus Medicinæ operationibus, non tantum in tot morborum diverſitate, ac totius Medicinæ partibus, in quibus ratio, & judicium exercetur, ſed etiam, quod mirum eſt, in ipſis anatomicis, in quibus oculi, & manus operantur. Cum autem Morbi verbera Dæmonum ſint, teſte *Barthio in adverſ. lib.* 42. veniunt enim ob peccata; unde *in Eccleſiaſtico c.* 38. ℣. 15. habemus: *Qui delinquit in conſpectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus Medici:* ſic junguntur in Apoſtolorum poteſtate à Deo traditâ morborum curationes, & fugæ malorum Spirituum; ſicque alibi morbi Satanæ vincula appellantur: idcircò ſemper pius, & in Dei gratiâ debet eſſe Medicus, & nunquam laqueis peccati irretitus, ut permittente Deo valeat feliciter ægros curare. Deum denique timeat Medicinæ Profeſſor, Regalis quippè Propheta nos monuit, initium veræ Sapientiæ timorem Domini exiſtere. Et hæc ſunt *Excellentiſſime Domine*, quæ ruditer, inconditè, & currenti calamo meditari, & ſcribere tempus permiſit. Habes hîc, ſi non quod optabas, ſaltem quod potuit ſexagenarius tuus Præceptor *Lanzonus*, & quod ab homine, qui te valde diligit, ut deſideratur, recipies. Vale.

Ferrariæ Decim. Cal. Maii 1727.

DE

DE ALLIO.

Hæc J. Lanzonus *olim ſcripſit ad Clar.* Mangetum *ut patet ex hujus* Bibliotheca Pharmaceutico Medica *Tom. I. pag.* 41.

ALlium inter Deos jurejurando habuiſſe olim *Ægyptum* refert *Cœl. Rhodiginus Antiq. lect. lib.* 22. *cap.* 2. ex quo multi nonnulla encomia Allio tribuunt: *Galenus* autem Allium ruſticorum Theriacam appellat, & *Plinius* ad multa ruſticorum medicamina aptum eſſe Allium putat, & ego juſte fateri poſſum ſolo allio manducato, Ruſticum ferè mortuum a Fungorum Veneno liberatum fuiſſe, ac omnino ſanatum hoc ſolo medicamine; imò ipſe Ruſticus poſtquam fuit ſanatus mihi retulit ſe olim Patrem ſuum ope Allii ſanatum vidiſſe a morſu viperæ; ex quo deducere fas eſt, Allium inter remedia, Alexipharmaca dicta, locum habere, & forſan hanc ob cauſam inter cibos militares Allium referebant Antiqui, ne ſcilicet veneno milites perirent, unde in obſidionibus urbium olim in magno pretio allium fuiſſe teſtatur *Suidas*, cui alludit illud: *Allium perdo in obſidione*; Sic miles mihi

jam retulit, qui trium annorum ſpatio militavit in caſtris Sereniſſimæ ac ſemper Glorioſæ Venetorum Reipublicæ, ſe à veneno ab alio milite impio, propinato, liberaliſè ope ſucci Allii ad pondus unciarum duarum aſſumpti, ex quo multam nigricantem & fœtidam evomuit materiam, inde ſuperveniente Ictero, & Diarhœa ſanatus eſt; Allium quoque præſtare adverſus lumbricos pluries notavi; Mulierculæ enim noſtræ Ferrarienſes filios ſuos ope aceti, ac ſucci Allii exhibiti a vermibus liberant, & unam præcisè noſco Adoleſcentulam annorum ætatis quindecim valdè vermibus obnoxiam, quæ ex quo ſæpè in cibis utitur allio, ac ex quo ſemper ſecum gerit allium, non amplius a lumbricis tentatur, atque ut ſolebat antea torquetur; hinc Galliarum Populos allium pueris exhibere ad ventris animalia pellenda monet *Clar. Joh. Bruyerinus de re Cibaria lib. 9. cap.* 12. *pag. mihi* 415. Sileat ergo Horatii muſa, quæ allium carmine ſuo mirè deteſtatur, quod hic appoſuiſſe non erit alienum, eruditionis gratia.

Parentis olim, ſi quis impia manu,
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius
O dura meſſorum ilia!

Allium enim multoties humano corpori juvat, ac multis medetur morbis, imo in deliciis apud quoſdam eſſe ſolet, maximè elixatum; elixatur enim, ut acrimoniam deponat, & ſucci ſit melioris, unde Allio magnam in cibis autoritatem apud quoſdam ſemper fuiſſe teſtatur *citatus Bruyerinus loco cit.*, ait enim, hodie Galliarum illam portionem, quæ ad Pyreneum, Hiſpaniaſque ſpectat, allio liberaliſſimè veſci, & inter pulmentaria nautarum, atque navigantium eximiè commendant; hinc ob ſuum ſalem volatilem acrem appetitum conciliat atque cruditates acidas acrimonia ſua alcalina corrigit; egregium eſt diureticum, & in affectibus colicis uſitatum remedium,

medium, quod etiam commendat *ſummus ille Medicorum anteſignanus Galenus.* Umbilico illinitum hyſtericas etiam paſſiones ſedare ſcribit *Clar. Ettmullerus in Schröderum dilucid. part.* 1. Lac in Stomacho coagulatum diſſolvere allium ego notavi in *Miſcellar. Academiæ noſtræ Leopold. Naturæ Curioſorum Decur.* 2. *Ann.* 8. *Obſ.* 202. *pag.* 505. Quæ omnia breviter ad laudem allii dicta ſufficiant ad præſentem exornandam obſervationem: Plura verò de Allio optanti dabunt *Schröderus*, *Hoffmannus*, *Tragus*, *Paulli* & alii plures tam Antiqui quam recentes Botanici.

DE

DE
DENTIBUS
DISSERTATIO ANATOMICA.
AD
D. JOHAN. JACOBUM MANGETUM
Medicum Genevenſem.

DENTES quaſi *edentes* dicuntur, & definiuntur oſſicula ſui generis minuta dura, alba, & polita per γόμφωσιν maxillarum alveolis inarticulata, quæ cibis confringendis & commoliendis primò dicata ſunt, ſecundò verò pronuntiationi vocabulorum ſunt deſtinata; dixi ſui generis oſſa eſſe quia perioſtio carent, hinc quærunt multi an *dentes* ſentiant, quam quæſtionem ad calcem hujus Diſſertationis videbimus.

Durio-

Duriora ſunt quàm alia oſſa, nec facilè ignis vi cremantur, & in ſarcophago ad longum tempus manent immunes a læſione undè *Tertullianus* ait in dentibus latere ſemina reſurrectionis futuræ. Subſtantiam nacti ſunt duriſſimam, & quia quotidie comminuuntur manducationis cauſa ideò quotidiè augeſcunt, & ſi dens aliquis decidit, & non renaſcitur, oppoſitus tantum creſcit, donec ſpatium vacuum prioris dentis deficientis impleat; hinc putat *Fallopius*, ſemper in dentibus reſtare vim formatricem vivificam uſque ad extremum ſenium; Ex ſemine in utero generantur dentes, ut aliæ partes in prima hominis conformatione; unde in alveolorum cavitatibus etiam infantum non adhuc novimeſtrium dentes exiguos ego notavi, meiſque Auditoribus, atque diſcipulis demonſtravi; verum quidem eſt, eos ſuam non habere perfectionem, attamen obſervabiles ſunt.

Erumpunt citius extra gingivas in brutis, quia citius cibum ſolidum capiunt; in homine autem erumpunt ſeptimo, aut octavo menſe poſt nativitatem, quod tempus dentitionis appellatur; primò exeunt acuti inciſores, nam magis acuti ſunt, minores reliquis, & eorum major eſt neceſſitas, ultimo loco molares, & iſti magno cum dolore; Notandum autem, eo tempore quo erumpunt dentes in Pueris, oriri febres & alvi profluvia; & hoc, ait *Bartholinus iu Anatom. lib.* 4. quia dentes gingivas perforantes, plus quam ſtimuli in carne affligunt; Circa ſeptimum verò annum permutatio dentium fieri ſolet, decidunt enim priores, & in eorum locum alii adveniunt; Non ſemper tamen omnes dentes decidunt, & permutantur, ſed ut plurimum inciſores, canini, & ex molaribus illi, qui proximi caninis ſunt; ego autem obſervaſſe recordor juvenculam quandam Annorum 21. quæ nondum dentes permutavit; & de puello, qui in ætate Annorum IX. conſtitutus omnes dentes, tum molares, tum caninos, tum inciſores mutavit. Circa hanc dentium permutationem quæſtionem agitat *Diemerbroekius Anatom. lib.* 9. An ſcilicet primi dentes fuerint veri dentes? de qua quæſtione ad calcem iſtius diſſertationis, unà cum aliis quæſitis aliquid ſcribemus. Siti ſunt dentes in ambitu

utriuſque maxillæ, & circa vigeſimum primum, aut ſextum, aut trigeſimnm ætatis annum, magno cum dolore duo extremi dentes erumpunt; qui communiter appellantur *Dentes ſapientiæ*. In hominibus triplicis ſunt figuræ dentes, inciſores, canini, ac molares; inciſores anteriores ſunt, & ſic dicuntur ab inciſione ciborum quam illi faciunt, Canini ſic vocantur ob acutiem, duritiem, ac uſum, nam ea quæ inciſores ſcindere nequeunt, ipſi confringunt; & à multis dicuntur *oculares*; & ſunt tantum duo in qualibet maxilla; Molares ſunt magni, & obtuſi, molitores appellati, quia cibos conterunt, & ipſi plures ſunt, quam inciſores; Numerus generalis dentium non idem eſt in omnibus, plerumque vero quindecim, aut ſexdecim in ſingulis maxillis reperiuntur; Rariſſimum eſt quod de Pyrrho ait *Plutarchus*, nempe eum pro dentibus unum continuum os habuiſſe lineis ſolummodò diſtinctis; ſimileſque hiſtorias narrant *Plinius*, *Diemerbroeckius*, *Thom. Bartholinus*, & alii recentes Anatomici; Duplicem dentium ordinem notavi ego nuper in Juvene noſtro Cive Ferrarienſi; de triplici ordine in Ludovico XIII. Magno Galliarum Rege refert *citat Bartholinus in Anatom. reformat. lib.* 4. *cap.* 12.

Superficies Dentium lævis eſt, ac æqualis, color candidus, niſi ſenectus, morbi, ac negligentia impediant; dentes caninos ſuperiores, viridis coloris in quodam Hebræo Annorum ætatis 33. fuiſſe notavi ego Anno. 1685. cum Lauretum petebam menſe Maii in Urbe Anconitana. Majorem numerum dentium vitam longam promittere volunt *Hippocrates*, *Galenus* & *Ariſtoteles*: hoc autem falſum eſſe oſtendit hiſtoria de Auguſto, qui annos 76. vixit & dentes raros, ſcabros, ac paucos habebat. Recipiunt ſinguli dentes arteriam à carotidibus; venulas à jugularibus, nervos à ramo quarti paris, à quibus, quod radices dentium intus cingit ſubtile perioſtium, ipſique adeò dentes exquiſito valdè ſenſu perfunduntur; cavitatem exiguam in dentibus eſſe ait *P. Dioniſius in Anatom. Demonſtr.* 4. in quam interdum defluit ſeroſitas quædam acris, quæ dentem erodit tanto cum dolore, ut multos ad deſperationem portaverit,

&

& ægri cogantur eundem ſibi evellendum curare ; hallucinantur autem illi qui vermes quoſdam intra dentes generari autumant ; Hinc triplex eſt dentium uſus primus ad maſticationem ciborum ; ſecundus ad vocis articulationem , unde fit , ut qui dentibus careant male pronuncient aliquot litteras ut C. D. L. T. X. Z. Tertius denique eſt ad ornatum , venuſtiſſimum enim eſt , & ad faciem valdè condecorandam habere dentes ritè formatos , benè diſpoſitos , ac candidos ' unde ſuavis noſtri *Guarini* Muſa cecinit in laudem oris , & dentium.

Conca d' Indo odorata
di Perle orientali , e pellegrine

& noſter Divinus *Ludovicus Areoſtus* in ſuo Poemate

La bocca ſparſa d' natio cinabro ,
Quivi due filze ſon' di perle elette.

Plura de dentium laudibus apud Poëtas ; nunc quæſtiones aliquas circa dentes videamus ; videlicet primò an dentes ſentiant ; ſecundò an primi dentes in Pueris ſint veri dentes ? tertiò an dentes ſint partes noſtri corporis ? quartò ex qua præcisè materia fiant ? quintò cur decidant circa ſeptimum ætatis annum ? ſextò cur ſemper dentes augeantur ? ſeptimò cur ipſi à cæteris oſſibus diſcrepent ? octavò quotnam ſint dentium differentiæ ? nonò tandem an præter ſuprà dictos uſus , dentes alios uſus habeant ?

Circa primam ideo notandum eſt , nonnullos dentium ſubſtantiam non ſentire contendere , ſed illos ſentire cenſere ratione membranarum dentibus circumjectarum ; At verò dentes , eorumque ſubſtantiam ſentire, docere poſſumus tum autoritate cùm experientia ; *Hippocrates* enim dolore dentes affici tradit 5. *lib. de morb. popular.* ubi declarando dentium uxoris Aſpaſii dolorem nonnulla ſcribit ; igitur , & ſentire dentes oportet , cùm nihil dolore divexitur , ſenſu tactus orbatum ; Auctoritate etiam *Ariſtotelis* , qui *in problemat.* idem tradit , nam

tertio problemate, quærit, cur caro citius & promptius ſentiat calorem, ob illumque doleat magis quam dentes, ex quo habetur dentes ſentire. *Galenus* inſuper *lib. 5. de Anatom. adminiſtrat. cap.* 3. hæc ait, *ab iiſdem nervis; & gingivæ, & ipſi dentes, & membranæ ſenſum accipiunt*, nunc verò experientia id planum facit; nam ſi ferrum, vel gelu frigidiſſimum dentibus admoveas, ſtatim; eo frigore obrigeſcunt, ſimiliter rem calidam admotam ſentiunt, quanquam citius frigidam quam calidam; quia, ait *Archang. Picchotomineus noſter Anatomicus Ferrarienſis Celeberrimus*, cùm dentes natura ſint frigidi, quod ſui generis eſt promptiſſimè admittant, calori verò tanquam rei contrariæ obſiſtunt, nec ita facilè admittunt, ideòque calorem, & minus, & tardius ſentiunt; Cæterum cùm calor, & frigus ſint primæ qualitates activæ quæri etiam poteſt an ſentiant duritiem, mollitiem, aſperitatem? ſunt qui pugnaciter contendunt, dentes non ſentire aſperitatem quia limantur, & franguntur ſine dolore; ſed hi hallucinantur, quoniam non eſt neceſſe, ut id quod ſentit ſtatim doleat; dentes enim ſentientes primas qualitates vehementes idcirco dolore afficiuntur, quoniam primæ qualitates vehementes exiſtentes, quum tangunt detectam dentium ſubſtantiam propter maximam illarum afficientiam vires ſuas etiam effundunt in radices dentium, in quibus fons ſenſus horum ineſt, cùm in eas nervuli penetrent; aſt aliæ qualitates ut aſperitas, durities ipſos dentes frangentes, & limantes, illis dolorem non afferunt, quoniam vires ſuas non effundunt in dentium radices in quibus eſt ſedes tactus; quare ſecundas qualitates quidem ſentiunt, ſed ob illas non dolent; cæterum dentes non ſolum dura, & aſpera ſentiunt, utrum etiam ſapores dijudicare ſcribit *Galenus* de qua re plura apud citat *noſtrum Picchòlomineum Prælect. Anatom.*

Secundò quæritur an primi dentes ſint veri dentes, & qui elapſis primis poſtea erumpunt ſintne planè novi dentes, an verò novi rami ex eadem radice ſuccreſcentes? & circa hanc quæſtionem audire liceat *Diemerbroeckium Anatom. lib. 9. cap.* 10. ſic diſſerentem; Abſurdum videtur, ait ipſe, ſtatuere novam aliqua-

aliquarum partium generationem poſt nativitatem fieri; cùm in prima formatione omnes partes ſua perfecta delineamenta, ſuaque principia adeptæ ſint, è quibus poſtea ad juſtam magnitudinem paulatim ſuccreſcunt; hoc cùm multi obſervaſſent, ut in hunc ſcopulum non impingerent, dixerunt primos dentes non fuiſſe veras corporis partes, ſed tantum varias quaſdam particulas è ſuperflua materia genitas, & dentium munere fungentes, quouſque ipſi dentes perfectè prodirent, alii dixere priores, ac poſteriores dentes ſimul in utero generari, ſed priores citius abſolvi, atque hinc ſeptimo menſe prodire, poſteriores autem tardius perfici, atque ſeptimo anno erumpere, tuncque priores è ſuis alveolis ejicere. Verum duas haſce opiniones veritatem non attingere ait *citat. Diemerbroeckius l. c.* nam ſi negotium hoc permutationis dentium accuratè perſpiciamus, videbimus, non opus eſſe ambagibus ad evitandas iſtas difficultates; primi ſiquidem dentes circa ſeptimos annos vacillant, & decidunt, ſed eos non radicitus elabi, ſed ſuperiorem tantum partem radici inſiſtentem decidere obſervatur; dicendum igitur eſt primos dentes eſſe veros dentes, & ſecundos pariter, iſtoſque ex eadem radice enaſci, uti plantæ faciunt, & Cornua in Cervis, præciduntur enim plantæ, ſed è relicta radice novæ plantæ ſuccreſcunt; & cadunt cornua in Cervis, ſed è radice denuò reſurgunt; de hac quæſtione plura apud *Columbum*, *Rolfincium*, *Euſtachium*, *Riolanum*, & alios tum antiquos, tùm recentes anatomicos.

Tertia quæſtio eſt, num dentes ſint partes corporis? ego igitur breviter dico illos eſſe veras corporis noſtri partes, cum *Hippocrate*, *Galeno*, *& Ariſtotele*; nam dentes ſunt oſſa, ſed oſſa ſunt corporis partes, ergo dentes ſunt partes corporis; ulterius Pars definitur quod ſit corpus toti cohærens, communi vita conjunctum, & ad aliquam functionem comparatum, ſed hæc definitio verificatur de Dentibus; ergo iſti ſunt corporis partes; Contrariam autem tenentes ſententiam, duo ſequentia argumenta proponunt; nempe Partes procreantur ex ſemine, quæ ſemel abſciſſæ non regenerantur amplius; ſed dentes ex-

empti regenerantur, ergo dentes non ſunt corporis partes; ſecundum argumentum eſt hoc: Partes definitam incrementi legem habent in omni ætate grandeſcunt, igitur dentes non ſunt veræ partes corporis; hæc autem Argumenta, unica partium diſtinctione adhibita ab *Ariſtotele lib.* 2. *de gener. Animal.* diluuntur ſic; Partium aliæ gignuntur in prima corporis conſtitutione, aliæ poſt primam conſtitutionem, quales ſunt dentes; de illis autem, quæ in prima conſtitutione Corporis generantur argumenta ſunt intelligenda non verò de his.

Quartò quæritur à multis, ex qua materia fiant dentes? ego ex ſemine generationem dentium haberi volo mediatè, immediatè autem procreari à materia præparata à maxillis; iſtæ enim proferunt alimentum craſſum, pingue, & viſcoſum, ex quo alimento maxillis ad nutritionem ſuperfluo producuntur, quod alimentum ſpermaticum quoddam, & ſpermatis vicarium eſſe tradit *Picchbolomineus noſter l. c.* quod etiam intellexit *Hippocrates*, quando dixit ſemen excidere ab omnibus corporis partibus, unde cùm dentes immediatè procreentur ex tali alimento, procreabuntur etiam mediatè à ſemine, uti antea dicebam

Quinta propoſita quæſtio eſt, cur decidant circa ſeptimum annum, & renoventur? cui quæſtioni, ut breviter ſatisfaciam, dico, maxillas primò tenui lacteo, & molli alimento enutriri, ſic tenues dentes, ac labiles gigni; ad ſeptimum autem annum alimentum craſſum & à primo diverſum ſumere; idcirco mutare dentium extrema neceſſarium ducunt; & radicem, uti vidimus, elongando duriorem dentium ſubſtantiam ſubſtituere; & hoc neceſſarium eſſe puto, quia dentes primi à tenui alimento producti ad tenuia alimenta comedenda ſufficiebant; circà ſeptimum annum autem homo, craſſa, & dura comedere incipit, idcircò, dente pariter duro, ac firmo vice primi uti natura debet.

Sextò quæritur, cur ſemper dentes augeantur, & increſcant, reliqua verò oſſa definitam habeant incrementi metam? hinc *Ariſtoteles* 2. *de Gen. Animal. cap.* 4. perpetuum dentium incrementum refert in id, cujus gratia facti ſunt dentes, nempe

ut

ut cibos poſſint incidere, & frangere, & ſic cum aſſiduè comminuantur, aſſiduè pariter creſcere debent; imò poſſumus quoque perpetuum dentium incrementum referre in neceſſitatem materiæ alentis, nam cætera oſſa, cum debitam magnitudinem fuerint adepta, in ea quieſcunt, perſiſtuntque, at verò dentes habent alimentum perpetuum à maxillis præparatum; ergo ſemper dentes augeri, & creſcere debent.

Septima quæſtio eſt, quid dentes à cæteris oſſibus diſcrepent? circa quod dico, dentes tribus diſtare modis à cæteris oſſibus, primò ſenſu, ut ſuprà eſt demonſtratum, ſecundò quia illi ſunt duriores quam reliqua oſſa, Tertiò denique, quod dentes ſemper augentur, & increſcunt, reliqua verò oſſa definitam tenent incrementi legem ac metam.

Octavò quærunt multi, quotnam ſint dentium differentiæ; ego huic petitioni reſpondeo, ſeptem obſervari differentias; Prima eſt à numero dentium; nam in aliquibus ſunt duo dumtaxat, unus in ſuperiori, alter in inferiori maxilla, ut in Pyrrho Epirotarum Rege monente *Plutarcho*; in aliis viginti ſex numerantur; in multis 28; in aliis 32; imò 34. numerantur. Secunda ſumitur à numero ordinum ipſorum dentium. Tertia à ſitu, & productione deducitur; Quarta à ſimilitudine, ſic ſerrati dentes vocantur, qui pectinatim coeunt, de quibus videatur *Plinius & Ariſtoteles*. Quinta ſumitur à ſimilitudine rerum incidentium de quibus legatur curioſiſſimus *Piccholomineus noſter. in Anat. Prælect.* Sexta ab ætatibus, ut dentes ignorantiæ in Pueris, & ſapientiæ in Adultis; ſeptima demum à radicibus, alii enim præditi ſunt unica tantum radice, ut Canini, alii duabus, alii tribus, aliique quatuor, ut molares.

Nona denique quæſtio à me ſuper propoſita eſt, an præter ſuprà dictos uſus, dentes alios habeant uſus? Tres uſus dentibus ſuprà aſſignavi; primus ob maſticationem ciborum ſecundus ob vocis articulationem, tertius ob ornatum faciei; nunc verò præter dictos uſus, ut quæſtioni ſatisfaciam dico cum *Laurentio Anatom. lib. 2. cap.* 20. dentibus etiam præter dictos uſus, duos alios poſſe aſſignari uſus; nempè ad compeſcendam

garruli

garrulitatem, uti olim putavit *Homerus*, ſunt enim veluti muri linguæ oppoſiti; & ſecundò cum *Ariſtotele* dentes ad pugnam conſtructos eſſe dicere poſſumus; dentibus enim loco armorum nonnulla animalia ſe defendunt, ut Canes, Lupi, & ſic, ſi fortaſſis homo dentibus in defenſione uteretur, vel ut alium quempiam offenderet, hic tunc uſus dentium eſſet, licet improprius; nam manibus eſt homo munitus, quibus ſe tueri poteſt, & quæ ei ſunt loco armorum omnium; Hæc autem de Dentibus uſque adhuc dicta ſufficiant; plura de his cupienti, dabunt *Veſalius*, *Pareus*, *Laurentius*, *Columbus*, *Gagliardus*, *Bartholinus*, *Blancardus*, *Dionis*, *Diemerbroeckius*, *Piccholomineus*, *Fuchſius*, & alii plures, tum antiqui, tum recentes Autores Anatomiæ.

Scribebam raptim Ferrariæ in meo muſeo die 3. Junii 1697.

DE
PERICARDIO
DISSERTATIO ANATOMICA.
AD
D. JOHAN. JACOBUM MANGETUM
Medicum Genevenſem.

COR, nobiliſſimum illud Viſcus, in homine primum vivens, ac ultimum moriens, membrana quadam obvolvitur *Pericardion* dicta, ab aliis cordis involucrum, capſula, arcula, vagina quæ nihil aliud eſt, quam involucrum membranoſum cor undique cingens, cujus baſi, atque vaſis firmiter annectitur, ejuſdemque figuram imitatur, aſt magnitudinem ſuperat, tantumque ab ipſo corde diſtat, quantum ſatis eſt pro motu cordis, & humore in hoc ſacculo cordis contento.

In hominibus ſemper reperitur, licet *Columbus* defuiſſe pericardium in uno ſuo Diſcipulo fateatur, cui forte cordi firmiter annexum potius fuiſſe, ait *Thom. Bartholinus Anat. lib. 2. cap. 5.* Taliſque neceſſitatis eſt hoc involucrum, ut in avibus, ſerpentibus, ranis, & in omnibus pariter licet minimis animalculis nunquam deſideretur referente *Lowero*; ſolummodò *cit. Bartholinus*

deeſſe in Echino terreſtri ait; de hujus defectu in variis Animalibus plura apud *Stephan. Blancardum.*

Ortum agnoſcit ſuum à vaſis quatuor, nempè arteria magna, arteria venoſa, vena cava, & vena arterioſa, à quarum membranis naſcitur, idcircò quinque foramina tenet pro venæ cavæ introitu, ac exitu, & pro aliorum trium vaſorum egreſſu; ſitum eundem, quem cor obtinet, ideòque medium thoracis occupat, & ita protenditur in interiora, ut ſternum tangat, quin quoque alligatur diaphragmati.

Superficiei eſt fibroſæ externè, internè autem lubricæ, & aliquando in pinguibus corporibus pinguedine ornatum pericardium obſervatur; quemadmodum notavit *Lindanus.* Subſtantia dura eſt, unde marſupia à multis confecta vidiſſe ait *Blaſius*; Venas, & arterias minimas habet non tamen facilè apparentes; hîc autem notandum cum *Diemerbroëckio Anat. lib.* 2. *cap.* 5. *Riolanum*, duplicem pericardio membranam adſcripſiſſe, earumque exteriorem eſſe ſobolem mediaſtini dixiſſe, interiorem vero produci à tunica vaſorum cordis, ſed illam duplicitatem oſtendere nimis difficile judicat *Diemerbroëckius*; Præterea tunica exterior vaſorum cordis deſumpta eſt à pleura, quemadmodum quoque mediaſtini membranæ: atqui abſurdum foret, ait citatus Autor, ex una pleura duas tunicas concurrere ad efformandum pericardium, unam à tunica vaſorum, alteram à mediaſtino, & interim mediaſtinum manere peculiarem membranam, pericardio extrinſecùs circumjectam; Idem *Riolanus* ſibi inconſtans *animadverſ. in Laurentium*, ait ſatius eſſe, dicere pericardium oriri à pleura, in cujus duplicatura continetur, & *Animadverſ. in Bauhin.* bene probat, non duplicatam, ſed tantum unam ſimplicem eſſe pericardii tunicam, forte immemor eorum, quæ de ejus duplicitate ſcripſerat in *Antropograph. lib.* 3. *cap.* 7. Nervos exiliſſimos habet à recurrente ſiniſtro, antequam aſcendat, & ſepti ramulis; idque ſive ſenſus gratia, ſive, ſi *Williſio* fides danda, ut ſe contrahat, & noxia expellat in tremore Cordis. Lymphatica verò vaſa huc ſparguntur ex trunco ad cor deſinente; de quibus vide *Bartholini Anatom.*

Duplex uſus eſt Pericardii, alter ut cordis ſit involucrum, ne vicinas tangat partes, nec ab iis ullum patiatur incommodum; alter

ter verò, ut liquorem contineat, cor aſſiduè humectantem, unde *Galenus* cor quaſi in veſica eſſe dixit.

Hic humor in omnibus Animalibus invenitur tam vivis, quam mortuis; unde autem hæc proveniat humiditas, & quid iſta ſit, nunc quæramus oportet, antequam ipſius uſum exponamus; Nonnulli hunc humorem ex cordis vaſis emitti aiunt; alii cum *Hippocrate* ex potu eſſe volunt, cujus pars roris adinſtar per aſperam penetret arteriam ad pericardium; Multi à materia aquoſa ſeminali produci dicunt; Varii, cum *Jaſolino* ſcribunt eſſe perfectam portionem humoris ſeroſi ab ipſa natura tranſmiſſam per venas, & arterias; Nonnulli ab excrementis aquoſis tertiæ coctionis hunc humorem gigni ſtatuunt; alii curioſiores, ut novi quid pronuncient, illum ex delabente ſaliva deducunt; Multi ex aëris inſpirati portione in aquam converſa hanc humiditatem haberi ſcribunt; alii ex cordis adipe ipſam agnoſcunt; *Bartholinus* verò, & *Diemerbroëckius* aſſerunt, ex vaporibus, & exhalationibus humidis ex corde protruſis, ac in pericardio condenſatis, humorem dictum fieri; *Stenonius* verò cum *Barbette* illum extillare à lymphaticis vaſculis in pericardii cavitatem ſuſpicatur; Ego autem cum *Clariſſ Lowero de corde*, *Blancardio in Anatom. reform. cap.* 1. Et aliis aſſero, hanc humiditatem eſſe laticem quendam lymphaticum, è glandulis ſuprà baſim cordis jacentibus, (aut etiam) ex Illuſtriſſ. Malpighii Demonſtratione * per totum Pericardium reſperſis, extillatum, qui ignis calore, albuminis ovi inſtar concreſcit, uti cæteræ lymphæ, etiam hydropicorum contingit, quemadmodum ego non ſemel notavi, meiſque Diſcipulis oſtendi; in hoc autem ſacculo continuò manere haud debet, ut docet citat. *Blancardus*, ſed ex eodem per vaſa lymphatica in ductum thoracicum effunditur; ſi enim ibi ſemper maneret corrumperetur; *nam vitium capiunt, ni moveantur aquæ*, optimè cecinit Vates; conſequens igitur eſt lympham hanc aſſiduè effluere, & refluere; quando autem nimium abundat, cordis palpitationem cauſare ait *Clariſſ. Petr. Dionis Anatom. demonſtr.* 5.

Liquor autem iſte extrinſecus cor humectans, & lubricum faciens, illius motum faciliorem reddit, nimiamque prohibet ſiccitatem;

* *De hoc vid. in Tractatu de Glandulis ubi Marcell. Malpigh. de Structurâ glandular. conglobatar. &c.*

tem; ejus verò diuturniorem defectum tabem inducere poſſe ſcribit *Diemerbroëckius in Anatom. lib. 2. cap. 5.* Inſervit quoque hæc Pericardii lympha, ut cor innatando minus grave fiat; & in nullam partem impingat, adeò ut idem officium cordi præſtet hæc aqua (ſunt verba Doctiſſ. *Dionis*) quod præſtat illa cui fœtus innatat; qui ſine hujus ope, ſeſe movendi libertate non frueretur; De hac re ſimilitudinem navis exhibet *Blancardus*, quæ mari impoſita faciliùs ope unius Viri movetur, quam viris centum, cum adhuc in arido ſita quieſcat. Ratio autem, quare in mortuis major copia hujus aquæ in Pericardii cavitate inveniatur, in promptu eſt; cum enim Animal moritur, major lymphæ copia colligitur, quam regreditur, quia vaſa quo tenuiora, & ab eorum origine longiora, eò citius vita defunguntur, motumque periſtalticum perdunt; vaſa quippe manuum, ait citat. *Blancardus*, ac pedum prius mortua ſunt, quam ea quæ cordi proxima, unde Arteriæ omnium primò ſanguinem hauriunt; ſic etiam de iſtis cenſendum eſt vaſculis, quorum ductus adducentes tardius è vivis excedunt, quam abducentes, Quoad quantitatem hujus humoris, dico, me hunc pauciorem ſemper in Viris obſervaſſe, in mulieribus autem copioſiorem, ſicut etiam antè me *Veſalius* notavit, eundemque *Riolanus* in ſenibus uberiorem vidit, quam in juvenibus; hinc menſe Februario Anni hujus 1697. in cadavere Plebei cujuſdam pleuritide ſæva extincti in meo Xenodochio S. Mariæ novellæ Ferraria obſervavi in cordis capſula liquorem omninò coagulatum; quemadmodum ovi albumen igni appoſitum, ſubviridis tamen erat coloris; in muliere quadam Anno 1691. Iliaca paſſione defuncta; rubicundam hanc humiditatem fuiſſe proſpexi, ità ut cruorem imitaretur; in Puero Variolis emortuo Anno 1692. nihil penitus iſtius lymphæ vidi; ſicuti pariter in Adoleſcentula phthiſi confecta; In Ancilla quadam ſcorbutica, tandemque Angina occiſa Anno 1695. ferè plenum pericardium obſervavi cæruleo quodam liquore; qui ignis calori appoſitus nunquam coagulatus fuit, ſed tantummodò in ſuperficie cruſtam exiguam admiſit; In Sacerdote hydropico talem humorem omninò viridem, atque ſummopere fœtentem notavi Anno 1694. Tandemque Medicus fide dignus mihi narravit; ſe Anno 1684. obſervaſſe in cadavere cujuſdam Mantuani Apoplexia necati, humorem pericardii in magna copia, ipſumque fuiſſe atri coloris, in cujus fundo arenulæ quædam nigræ apparuere. An poſtea iſte pericardii humor fuerit qui è latere J. C. Salvatoris noſtri aperto cum ſanguine emanavit ob vulnus à Longino infixum, diſputant multi; *Andreas Laurentius*, & alii plures affirmant illam aquam pericardii humorem fuiſſe; contrariam tamen opinionem defendit *Bartholinus de later. Chriſti aperto cap. 4.* penes quem eruditum Autorem Lector curioſus plura de hac quæſtione videre poterit;

Hæc de Pericardio ſcribebam raptim in meo muſeo Ferrariæ die 30. Aprilis 1697.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM AC MATERIARUM

In hoc primo Volumine Contentarum.

A.

Accipitri deſcriptio. Unde ſic vocatur. Medicinæ ſe totum præbet, adipem ſuam & excrementa, & quoſnam ob uſus. p. 413.

Aconitum & *Napellum* pro una eademque planta ſumitur ab aliquibus; differunt tamen inter ſe. Quotuplex eſt Aconitum. Deſcriptio principalis Aconiti Pardalianches dicti. p. 181. Quid de Aconito Scripſit *Plin.* Quid de eodem *Manget.* Quomodo vulgò dividitur. p. 182. Aconitum magnum vulgò Napellum dicitur. Aconitum Platanifolio malitiam Napelli ſuperat. Sunt qui Aconitum, Napellum & Doronicum confundunt, & unum pro alio ſumunt, undè Aconitum non venenoſum putarunt, & quare. Alii verò contrà, quod exemplis confirmant. p. 183. Succus radicis ejus validiſſimum eſt remedium. Symptomata ex ejus aſſumptione. p. 184. Ex eis colligitur qualitas hujus veneni. Ejus curatio & remedia. p. 185. Aconitum medetur morſui Scorpionis. p. 446.

Adamas quid eſt, & unde no-

men habet. p. 43. Ejus duritiem diverſo modo tractant Autores Veteres ac Moderni. p. 44. Ejus proprietates. p. 45. An ſit venenum; nonnulli affirmativam, multi verò negativam tenent. ibid. Quamvis per ſe & ex natura ſua nihil veneni condat, tamen explicatur quomodo poteſt eſſe venenum, & ſic dantur ejus effectus, Symptomata, & Curatio. p. 46. Adamas orientalis contrariatur venenis. p. 278.

Aes quid eſt, & ex qua materia. Dicitur etiam cuprum, cujus particularum conſtitutionem demonſtrat Aerugo. Quænam eſt ejus vis & quomodo poteſt augeri. p. 77. Eſt venenum & quidem pernicioſiſſimum. Ejus ſymptomata, & unde emanant. Ex quo metallò conficitur æs, ejus flos, ſquamma & ærugo. Exempla plurimorum ab ære necatornm. p. 78. & 273. Modus curandi eos qui quodvis ex eo ſumpſerunt ſive eſculentis aut potulentis p. 79.

Agnus componitur partibus in uſum Medicum venientibus, ut ſunt Pulmones ejus, fel, ſtercus, ſanguis, oſſa, coagulum & lana, aſſignanturque Morbi quibus ſubveniunt. p. 369. 370.

Ahovai quid eſt. Ejus deſcriptio. Quale venenum eſt. Ejus uſus: tamen ignoratur ejus natura, ſymptomata & curatio. p. 224.

Alauda quare dicitur Galerita. Quotuplex eſt, & quænam prævalet in uſu Medico. Quid in eo prodeſt ejus Caro, Cor, & Sanguis. p. 414.

Alcedo avis. Ejus deſcriptio. Unicam tantum ſui partem Medicinæ præbet, & ad quem uſum. p. 414.

Alces quodnam Animal. Partes corporis ejus ad Medicinam facientes; nec non & Morbi quibus in remedium veniunt, modò convenienter præparentur. p. 370. 371.

Alexipharmacum non omne convenit omnibus venenis. Quænam efficaciora ſunt. p. 285.

Allium habebatur olim inter Deos ab ægyptiis. Quomodo vocat illud *Galen.* Quid de illò ſentit *Plin.* Inter Alexipharmaca locum habet. Multum præſtat adverſus vermes. Humano corpori juvat. Imò elixatum in deliciis apud quosdam eſſe ſolet. Appetitum conciliat. Multas tandem proprietates habet. p. 583. & 584.

Alter-

Altercum à diverſo vocabulo ſic dicitur, & quare. p. 196. vid. Hyoſciamus.

Amphiſbœna & Scytale quid eſt. Vix inter ſe diſtingui poſſunt ob eorum ſimilitudinem. In quo ſolùm differunt. Sunt qui credunt eam habere duo capita. Alii verò negant. p. 97. Habent ambæ idem venenum. Quid evenit ex eorum morſu. Symptomata ſimilia ſunt illis ex viperæ morſu accidentibus, ita & eorum curatio. p. 98.

Amuleta adverſus venena dantur innumera, alia rejicienda, alia verò admittenda, & quare. p. 277. Quædam Amuleta tam Animalium quam Gemmarum, Plantarum, Arborum, eorumque fructuum adverſus Venena, venenoſaque Animalia p. 278. 280. & 281.

Anacardus quid eſt. De ejus Melle, cortice & fructu. De ejus confectione. Quare nocuus dicitur. Mala ex ejus aſſumptione accidentia, eorumque cauſæ. p. 238. Eorum Curatio. p. 239.

Anas duplex. Quid ex ea recipit Medicina & ad quem uſum. p. 414.

Animalia ex quibus habetur Venenum ſunt multa. Eorum nomina, pro diverſo modo ſecundùm quem poſſunt hominem aut lædere, aut ei venenum inferre, aut communicare. p. 81. & 282. Quomodo nocua ſunt quædam illorum in potu aut cibo, deducitur ex exemplis ab Autoribus relatis. Alia ſunt ex ſe venenata, alia ex eorum victu venenato, & quænam ſunt. Tamen varia ſunt, quæ cibis nobis nocuis veſcuntur, quibus etiam veſcitur homo, eorumque nomina. Animalia fiunt venenoſiora ſi venenatis victitent, unde non tutum eſt manducare eorum carnes, quod probatur pleriſque exemplis. Signa diagnoſtica, aliaque Symptomata ex Veneno ſumpto. p. 81. 82. & 83. Quare in Hibernia non generantur, nec diu ſubſiſtunt Animalia venenata. p. 264. & 284. Animalia quædam dentibus loco armorum ſe defendunt. p. 594.

Anguilla ad quos uſque annos vivit. Quaſnam præbet Medicinæ partes & ad quem uſum. p. 429.

Anſer duplex. Quis prævalet in re Medica. Quid verò ab illo ſumitur, & ad quem uſum. p. 415.

Antidotorum ratio explicatur, & quo-

quomodo præſervativa juvare poſſunt. p. 283.

Antimonium quid eſt, & ex qua conſtat materia. Crudum à Doctoribus in numero Venenorum ponitur, ſive intra Corpus, ſive extra ſumptum. Ejus ſymptomata, & modus eis occurrendi. p. 47.

Aper quid eſt, & quomodo dictus. De eo multæ in uſum Medicum partes veniunt, deſcribunturque ſingulæ proprietates illarum in diverſis morbis expugnandis. p. 371. & 372.

Apes ſuis aculeis ita nocent, ut & mortem inferunt. Symptomata ex earum ictu. Et Curatio. p. 152. vid. Muſcæ.

Apis quomodo inſervit Medicinæ, præſertim melle ſuo. p. 438.

Apium, Quare ei additur riſus. Ejus deſcriptio juxta *Chabr.* & *Jul. Solin.* Quid de illo dicit *Manget*. Mendicis fraudulofo eſt uſui. Veſcentibus hac Plantâ quid accidit. Symptomata ex illius aſſumptione, & qua ratione adveniunt. p. 202. Hujus veneni Curatio. p. 203.

Aqua ſtillatitia foliorum Lauri quid eſt. Ejus Color, odor, effectus & ſymptomata. Relatio duorum Mulierum ab hujus aquæ veneno necatarum, nec non & variorum experimentorum in canibus factorum, ex quibus conſtat quale ſit hoc venenum. p. 286. uſque ad 299. Antidotum hujus veneni. ibid. Alia experimenta circa venenoſam qualitatē aquæ ſtillatitiæ ex Lauro-Ceraſo in Canibus facta. p. 300. uſque ad 306. Altera Relatio experimenti ejuſdem aquæ in Cane facti. p. 307. & 308. Aquæ Bezoarticæ deſcriptio. p. 322. Ejus miræ virtutes in febribus mali moris. p. 346. Deſcriptio aquæ Imperialis. p. 355. Aquæ Stygis vis & effectus. p. 271. & 272. A qua Fœmina præparabatur, & ad quem uſum. ibid. Aquæ vitæ uſus, in qua infuſum fuit Sublimatum, eſt Venenum. p. 273.

Araneus ſive Aranea, unde ſic cognominatus. Ejus deſcriptio. Quotuplex eſt & quomodo dividitur. Ejus nutrimentum æreum eſſe probat experientia. p. 138. Quomodo vocatur ab *Hanneman*. Quomodo venenum ſuum infundit. Etiam combuſtus peſtifer eſt. Symptomata ejus Veneni tam intra Corpus aſſumpti, quam ictu immiſſi, & unde oriuntur. p. 139. Curatio utriuſque. ibid.

& p. 140. Vid. Draco & Mus Araneus. Quomodo Buſoni mortem infert. p. 134. vid. Buſo. Araneus præter ſe ipſum dat telam ſuam pro uſu Medico. p. 439.

Ardea Piſcatoribus maximè nota, Medicinæ tantùm præſtat adipem ſuam, ſed uſus rarus eſt. p. 415.

Argentum vivum eſſe venenum multi dubitant, & quare. Circumſpectio Medici in ejus uſu. Dicitur etiam Mercurius, triplexque nomen habet, crudus, ſublimatus & præcipitatus, & quovis hoc triplici modo ſumatur venenum eſſe ſymptomata probant. p. 70. Quomodo eſt venenum. p. 71. & 72. Quibus & quomodo noxium eſt præſertim iis qui illud tractant. Labes quas referunt Aurifices ob Mercurium quo utuntur in deaurandis operibus ſuis. Qualitates particularum Argenti-vivi, earum effectus & quomodo producuntur. p. 71. Argentum-vivum quamvis ſæpe innoxium, tamen noxium evadit & quidem uſque ad mortem, ſicut & ejus fumus, & quomodo. Ejus ſymptomata. p. 72. Argentum-vivum Præcipitatum pernicioſius eſt quàm crudum. ibid. Quamvis ab Autoribus exhibeatur ad curationem quorumdam Morborum, tamen ejus internus uſus ſemper periculoſus eſt juxta *Helmont*. Diverſi ejus effectus ſimiles illis Mercurii crudi, & quomodo producuntur. p. 73. In quo differt à ſublimato. Referunt *Andr. Baccius*, Aliique Autores vim clandeſtinam Mercurii experti. p. 73. & 74. Argentum vivum ſublimatum quid eſt. Ejus parandi modus videtur apud *Lemery*. Potentiſſimum, maximè pernicioſum & quidem corroſivum eſt venenum æquè ac Præcipitatum. p. 72. Quomodo ulcerat inteſtina. Cur tantam accendit ſitim. p. 73. Diverſi caſus ex ſublimato ſive infuſo, ſive hauſto, ſive in unguento redacto à multis Autoribus relati. p. 74. Curatio omnium illorum. ibid. & p. 75.

Armenus lapis penè ſimilis eſt lapidi Lazuli. In quo ſolùm ab eo differt. Ubinam reperitur, & quare venenum dicitur. Unde nomen Armeni ducit. Ex qua & quotuplici materia conſtat. Ejus ſymptomata, & curatio. Quid de illo lapide ſentit *Ardoyn*. p. 63.

Arſenicum quid eſt. Inter venena re-

refertur. Sunt qui Auripigmentum & Arſenicum unum idēque eſſe dicunt. Dividitur in Nativum & Factitium. Quare dicitur Nativum, & quotuplex eſt. Eorum genus & facultates eadem ſunt, & quare. p. 65. Factitium quotuplex, & ex qua materia conficitur. Quot ſunt ergo genera Arſenici. Quid Arſenicum Cryſtallinum. Ubinam reperitur. Inter venena validiſſima numeratur: & quare. Symptomata omnium illorum. Multùm inter ſe differunt illa venena juxta *Sennert.* Quædam exempla quibus demonſtratur in quantum poſſit Arſenicum ſive extra corpus ſumptum. p. 66. Diverſi ejus effectus à *Foreſto* & *Amato Luſit.* narrati. Præſentaneum poſtulat auxilium, aliàs agitur de vita. In eorum omnium aſſumptione eadem exigitur Curatio, & in quo conſiſtit. p. 67. & 68. Quomodo Turcæ, nec non & Gallici Medici Arſenicum exhibent ac præparant. ibid. & p. 69. Quid obſervatur in cadaveribus ab Arſenico venenatis. p. 282.

Arum quid eſt. Symptomata ex ejus eſu. Remedia. p. 260.

Arundo. vid. Canna.

Aſcalabotes. vid. Stellio.

Aſelli ubinam oriuntur. Quinam ſunt colligendi, & quare. Eorum mira vis. p. 440.

Aſinus Animal pigrum, ſed multis partibus compoſitum in quibus ſingulare detegitur ſecretum adversùs diverſos morbos tam internos, quàm externos, & quare reperiuntur in eo tam ſalubria remedia. p. 272, 273, & 274.

Aſpidis quotuplex eſt: Species, quænam pernicioſior, & quomodo. Unde nomen ſortitur. Quodnam vulnus infligit, quid inde ſequitur, & unde venit. p. 85. & 86. Ejus Curatio. p. 87.

Aſſczoë efficaciâ ſuâ omnes alias Plantas ſuperat adversùs Aſpidum venena, & quomodo vim ſuam in Viperis exercet. p. 279.

Aſſera de ea ſcribit *Scalig.* Apud verò alios Autores non invenitur Aſſera, ſed Maslach. Quid de illis nominibus. p. 242.

Aurichalcum & Cadmia unum idemque eſt juxta *Manget.* tamen ab ea differt. Quomodo vocatur. Ex qua materia paratur. Quare eadem habet ſymptomata, eamdemque curationem poſtulet cum ære. p. 64. vid.

vid. Cadmia.
Auripigmentum vid. Arſenicum.

B.

BAara de ejus radice, ejuſque effectibus ſcripſit Cardan. p. 242.
Barbo magis noxius quam utilis eſt. p. 430.
Barbus quid eſt. Parvi æſtimatur, & quare: Ejus ova venenata dicuntur, & ad ciendum vomitum à Ruricolis aſſumuntur. Qualitates particularum quibus talia componuntur ova. Quænam producunt ſymptomata, eorumque Curatio. p. 170.
Baſiliſcus & Harmenes juxta quosdam ſunt verba ſynonima eamdem feram deſignantia. Sub diverſis nominibus Harmenæ Baſiliſcus denotatur. Quare à *Diſcoride* Rex Anguium dicitur. Fabula circa ejus ortum. Quid tandem eſt. Ejus natura comparata cum illa Catoblebæ. Quomodo ſuum emittit venenum, ſunt qui diverſè ſentiunt. p. 103: Quomodo ſuam ſententiam firmant illi qui dicunt ſolo ejus intuitu hominem lædi poſſe. Quid eſt Baſiliſcus; ejus longitudo, color, forma modusque movendi. p. 104. Accidentia ejus morſum ſequentia, ejuſque medela. p. 105.
Baxama quid eſt. Effectus ex ipſius fructus deguſtatu, ſicut & de illius umbra. p. 258.
Belladona. vid. Solanum.
Bezoar Orientale unde habetur. Ejus utilitas. De ejus genuitate tractant plerique Autores. p. 383. Bezoar Occidentale quid eſt. In quo differt ab Orientali. p. 384. Bezoar Germanicum quid eſt, & quare ſic vocatur. p. 383. Bezoar Equi cujus virtutis. p. 391. Magnam ſpem habent multi in lapide Bezoar adverſus venena. p. 279. Datur duplex Bezoar animale juxta *Schrod.* ex ſale volatili ſerpientium. p. 404.
Blata Bizantia quodnam eſt Animal. Quid Medicinæ præſtat. p. 430.
Bombyx ſe ipſum & texturam bombycinam dat in uſum Medicum. p. 440.
Borax quid eſt, & ex qua materia præparatur. p. 53, & 54. Sunt qui eum inter venena referunt, alii verò contrà. Mala ſymptomata ex ejus aſſumptione, & illius Curatio. ibid.
Borraginis curioſa Hiſtoria de ejus emetica virtute in Adoleſcen-

cen-

cente ob antipathiam illius cum ea. p. 253.

Bos æquè ac Vacca ad quos uſque annos vitam ducit. Sub ejus nomine intelligitur etiam Taurus. Deſcribuntur partes quibus juvatur Medicina in debellandis humanæ naturæ morbis. Earum proprietates explicantur; indicaturque modus illas præparandi. p. 375, 376, 377.

Braſſica, vid. Calceolus Iaponicus.

Braxera quid eſt. Ubinam naſcitur. Radix ejus lethifera, fructus verò antidotum eſt hujus veneni. In Africa radix ejuſdem nominis eſt æque noxia, cujus perniciei aliquid addit ars, & cujus ope. p. 242.

Bubulus quodnam Animal. Quænam partes illius Medicinæ ſuccurrunt, & quomodo. p. 377, & 378.

Bufo quid eſt. Unde ſuum ortum habet. Cur ſic vocatur. Quare etiam à multis Rubeta, aliiſque nominibus nuncupatur. Deſcriptio hujus Animalis, & ejus malignitatis. p. 130, 134. Quomodo, & ex qua parte virus ſuam exprimit. p. 130. Delectatur habitare cum Salvia, unde incautus ejus eſus noxius eſt, quod ſiniſtris probatur exemplis. p. 131. Quanta ſit vis & effectus ejus veneni, patet ex multis Hiſtoriis à diverſis Autoribus relatis. In America veneno caret. ibid. & p. 132. Quare venenum eſt ejus morſus & pulvis, & quomodo ſuum infligit venenum. Quomodo Venefici venenum ejus extrahunt. Fibra Jecoris ejus alia ſunt perniciosa, alia verò contra venenum. p. 132. & 134. Hujus veneni ſigna, & malitia. p. 132. In quo conſiſtit ejus energia. Bufo combuſtus non lædit, & quare. Circa ejus Curationem quid notandum. p. 133. Multa curioſa circa ejus venenum ex variis Autoribus collecta. Sunt quid negant, ſed malè, cum eſſe venenoſum. De antipathia inter eum & Araneam quæ antidotus eſt veneno Bufonis. p. 134. Diverſa ſententia de ejus lapide. p. 135. & 379. Et quomodo præſervat à veneno. p. 277. Hiſtoria de pulvere Bufonis uſti ab Hydropico propinata. p. 270. Etiamſi Animal illud ſit venenoſiſſimum tamen dat quaſdam ſui partes Medicinæ. Quænam ſunt, & quomodo inſerviunt. p. 378. & 379.

Bupreſtis ex ipſius nomine definitionem trahit. Ejus accurata deſ-

deſcriptio habetur apud *Aldrovand.* Magnam cum Cantharidibus cognationem habet. Symptomata quæ ex ejus deglutitione tam homini quàm Bruto ſuperveniunt, & quid ex illis colligitur. Ejus Curatio. p. 150.

Buxum, ejus mortifera vis. Frondes ejus & Cineres noxiæ. Ejus odor & ſapor. p. 257.

C

Cadmia ſeu Cobaltum quid eſt, cujus coloris, quid aſſimilat, cujus metalli porticeps eſt, ejus vis & effectus, eſt venenum, ejus Symptomata & Curatio. Quid de ea ſentit *Agricola.* p. 64. vid. Aurichalcum.

Calcarium ſaxum quid eſt, ejuſque definitio. p. 38.

Calceolus Laponicus quid eſt. Ubinam invenitur. Deſcribitur à *Joh. Scheffer.* Quare inutilis & nocua creditur. p. 251.

Calx, etiamſi valdè ſit utilis in re Medica, tamen ob ejus qualitates & effectus noxia in ſe ipſa evadit. p. 38. Symptomata ejus aſſumptionem ſequentia, ortaque ab inhabitatione conclavis nuper extructi. p. 39. Ejus curatio. ibid. In Civitatibus non debent permitti ejus fornaces. ibid.

Calmæleonem & Ixiam unum idemque faciunt multi. Alii verò contrà. Quare Camæleonis radix à multis Ixia vocatur. Qualitas ejus ſucci. Quare hæc Planta Camæleo appellatur. p. 206. Ejus deſcriptio. Ejus ſymptomata, & unde oriuntur. Quomodo perficitur ejus curatio. p. 207.

Campana ex quibus metallis conſtat. Ejus ſcobina venenum eſt, juxta exemplum ab *Horſtio* allatum, ejuſque Curatio. p. 65.

Cancer Fluviatilis; Quare vocabulum illud generaliter uſurpatur à *Plin.* Quinam ſunt Cancri propriè dicti. Cujus ſunt naturæ. Quid ex cancro ſumit Medicina, & ad quem uſum. p. 431.

Canis partes habet quæ Medicinæ inſerviunt. Quænam ſunt & quomodo in remedium veniunt. Ejus Stercus quomodo honeſto nomine vocatur, ejuſque virtutes. p. 379. 380. & 381. Canes ut & alia animalia in rabiem aguntur, ſed frequentiùs. Symptomata canis rabidi. p. 153. Ex Veterum monumentis probatur eos hydro-

drophobiam noſſe; ſunt tamen qui negant. Quibus modis hoc venenum homini communicatur, apud diverſos reperitur Autores. p. 154. Quomodo nunc tardiùs nunc citiùs ſuos producit effectus, & quare. p. 155. 157. & 158. Symptomata hominis camina rabie correpti. Diverſo tempore ſe prodit illud venenum, in quibuſdam poſt aliquot menſes, in aliis poſt plures annos, plus minuſve, & ad quem uſque annum latere poteſt. p. 155. Eſſentia hujus veneni, & in quo conſiſtit. p. 156. Explicatur magna illa Antipathia quam à canibus rabioſis demorſi habent cum aqua, & unde virus illud contrarium ſit aquæ. p. 157. Quædam notatu digna circa vermes qui reperiuntur in res demorſas à Cane rabioſo, & effigiem Canum quæ percipitur in demorſorum urinis. p. 158. & 159. In hujus veneni cura duo obſervanda ſunt tempora: Quid quoad utrumque. Diverſa adhibenda remedia. p. 159. 160. & 161. ſigna veneni per totum corpus ſparſi. ibid. De Venæ ſectione, & de tempore quo convenit, vel non, multum diſquiritur. ibid. & p. 162. Signa ſalutis aut mortis in demorſo. p. 163. Caput Canis Morbum Regium curat, & quomodo. p. 380. Canis dicitur flere. p. 467. Canes dicuntur amare eos quorum ſalivam guſtarunt. p. 557. Dentibus loco armorum ſe defendunt. p. 594.

Canis Piſcis. vid. Fel canis Piſcis.

Cannæ ſeu Arundinis venenum. Ejus vapor quiſnam, & cui ſimilis. p. 257.

Cantharides, quomodo à multis nuncupantur. A *Schrodero* in plures diſtinguntur ſpecies. p. 146. Quænam ſunt Animalia, & eorum deſcriptio juxta *Aldrovand.* Eorum originem habemus in Geneſi ſecundùm multos. Sed rectiùs oriuntur ex propriis ovis, quæ in eorum Anatome obſervantur. Venenoſa eſſe Animalia quomodo certum eſt. p. 147. Prava eorum Symptomata, ſive foris applicatæ, ſive intra ſint datæ. p. 148. & 281. Et unde oriuntur. Cur verò magis infenſæ ſunt veſicæ quàm aliis partibus corporis. p. 148. & 282. Quidam Autores dicunt Cantharides Antidotum ſecum habere, alii

verò contrarium tenent. Hujus veneni Curatio. p. 149. Effectus quidam Cantharidum. p. 272. Ejuſque pulveris Tabaci pulveri immixti. p. 273. Ad quid valent pro uſu Medico. p. 440.

Caper maſculus quomodo dicitur. Quodnam eſt Animal. Enumerantur partes à quibus Medicina juvamen deſumit, indicanturque curationes quas operant. p. 381. & 382.

Capo, de eo habetur Lapis alectorius juxta *Hoffman.* ipſique variæ aſſignantur vires. p. 421. vid. Gallus.

Capra fœmina quomodo vocatur: vid. Caper.

Capreolus quodnam eſt Animal. Partes illius quæ Medicinæ inſerviunt, eorumque proprietates. p. 384.

Capri-cerva Orientalis quodnam eſt Animal. De eo habetur Bezoar, & ad quem uſum. De uſu ejus cornuum. p. 383. Capri-cerva Occidentalis, quodnam eſt Animal. In quo differt ab Orientali. p. 384.

Carpio quiſnam eſt Piſcis. Quid præſtat Medicinæ & ad quem uſum. p. 431.

Caſtor quodnam eſt Animal. Quid ex eo Medicina pro uſu recipit. Quid Caſtoreum. p. 385.

Catobleba vid. Baſiliſcus.

Catus-Zibetinus quodnam eſt Animal. Quid ex illo depromit Medicina. Deſcriptio illius, & Natura. Quomodo uſurpatur ac paratur, & ad quem uſum. De uſu pellis ejus. Quinam ejus carne veſcuntur & ad quem uſum. p. 385. & 386.

Cedrus fugat ſerpentes. Quid demonſtrat ejus celſitudo. Confunditur cum Citro. Ex eo conſtructa fuerunt multa ædificia. Aliæ obſervationes circa eum. p. 328. & 329. Viſum acuit. Cadavera condit, & incorrupta ſervat, viventia verò corrumpit. Odontalgiam tollit. p. 352. Ex ejus ligno Rogus & Pyra parabatur apud Indos. p. 355. & ad plurimos admittebatur uſus. p. 356, 357, & 358.

Cenchris quid eſt. Quare ſic vocatur. Varii variè eum denominant, & undè diverſa illa nomina trahunt. Quo tempore magis eſt pernicioſus. Differt à Joculo. Ejus venenum quomodo & cuinam parti corporis humani infenſum eſt. Accidentia ejus ictum concomitantia ſimilia ſunt ſymptomatibus à viperæ morſu proditis;

ditis; ſunt tamen quædam ſpecialia. p. 99. & 100. Ejus Curatio. ibid.

Ceraſtes quid eſt, & undè ſic dictus. Ejus longitudo & color. Quales habet dentes. Ubinam habitat. Quid ex ejus morſu accidit. p. 87. Ejus ſymptomata, & unde oriuntur. Ejus curatio, maximè verò ea quâ utuntur incolæ Lybiæ. juxta *Sennert.* & *Ælian.* p. 88. & 89.

Cerebrum Felis. vid. Felis.

Ceruſa vel Ceruſſa quid eſt. Quomodo paratur. Eadem habet ſymptomata cum Plumbo cujus eſt filia. Quænam ſunt illa ſymptomata. Modus eis occurrendi. Ejus Venenum laudatur à *Friccio.* p. 59. vid. Plumbum.

Cervus quodnam eſt Animal. Partes magno in numero habet quæ ad uſum Medicum veniunt. Quænam ſunt. p. 386. Quid cornua proſunt. Cur ea deponit. Quid corium, ſi eo induatur homo. p. 279. & 387. Quid eſt os de ejus corde, & quid præſtat. ibid. Quid cor ipſum. ibid. Quid Priapus, Teſticuli, Pulmo, Sanguis. p. 279. & 388. Dicitur flere. p. 467. Quid lachrymæ ejus valent p. 279. 388. & 469. Unde oriuntur p. 470. Quid coagulum & Urina. p. 388. Ejus Dens, & ungula pedis ejus dextri. p. 279. Ejus adeps ſerpentes fugit. ibid.

Cede, quid nomen illud denotat. De variis Cetorum generibus ſermonem habuerunt Autores plurimi. Quid ex illo in uſum Medicum venit, ſicut & de Manati. p. 432.

Cherſidrus quid eſt, & quare ſic vocatur. p. 95. Juxta quoſdam ejus venenum ita perniciosum eſt ut mortuum tangenti mortem inferat. p. 96. vid. Natrix.

Chimanides, quænam ſit Herba, non datur. Quare venencſam eam dicit *Ardoin.* p. 235. Mala quæ provocat unde proveniunt; Eorum Curatio. p. 236.

Cicada quomodo inſervit Medicinæ. p. 441.

Cichoreum licèt n turâ ſuâ innocuum, tamen venenoſos producit effectus, diraque ſuſcitat ſymptomata. Quomodo & quonam tempore, quod probatur exemplo. p. 252.

Cicindela ad quid prodeſt, & quam habet vim in uſu Medico. p. 441.

Ciconia vim habet Alexipharmacam,

macam, parteſque ſui totamque ipſam ſe præbet Medicinæ, & ad quem uſum. p. 416.

Cicuta Venenum eſt homini infenſiſſimum. p. 188. & 189. Ejus ope innumeri ſunt necati, ut paſſim teſtantur Hiſtoriæ. Variè à variis appellatur. Ejus deſcriptio. p. 188. Duplex eſt, major & vulgaris. Ubinam reperiuntur. Ejus qualitatem narrant multi, ſed diverſè. Cum vino pota irremediabilis eſt. ibid. Orta in frigidis Regionibus non tam nocua quàm in Calidis. Symptomata ex ejus hauſtu. p. 189. 192, & 282. Modus curandi eos qui ab ea venenati ſunt. p. 190, 192, & 193. Differt à Toxico Cicuta p. 190. Aſinos inebriat. p. 191. & 189. Quo in uſu erat apud Athenienſes. p. 188. & 190. In qua quantitate poteſt occidere, vel non ibid. Externo illius uſu diverſi Morbi curantur. p. 191. Quibus particulis præditum eſt cicutæ venenum patet ex ejus affectibus. Botanici diverſas Cicutæ Plantas agnoſcunt. p. 192. Oſervationes circa ejus eſum. p. 193, 194, & 274.

Cimex ad quid valet. p. 441.

Cinnabaris quotuplex. Quid eſt Nativa, & ex qua conſtat materia. Quomodo vocatur. Uſus illius ſuſpectus. Daturne Cinnabaris Cruda. Quid factitia. Cinnabaris ſumptæ Symptomata. Eadem ſunt cum illis Argenti vivi. Deſcribuntur effectus illius in duobus Hiſtoriis à *Fernel.* & *Schenck.* relatis. p. 60. 61. Curatio eorum qui alterutram ſumpſerunt. *ibid.*

Citrus diverſè à diverſis Nationibus ac linguis nominatur, explicanturque diverſa hac nomina. p. 315, 316, & 327. Ejus deſcriptio. ibid. & p. 317. Ubinam oriuntur Citri. ibid. & p. 327. De ejus vi & qualitate non conſentiunt omnes, tamen vim Alexipharmacam habere patet ex Hiſtoriis allatis, multiſque Morbis quibus maximè convenit. p. 319, 320, 321, 353, & 355. Diverſis modis præparatur Citrus. Ejus poma condiuntur & Cortices, quomodo & ad quem uſum. p. 321. & 322. Ex ejus Floribus fit conſerva duplex, quomodo, & ejus qualitas. Deſtillatur aqua ex corticibus & ad quem uſum. Egregia decriptio Spiritus Citri. ibid. Ejus proprietas. Fit oleum deſtillatum, ejuſque uſus. Syrupi ex eo parantur,

rantur, eorumque deſcriptiones & proprietates. p. 323. Dantur ex eo Morſuli, corumque virtus & deſcriptio. ibid. Quid Balſami Citri nomine intelligunt Autores. De ejus Electuario tam cordiali quàm ſolutivo, eorum deſcriptiones & virtutes. p. 324. Eſſentia Citri liquida & ſicca quomodo conficitur. p. 325. & 347. Ejus lac. p. 325. Obſervatio circa duos Citros. ibid. Multæ aliæ obſervationes de Arbore Citria, ejuſque fructibus. p. 326. De præſtantia hujus Arboris. p. 328, & 354. Fugat affectus capitis, danturque Electuaria adverſus eos omnes. Adverſus frigidam cerebri temperiem. p. 330. Contra Vigilias, Paralyſim, Maniam, Melancholiam. p. 332. Pro Catharro, contra convulſiones, Imbecillitatem. p. 333. Et ſalivationem. p. 334. Citrus tollit affectiones Thoracis, omniumque ejus partium; deſcribunturque Electuaria ſingulis convenientia. Gargariſma in Angina. ibid. Ejus uſus optimus in Aſthmate, ſyncope, Pulmonum hydrope. Tollit palpitationem cordis. p. 334. Tuſſim fugat. p. 336. Abdomen liberat ab omnibus affectibus. Optimus eſt in ſingultu. Vomitum ſedat. ibid. Cotra choleram, Lienteriam, Dyſenteriam, Diarrhœam, Colicam, p. 337. Stranguriam, Calculos, Scorbutum, Cachexiam, Hæmorrhoidalem fluxum, Melancholiam, Hypochondriacam. p. 339. Alvi fluxionem, Teneſmum. p. 340. Ejus uſus in Morbis Mulierum, ſcilicet fœdo colore Virginum. ibid. Menſium ſuppreſſione, Fluore albo, nimio fluxu Catameniorum, Furore uterino, ad Abortum præcavendum. In uteri procidentia, p. 341. Paſſione Hyſterica, Malacia & Picâ. Ad Gravidarum vomitum ſedandum. In Hydrope Uteri. Contra Sterilitatem. p. 342. Adverſus omnes alios affectus Virginum, Monialium & Viduarum. p. 343. Ejus uſus commendatur in cruſta lactea, Achoribus, Faviſque Puerorum. In Ani procidentia. Fugat eorum lumbricos. ibid. Herniam ſanat. Vomitum eorum ſedat. Cicatrices variolarum tollit, variolas quidem expellit. p. 343. Febres omnes debellat, ſive intermittentes, tertianas, Hecticas, Malignas. p. 345. Peſtem fugat. Opti-

Optimus eſt in Lue Gallica. p. 346. In Gonorrhœa. Ephantiaſimque curat. p. 347. Validum remedium eſt in curatione Arthritidis ſcorbuticæ & non ſcorbuticæ. ibid. & p. 348. In Scabie, Aphthis & Plica. p. 349. In ulcere Brachii. In Eryſipelate. contra lentigines, volaticas. p. 350. In Gangrænis, Pernionibus, Fiſtulis, Doloribus dentium, Vulneribus à viperis illatis, Fiſtula lachrymali. Adverſus Varos. p. 351. Liberat à Phlyctænis. Opitulatur Hæmorrhoidibus. Lepram fugat. p. 352. Citrus convivia condecorat, Dapumque eſt ornamentum. p. 353. Veſtes à tineis præſervat. p. 320. & 353. Optimus eſt pro rubedine faciei. p. 354. In ſolvendis Margaritis, ac in aliis pleriſque œconomicis uſibus. p. 355, 357, & 358.

Clyſter diverſis appellatur nominibus. Quid in genere denotat. Varia etiam nomina trahit à diverſis partibus Corporis in quibus injicitur. Quomodo latè & in ſpecie definitur. p. 451. Ejus Origo. Duplici materia componitur. Quid utraque. Quomodo dividitur Clyſter. p. 452. Singulatim exponuntur quicumque, & pro ratione eorum facultatum. ibid. & p. 453, 454, & 455. Quare Clyſter innocentiſſimum eſt remedium. p. 453. An Clyſteres nutrientes poſſunt nutrire corpus. p. 455. Modus adminiſtrandi Clyſterem, & eo uti. De tempore quo adhiberi poteſt. De ſitu ægri dum recipit eum. De ejus quiete poſt injectionem. p. 456. Quo tempore abſtinendum eſt ab eo. De illius uſu & effectu. p. 457. De novo inſtrumento ad ejus uſum, & à quo inventum. Ut ſtrenuè operentur quid agendum. Quid in eis periculoſum. De Clyſtere ſolvente ex Tabaci fumo confecto. Quid diligenter vitare debent Pharmacopæi in conficiendis clyſteribus. p. 458. De clyſmatica & enematica Chirurgia. A quibus primò inventa, & quomodo fit hæc operatio. p. 459, 460. Multa Curioſa ſymptomata è clyſteribus orta. ibid.

Cochlea quid eſt. Quænam ſui partes exhibet Medicinæ, & ad quem uſum. p. 388. & 389.

Cohobba quid & unde eſt. Cui ſimilis. Ejus effectus p. 242.

Colchici radix juxta peritiores non

non eſt Hermodactylus, ut & alii volunt. Venenoſa eſt, non verò Hermodactylus. Ejus uitlitas juxta Arabes. Datur varia ſpecies Colchici, unde multi unam pro alia ſumpſernnt. p. 194. Vulgò dividitur in venenatum Ephemeron dictum, & non venenatum quod propriè Hermodactylus eſt. p. 195. vid. Ephemeron.

Colocynthis quid eſt. Variè à variis linguis nominatur. Ejus deſcriptio. Quare veneni naturam redolet. Cauſa malorum quæ producit, eorumque curatio. p. 244.

Columba Avis fœcunda Medicinam ſuis partibus, totoque ſuo corpore in multum juvat, & quomodo. p. 416. Modus parandi ex ea aquam anticolicam. Columbæ ſylveſtris uſus maximus eſt. Daturque ratio eam præparandi. p. 417.

Concha quid eſt. Quotuplices ſunt. p. 432.

Cor in homine dicitur primum vivens & ultimum moriens. p. 595. Quaſi in Veſica continetur. p. 597.

Coriandrum eſt-ne venenoſum. De hoc diversè ſentiunt Medici, diverſos ei tribuentes effectus, & illud ad varios admittentes uſus, Medicamenti ſcilicet & Veneni. p. 203. & 204. Sunt qui medium tenent, Sylveſtre venenum dicentes, Domeſticum verò non. Aſt ſecundùm alios veneni naturam redolet in quantitate ſolùm. Deſcriptio Coriandri. Symptomata ex ſuccò hujus Plantæ aſſumpto, & unde oriuntur. p. 205. & 206. Ejus Curatio. ibid.

Cornix, quid uſui Mecico præbet, & quomodo. p. 417.

Corvus non ſolùm ſui partes, ſed & pullos ſuos Medicinæ concedit, & ad quem uſum. p. 418.

Coturnix duo tantùm præbet Medicis. Quænam ſunt, & eorum uſus. Habetur ejus Hiſtoria apud *Franz.* p. 418.

Crocodilus Lacertorum quoddam genus eſt. Ejus Etymologia. Quodnam eſt Animal. Ejus Ovum, Ejus Magnitudo, & quouſque extenditur. p. 119. Quomodo morſum ſuum imprimit. Deſcriptio ab enumeratione partium hujus Animalis. De Lapide qui reperitur in ejus ventriculo. Symptomata ex ejus accerbiſſimo morſu, & unde oriuntur. p. 120. Quædam notanda circa ejus horribilem morſum ob ſeriem

ſeriem dentium. Remedia huic morſui convenientia. p. 121. Dicitur flere. p. 467.

Crocus à quonam in Claſſe venenorum reponitur, & quomodo. Quare mortifera parit Symptomata. Ejus Curatio. p. 235.

Cuculus quid prodeſt Medicinæ, & ad quem uſum. Ejus Hiſtoria apud *Franz.* p. 418.

Cucumer Aſininus quid eſt. Ejus deſcriptio. Ejus uſus p. 236. Ex ejus aſſumptione quid ſequitur. Ex ejus Symptomatibus quid colligitur. Hujus veneni Curatio. p. 237.

Cuniculus quid eſt, & quid ex eo Medicina trahit. p. 389.

Cyclamen quid de eo dicit *Dioſcor.* Quomodo vulgus hanc Herbam nominat, & quam ob cauſam. Ejus virtus, & ex ea quid colligitur. p. 239. Ejus curatio. p. 240.

Cynogloſſa quæ & Cynogloſſum dicitur, unde ſic nuncupatur. Quid eſt. In quibuſnam locis oritur. p. 227. In quo conſiſtit ejus venenoſitas. Quomodo vitiat ſanitatem hominis. Ejus ſymptomata & Curatio habentur in Capite de Opio, cui ſimilia ſunt. p. 228.

Cynoſbaſti Cornu quid eſt. Ejus natura, Symptomata, & Curatio. p. 248.

D.

Datura à multis Stramonium vocata quid eſt. Quare inter venena reponitur. Quid de ea referunt Autores. Aſſumpta eadem producit ſymptomata ac Opium, & quare. p. 220. Curatio illius veneni convenit cum illa Opii. p. 221 vid. Opium.

Dentes, eorum Etymologia & definitio. p. 586. Eorum durities, generatio & ſubſtantia. Quare erumpunt citiùs in brutis. Quanam ætate erumpunt in homine; quinam primò exeunt. Quo tempore, & quomodo fit dentium permutatio. p. 587. Eorum ſitus. Quomodo vocantur illi qui circa vigeſimum aut trigeſimum ætatis annum erumpunt. Ex triplici eorum figurâ, tria habent nomina, & cur ſic vocantur. Non idem eſt numerus in omnibus. Major numerus vitam longam promittit. De eorum ſuperficie, arteriâ, venulis & nervis. Unde provenit dentium dolor. p. 588. De eorum uſu & quotuplex. p. 589, & 593. An dentes ſentiunt & quomodo. ibid. & p. 590. Diverſæ opinio-

niones circa quæſtionem, an primi dentes ſint veri dentes, & qui poſtea erumpunt ſint novi. ibid. & ſeq. Sunt ne partes corporis ibid. Reſpondetur contrariis argumentis. p. 592. Ex qua materia fiunt. Cur decidunt, & renovantur. Cur augentur, & increſcunt ibid. Quare diſcrepant ab aliis oſſibus. Quot ſunt differentiæ Dentium. p. 593.

Dipſas unde nomen ducit, & quare ſic vocatur. Alii inter ſpeciem aſpidis eam adſcribunt, alii verò eam ab illa diſtingunt, & quare. Symptomata ejus morſus. p. 93. Ejus effectus deſcribit *Lucan.* Origo ſymptomatum ejus. p. 94. Ejus curatio. p. 95.

Doronici radix, quomodo nocua eſt. Diverſa opinio de illius veneni ſuſpicione. Confunditur cum aconito & napello. p. 183. & 184. vid. Aconitum.

Draco duplex eſt, terreſtris & marinus. Quid ſecundus qui & Araneus dicitur. Quid primus. Ejus forma, color, & magnitudo. p. 115. Pro diverſitate linguarum diverſa nomina habet. De ejus ore & morſu. In qua parte ſui corporis vim ſuam habet, & quomodo. Sunt qui Draconem illum veneno non ſolùm carere, imò remedia ex eo peti ſcripſerunt; Alii verò non, & quare, & in quibusnam Regionibus. p. 116 In quo differt Mas à Fœmina. Curioſa Hiſtoria de illo. An ſunt Dracones Aligeri. Quid de veneno Draconis ſentit *Heliodor.* Quid de ejus morſu narrant alii Autores. Quid ex eorum ſententia concludendum eſt. Quid de Marini Draconis veneno ſentiunt autores. p. 117. Quot ſunt genera hujus Draconis, & in quo differunt juxta *Salvian.* quomodo venenatus eſt, an ictu aut morſu, & in quo pendet ejus venenum. Hic ipſe Draco ſuum eſt remedium, & quomodo. Alia remedia. p. 118. 119. & 173. De veneno Draconis terreſtris ſive maris ſive fœminæ. Ejus ſymptomata. p. 118. Et unde oriuntur. Ejus remedia. p. 119.

Dracunculus quotuplex. Ejus ſeſeminis virtus & efficacia. p. 249. vid. Dragontea.

Dragontea dicitur Serpentaria & Viperina. Sunt qui nocuam, alii verò innocuam dicunt. Symptomata ex ejus ſemine in cibo & potu ſumpto. p. 249. Eorum cauſæ & Curatio.

tio. p. 250.

Dryinus quomodo à Latinis vocatur, & unde nomen ejus ducunt. Ejus longitudo, Color & forma. Malitia ejus veneni ſive vivus ſive mortuus ſit. Accidentia ejus morſum ſequentia. p. 101. & 102. Ejus medela. ibid.

Dutroa quid eſt. Ubinam naſcitur. Ejus effectus, & quomodo eos producit. p. 258.

Duxumira. vid. Vingoſana.

E.

Echidna. vid. Vipera.

Echis. vid. Vipera.

Elephantus quodnam eſt Animal. Quid ex eo ſumunt Medici, & ad quem uſum. p. 389, & 390.

Ephemeron quare dicitur Colchicum. Quomodo diſtinguitur à Croco. p. 194. Diverſos producit effectus ac Hermodactylus, unde ab illo differt. Hæc Planta humanæ naturæ inimica eſt. Sumpta producit gravia ſymptomata. Ejus Curatio. p. 195.

Equus quodnam eſt Animal. Quid ex ejus partibus ſumitur pro uſu Medico. De illo habetur Bezoar, & quale. p. 390. & 391.

Equus Marinus quodnam eſt Animal. Quid ex illo ſumit Medicina & ob quem uſum. p. 391.

Erica Baccifera; à quo ſic vocata, & quare, Ubinam oritur hæc Planta. Ejus deſcriptio. p. 219. Effectus quos parit ejus eſus. Signum ejus veneni: Curatio illius. p. 220.

Erinaceus quid eſt. Quænam illius partes Medicinam ingrediuntur, & ad quem uſum. p. 391.

Erucæ Pini quotuplici modo nocent homini. Symptomata veneni talis infectæ, quoquo modo ſit inflictum. Quid ex illis colligitur. Ejus Curatio. p. 151.

Eſula pro omni genere Tithymalorum indifferenter ſumitur. Tamen ſpecies eſt Tithymali. Non datur ejus Etymologia. In Medicina nullum habet uſum. Quare Ruſticis magis quàm Nobilibus inſervit. Quomodo gravia excitat Symptomata. Ejus proprietas. p. 214. Quomodi fraudi Mendicorum inſervit. Quænam producuntur Symptomata ex ejus veneno aſſumpto, & unde oriuntur. Ejus Curatio. p. 215.

Euphorbium quid eſt. Quæ Plan-

tà à quo inventa, & unde nomen habet. Variè à variis deſcribitur Autoribus. p. 209. Quid verò eſt tanquam venenum. Ejus deſcriptio juxta Autorem noſtrum. Aſſumptũ valdè damnoſum eſt homini. Ejus Symptomata, & Curatio. p. 201. Ejus oleum venenum eſſe dicunt aliqui, alii verò non. p. 273.

Experientia Magiſtra rerum eſt, quam ob rem ad eam confugiendum, repugnante etiam ratione. p. 568.

F.

FAmiliaritas nimia contemptum parit. p. 569.

Febris quartana quare ſic dicitur à Latinis. Quid eam dicit eſſe *Octav. Oratinus*. Quid de ea *Ricard*. Ejus definitio, ac diviſio. p. 474. In ea quænam pars corporis affecta eſt. Signa Diagnoſtica illius. p. 475. Ejus cauſa & origo juxta diverſos Autores. p. 476. & 477. Quandonam fit longiſſima, & ad quot uſque annos perſeverare poteſt. Ex ejus pertinacitate quid oritur. Quinam ab ea faciliùs liberantur. p. 478. Triplex ejus Curatio. De utraque diſſeritur. p. 479, 480, 481, & 482. Varia remedia tam topica quàm Specifica. p. 481. Quædam Hiſtoriæ de illa Febre. p. 482.

Fel Canis Piſcis quantùm venenatum eſt. Symptomata ex ejus aſſumptione. Quid ex illis colligitur. Hujus veneni Curatio. p. 174.

Felis cerebrum æquè ac ejus ſanguis inter venena connumerantur. Eorum effectus, ſi pro cibo ſumantur. Cauſa illius veneni, ejuſque Curatio. p. 163, & 164. Ejus anhelitus mortiferus. p. 275. Felis maximè Sylveſtris multas Medicinæ præbet partes. Quænam ſunt & ad quem uſum. p. 392.

Ferrugo. vid. Ferrum.

Ferrum, quod etiam Mars dicitur, quare ignobilius eſt Metallum. Materiam præbet venenis. Cur tardè fluit in igne. Cur promptè igneſcit. Cur verò minimè eſt ductile. Quare particulas habet rigidas. Quomodo fit rigidiùs. p. 75. Quid accidit cùm in corpore hæret, aut ejus ſcoria, vel ferrugo. Undè oriùntur illius ſymptomata. Ejuſque Curatio. p. 76.

Ficedula unde ſic dicta. Ejus uſus in re Medica. p. 419.

Ficus Pharaonis quid eſt. Ejus natu-

natura. p. 248. ſymptomata quæ ex ejus eſu inſurgunt, & quid ex illis colligitur. Signa hujus veneni. Ejuſque Curatio. p. 249.

Flos Americanus quomodo vocatur. Quænam eſt Planta. Ejus odor cui ſimilis. Quid de ea dicit *Dodon.* Symptomata hujus floris aſſumpti, & Curatio quæ eadem eſt ac illa Veneni Cicutæ. p. 221.

Fœniculum quamvis ſuâ naturâ innocens, tamen ex illius eſu peſſima poſſe oriri Symptomata probatur quâdam Hiſtoriâ. Quomodo & quo tempore. p. 252.

Formica quid præbet Medicinæ, & ad quem uſum. p. 441.

Fraxini Succus antidotum eſt admirabile adverſus ſerpentum morſus, juxta *Plin.* Item pocula ex eo facta, quod tamen fabuloſum habent alii. p. 278.

Fumus venenatus à quadam fœmina præparatus, ejuſque effectus. p. 271.

Fungus unde nomen ſuum habet, Voluptuariũ venenum à *Seneca* dicitur; Sic quidam Fungos cibum & filios Deorum dixerunt. Duplex Fungus, alius optimus, alius pernicioſus. p. 179. Deſcriptio utriuſque. Multa funeſta exempla ex eorum eſu. Symptomata Fungorum venenatorum. Eorum cauſa & Curatio. p. 180.

G.

GAllus uſui Medico multas ſui partes præbet, ſicut & Gallina nec non & Capo. Quænam ſunt partes illæ. Singularum earum virtutes indicantur & medicamenta. p. 419. & 420.

Granum Nubiæ quid eſt. Ejus natura pariter ignoratur ac particulæ quibus componitur. Tamen de eo tanquam veneno omuium peſſimo ſcribunt Autores quidam. De ejus curatione tractat Sennert. p. 219.

Grus ſe ipſum integrum Medicinæ tradit, & ſeorſim quasdam ſui partes. Quænam ſunt, & cujus utilitatis. p. 421.

Grillus ad quid commendatur in uſu Medico. p. 441.

Guaïacum quid eſt. Ubinam reperitur. Ejus fructus venenoſus eſt. Quo in uſu erat apud Barbaros ejus ſuccus. p. 258.

Gummi Gutta ſeu Gutta de Jemou quid eſt. Variæ opiniones de ejus generatione. Aſſumptio hujus virulenti ſucci graviſſima producit Symptomata,

& quid ex illis colligitur. p. 254. Indicationes Curativæ. p. 255.

Guſtûs depravati obſervatio. p. 531. Deſcriptio cauſarum ſymptomatum in guſtu. p. 533. Quomodo fit guſtus. p. 534 Diversè in ſanis ac infirmis contingit. p. 535.

Gypſum quid, & ex qua materià eſt. Inter venena recenſetur. p. 41. Ejus ſymptomata, & Curatio. p. 42.

H.

Hæmatogoga quid eſt. De ea tractat *Galen.* Quibus conſtat particulis. Quid mali producit, ſi aſſumatur. p. 220.

Hæmorrhous quid eſt, & unde ſic dictus. p. 89. ſignum ejus veneni illati, ejuſque curatio. p. 90.

Halecus, ubinam familiaris eſt ille Piſcis. Quid ex eo in uſum Medicum ſumunt Medici. p. 433.

Harmenes. vid. Baſiliſcus.

Helleborus eſt-ne venenum, de hoc valdè diſſentiunt Autores. Aliqui illum Medicamentum alii maximè laudant, alii verò rejiciunt. p. 217. & quare. Quomodo à Latinis vocatur hæc Herba, & quare. Quomodo ab eis diſtinguitur. In quo conſiſtit vis hujus Herbæ. Ejus effectus. Symptomata, & unde inſurgunt. Ac tandem curatio. p. 218. Ejus oleum venenoſum eſſe dicunt aliqui, alii verò contrarium. p. 273. Ejus radix exanimatos Scorpiones ad vitam revocat, viruſque eorum mortificat. p. 445. 446.

Hirudo à quo verbo nomen habet. Ejus uſus in re Medica. p. 126. & 442. Quomodo fit nocuus. Laudatur ab aliquibus Nationibus, ab aliis verò culpatur. p. 126. Incommoda quæ ab ejus uſu proveniunt, quæque confirmantur multis Hiſtoriis. Quomodo Hirudines ulcera & quidem gangrænam excitant. Curatio hujus gangrænæ. Altera Curatio ſi faucibus adhæreat Hirudo, aut per os ſit ingeſta. p. 127, & 128. ſignum ejus deglutitionis. ibid.

Hirundo duplex eſt. Quid utraque. Quænam prævalet, & quid uſui Medico præbet. p. 422.

Hiuca quid eſt. Cui ſimilis. Deſcriptio radicis ejus. In quo conſiſtit ejus venenum. Quomodo ſalutifera ſimul & lethalis

lis eſt. p. 224. Cur ſuccus ejus venenoſus eſt, Farina verò ſalubris. p. 225.

Homo inter Animalia primus. Innumera ex innumeris partibus Corporis ejus ad uſum Medicum medicamenta præbet. Quæ ſunt illæ partes, & quomodo præparantur ab arte Medica ad ſananda vulnera, morboſque curandos. Morſus hominis quomodo venenoſus, & quid inde ſequitur. p. 392. uſque ad 395. Ejus ſaliva dicitur ſcorpiones interimere. p. 445. Ejus vita perpetuæ lachrymæ. p. 463. & continuus Morbus. p. 473. Quare ſolus inter animalia maximè luget. p. 467. Ubi mox naſcitur, incipit ægrotare. p. 473. Diverſi Morbi quibus, experientia teſte, obnoxius eſt. ibid. In patria adhuc hoſpes eſt. p. 501. Proprietates ejus ſalivæ. p. 518. vid. Saliva humana.

Huemberequa quid eſt. Ejus Symptomata, & quid ex illis colligitur. p. 260.

Huſus Ichthyocolla, ubinam familiariter degit ille Piſcis. Quid præbet uſui Medico. p. 433.

Hydrus quid eſt, & quare ſic vocatur. p. 95. Hydri raro lædunt. Contrarium narrat *Virgil.* p. 797.

Hyoſciamus diverſis nominibus appellatur. Quare nomine Alterci ſalutatur. Variæ ſunt illius ſpecies apud Botanicos, omnes noxiæ juxta *Sennert.* Albus minùs noxius, imò valde utilis in quibusdam morbis. Deſcriptio nigri. p. 196. Obſervatio *Clauder.* circa ejus uſum. Ejus venenoſitas experimentis patet. Unde proveniunt prava ſymptomata ab illius aſſumptione excitata. p. 197, & 282. Multa de ſeminis illius pernicie experimenta. Hujus veneni curatio. p. 198. De veneno ex ejus ſemine & flore confecto, & ejus effectibus. p. 274. Succus ejus quomodo cimices necat. p. 441.

I.

JAculus. vid. Cenchris.

Juglandis Arboris deſcriptio habetur apud Botanicos, maximè verò apud *Manget.* Quare inter venena locum habet. p. 213. Datur curatio pro qualitate hujus veneni. p. 214. Pernicies illius umbræ. p. 258.

Juniperi gravis & noxia eſt umbra juxta *Virgil.* p. 258.

Ixia. vid. Camæleon.

L.

LAc coagulatum ex ſe non eſt venenum, ſed nocere poteſt, & quare. Præcautio medici in ejus uſu. Prava ſymptomata producere poteſt. Remedia. p. 165.

Lacerta inter Animalia venenoſa numeratur. Quare vulnuſculum quod infligit curatu difficile eſt. p. 121. ſymptomata ex ejus morſu. Indicatio curandi. p. 122. Lacerta à Vipera ſaucia quomodo curatur. p. 134.

Lacertus, ad quid commendatur in re Medica. De lapide qui reperitur in ejus capite. p. 442 vid. Crocodilus.

Lacrymæ quomodo vocantur à multis, & à quo verbo. De earum origine, cauſis ac materia variæ opiniones. p. 464, 465, & 466. Quare ſolus homo inter animalia maximè luget. Lugent etiam Crocodili, Cervi & Canes, & quare. Cur fletus diu perſeveret, quàm riſus. Decet-ne virum lacrymari. Lacrymæ ſunt magnum ſolatium. p. 467. Quomodo dividuntur. Impropriè ſumitur lacryma & quomodo. ibid. & p. 468. De involuntaria lacrymatione. De lacrymis ſanguineis. ibid. De lacrymis cervi, earum proprietate, & unde oriuntur. p. 469, & 470. De lacrima vitis impropriè dicta. p. 471.

Laudanum Opiatum quomodo remedium & venenum dici poteſt. Ejus effectus. p. 273.

Lazuli lapis, qui & Armenus dicitur, quamvis eo durior, ab Autoribus non ſimpliciter inter venena numeratur, ſed etiam inter fortiora purgantia. Qualem vim ei tribuit *Meſues*. Ejus qualitates & effectus præſertim ſi non præparatus & in nimia quantitate ſumatur. Ejus curatio. p. 50. vid. Armenus lapis.

Leo plures ſuppeditat partes quibus adjuvatur medicina in debellandis morbis. Quænam ſunt partes illæ, & quomodo ſanitati humanæ proſunt. p. 396.

Lepus Marinus quid eſt. Ejus deſcriptio habetur apud *Rondelet.* non ſolùm venenoſus eſt, ſed & ejus viſus. Tetrum ſpirat odorem, & quare. Quid ſupervenit ex illius eſu. Cauſa datur talium ſymptomatum. In quo conſiſtit vis hujus veneni. Sunt qui dicunt ſolùm pulmones exulcerare, alii verò omnes alias

lias Corporis partes. p. 169. & 281. Ejus curatio. p. 169.

Lepus quodnam eſt Animal. Deſcribuntur partes illius quæ arte medica præparatæ maximum juvamen afferunt in diverſis morbis profligandis. p. 397. & 398.

Limeum quid eſt. Quomodo vocabatur olim apud Gallos, & quo erat in uſu apud eos. p. 259.

Lingua quomodo, & in quo duas actiones habere dicitur. p. 533.

Lithargirium quid eſt. p. 61. Quomodo paratur ac conficitur. Duæ ſunt Lithargirii ſpecies quæ colore ſolùm differunt, unde diverſum nomen habet. Cauſa hujus diverſi coloris. Ejus prava ſymptomata & curatio. p. 62.

Locuſta quomodo inſervit Medicinæ. p. 442.

Lolium quid eſt. Ejus deſcriptio. Circa ejus originem diſcrepant Autores, varieque de ea ſcripſerunt. Quare dicitur venenoſum. p. 222. Ejus facultates & ſymptomata. Hujus veneni remedium. p. 223.

Lucius quasnam præbet partes Medicinæ, & quid valent. p. 434.

Lues venerea quomodo curatur per ſalivationem mercurialem, & quid ſentiendum de illa curatione. p. 540. & ſeqq. Non poteſt mitioribus remediis eradicari quin totum pereat corpus. p. 547.

Lumbrici quomodo, & ad quid ſunt utiles. Ex eis paratur oleum, & ad quid optimum. p. 442.

Lupus cujus naturæ eſt. Cui ſimilis. Quænam partes illius ad uſum medicum veniunt. Et quomodo præparantur ad ſuos effectus. p. 398.

Lynx quid eſt, & quomodo vocatur. Medicina ex eo ſumit Axungiam, Calculum & unguem, & ad quem uſum. p. 399.

M.

Magnes quid eſt, & ex qua materia conficitur. Ejus proprietas & virtus. p. 42. Eſtne Venenum, vel non, multi inter ſe diſcrepant Autores. Quomodo ejus ſymptomatibus occurrendum eſt, ſi intra corpus ſit aſſumptum. p. 43.

Majores noſtri non omnia habuerunt meliora. Eorum opiniones parùm erant exactæ. Omnia, in Anatome præſertim, dili-

diligenter ſcrutarunt & ſciverunt, nihilque perpendendum liquerunt; tamen multa inſuper videnda, maximè in Microcoſmo, reſtant, ſemperque ſperanda nepotibus noſtris reſtabunt. p. 501. & 503.

Malum Agaricum, tanquam venenum, diſtinguitur ab *Ardoyn.* in maſculum & fœminam. Utrumque deſcribit, eorumque proprietates enodat. Symptomata ex aſſumptione Mali Agarici nigri, & unde oriuntur. Eorum curatio. p. 243.

Manati. vid. Cete.

Mandragora cur ſic dicitur. Hiſtoria hujus plantæ habetur apud *Raïum*. Naturalem illius radicem deſcribit *Franciſc. Imperat.* p. 200. Quandonam floret, fructumque ſuum perficit. Quæſtio curioſa circa ejus virtutem ad venerem ac imprægnationem promovendam. Quomodo tanquam venenum porrigi poteſt homini, cùm guſtui ſit amara. Quare fit ut ſuccus ejus aſſumptus moleſta excitet ſymptomata. p. 201. 282. Licèt tardiùs interimet, tamen matura requiruntur remedia. ejus curatio. p. 201.

Mangas Sylveſtris quid eſt. Quid de veneno ejus incognito ſcriſit *Chriſtoph. à Coſta*. p. 224.

Maraſſus. vid. Vipera.

Marcaſita quid eſt. Variè pro varietate metallorum eam nominat *Renald.* Tres tantùm admittit *Manget.* triaque nomina ei tribuit. Quid eam eſſe dicit *Ettmull.* Ex his omnibus patet eſſe venenum. p. 69. Ejus ſymptomata & curatio. p. 70.

Mars. vid. Ferrum.

Maslach. vid. Aſſera.

Mater Perlarum quid eſt, & cur ſic vocatur. Quid habent ex ea Medici. p. 434.

Meconium. vid. Opium

Medicina quid eam dicit eſſe *Plato*. & ex illius definitionis cognitione quid ſequitur. p. 579.

Medicus qualis eſſe debet erga Deum, proximum, & ſe ipſum. p. 567, 571, 573, 574, 579, & 582. Medicorum præcipuus finis, morborum fugatio p. 479. Non eis data eſt poteſtas excruciandi ægros, hominesque necandi. Quomodo ſe gerere debet Medicus in praxi. Quid timiditas denotat in Medico, quid verò audacia. In prognoſi inſtituenda quid obſervare debet, ſicut & in conſultationibus. p. 568. De munditie corporis ejus. Metho-

thodus ab eo obſervanda circa ægrum apud quem vocatus eſt. p. 569. & 573. a compoſitis medicamentis abſtinere debet ubi ſimplicia ſufficiunt, nec adhibere debet ea quæ qualitatem occultam continent. p. 569, & 570. Non debet inſtituere evacuationem die critico ſine maxima neceſſitate. ibid. Quomodo cavere debet ne ars ſua omnium præclariſſima, omnium viliſſima exiſtimetur. Ejus officium circa collegas ſuos, & quid vitare debet erga eos. p. 571. 572. & 574. Signum ejus ignorarantiæ. ibid. Vitium ab eo fugiendum. ibid. Ad medendum vocatus, ſit promptus. p. 569, 573, & 576. Quomodo ægrotantes tutò curabit. Quibus medicamentis uti debet. De inquirendis, & obſervandis ab eo in prima infirmi viſitatione. ibid. & p. 574. Officium Medici circa morbos ſanabiles & inſanabiles. p. 570 & 574. Quare ingratos quidem infirmos negligere non debet. ibid. Quales morbos per Epiſtolas curare poteſt. Non debet nimis ſibi fidere, & quibus in caſibus alios vocare debet Medicos. p. 574, & 575. Quid agendo peccaret Medicus? ibid. & p. 576. Quid ejus prudentiæ convenit. p. 575. Ejus mores. p. 576, & 578. Quomodo gerere ſe debet in reconvaleſcentibus & pauperibus. ibid. & p. 577. Quid ſcire tenetur, & quare. ibid. Quid *Ricardus* ſufficienter agnoſcere non potuit. p. 474. Cui bono debet aperire cadavera. Qua ratione ægris à Medico gratificandum eſt & quare. p. 577. & 578. Quanam ætate prohibetur Medico exercere medendi artem, & quare. Quare non multos ægros curandos ſuſcipere debet. ibid. In quo Medici & Judices ſimilitudinem habent. ibid. & p. 579. Ad quid Medicus in medendo debet attendere. ibid. De elegantia corporis ejus, & quare non deformis ac defectuoſus eſſe debet. De ejus veſtitu. In medendis morbis debet ſolùm auxiliari Naturæ. p. 580. Quid obſervare debet in prægnantibus. In curandis corporibus fugare debet quidquid crimen redolet. p. 581. Non abuti debet Venæ-ſectione. p. 580. & 581. Cur ætas noſtra caret ſapientibus ac bonis Medicis. ibid. & p. 582.

Mel venenatum dari tradunt Autores. Quid de illo dicunt *Galen. Plin.*& *Dioſcor.* p. 225. Unde provenire poteſt tale mel. ſigna mellis venenati. Ejus effectus, & curatio. p.226.

Mel apum. vid. Apis.

Membrana pituitaria quid eſt. Quare dicitur pituitaria. Quid in ea obſervatur. p. 494. Quænam munera præſtat. p. 495. vid. Saliva humana.

Mercurii effectus in pulmento traditi. p. 271. Quomodo utendum eſt Mercurio in lue venerea ad excitandam ſalivationem. p. 540. & ſeqq. Uſus mercurii crudi non eſt adhibendus, & quare. p. 570. Nec non & pilularum ex eo confectarum. Ex ejus uſu quid inde ſequitut. p. 571. Vid. Argentum vivum.

Mezeræon quid eſt. Ejus deſcriptio. p. 233. Ejus vis. Quare ejus particulæ corpus humanum exulcerant. Ejus curatio. p. 234.

Milvus quid eſt, & quid ex ejus partibus ſumit medicina. p. 422

Minium ex quo & cujus ope fit. Quid in eo conſiderandum eſt quoad ejus pondus & rubedinem. Cujus ſaporis eſt. Dicitur venenum, & quare. Ejus ſymptomata & Curatio. p. 57.

Monoceros quomodo ejus cornu præſervat à venenis, illudque indicat. p. 278.

Morbi ſunt verbera Dæmonum, Satanæ vincula, & pœna peccati. Quomodo curabantur olim ab Apoſtolis. p. 582. Triplices ſunt Claſſes morborum, quorum unius curatio prohibetur medico, & quare. p. 570 & 574.

Moſchi capreolus quodnam eſt Animal. Ejus magnitudo & color. Ex eo Medicina recipit moſchum. Unde colligitur ille moſchus. Datur alius, & quomodo paratur. Quotuplex eſt juxta *Barthol.* Quomodo depuratur. Ratio parandi illius eſſentiam. Ejus effectus. p. 399 & 400.

Motacilla quid eſt. De ejus pulvere multùm prædicant aliqui Medici. p. 423.

Mulier menſibus laborans ſpiritus inquinatos habet, unde ſpeculum intuens ſicut & alia multat vitiat ac corrumpit. p. 104 Vid. Sanguis menſtruus.

Muræna quid eſt. Nullum in eis maſculum eſſe fabulosè dicitur. Ejus deſcriptio. p. 167. Ejus morſus venenoſus eſt, & ſimi-

ſimilis morſui Viperæ, eademque pârit ſymptomata, remediaque poſtulat. p. 168.

Murckion aliàs Mirckion quid eſt. Sunt qui naturam ejus, licèt incognitam, enodant; ejuſque ſymptomáta, & quid ex illis colligi poteſt, tradunt. p. 240, Ejus curatio ad Napelli capitulum remittitur.

Mus Araneus quare dicitur Mus & Araneus. Deſcriptio hujus Animalis. Differt à mure domeſtico & in quo. Occiditur à fele, non verò editur. Ejus morſus quadruplex eſt & perniciosſus. p. 136. Quomodo venenum ſuum communicat ſive vivus, ſive mortuus ſit. Symptomata ex ejus vulnere inflicto. Eorum curatio. p. 137.

Mus domeſticus quomodo & ad quos uſus deſumitur à medicina. Formula cujuſdam unguenti ex mure alpino confecti, ejuſque efficacia. p. 401.

Muſcæ omnes non ſunt venenatæ. Quænam, & quomodo peſtiferæ fiunt. p. 151 Horum animalculorum veneni malignitas ſicut & veſparum & apum colligitur ex ſymptomatibus. Modus curandi ictum ab illis inflictum, maximè ſi aculeus in vulnere ſit relictus. p. 152, & 153. Quid ex illis ſumit medicina. p. 443.

Muſica remedium eſt contra venenum à tarantula inflictum, ejuſque ſymptomata ſedat. p. 142, & 143. Vid. Tarantula.

Muſtela quomodo â Bufone occiditur. p. 134.

Muſtela piſcis, quid ex ea ſumit medicina, & ad quem uſum. p. 435.

N.

N*Apellum* vulgò dicitur Aconitum magnum. Tamen differt ab eo. Ubinam creſcit. Quare non tutum eſt illud in hortos deferre. Confunditur cum Aconito & Dorico. p. 183 effectus Napelli. p. 187, & 282. Quid contra ejus virulentiam indicatur. p. 279. vid. Aconitum.

Natrix quid eſt, unde diverſa ſortitur nomina, tam apud Autores Medicos, quàm Poëticos. p. 95. ſymptomata ex ejus vulnere, & unde ſuam habent originem. Ejus curatio. p. 96.

Natura nobis ingenuit metum venenatorum animalium. p. 130 Differt à Natura ſicut Alimentum ab Alimento. p. 184 Paucis contenta, ſimplicibus

gaudet, & quare, p. 569. Sæpe ei committenda eſt curatio multorum affectuum. p. 570. Quæ natura appetit ægris non ſunt deneganda. ibid.
Nepa. vid. Scorpio.
Nerium multis nominibus appellatur à nonnullis. Deſcriptio hujus Plantæ. Quare inter venena connumeratur. p. 212. Symptomata ex ejus aſſumptione, & unde oriuntur. Ejus curatio. p. 213.
Nigella ſylveſtris, ſunt qui eam venenatam eſſe dicunt alii verò contrà. quomodo & cujus ope poteſt eſſe venenum. Symptomata illius aſſumptæ. Ejus curatio. p. 228.
Noctua quid Medicinæ præbet, & ad quem uſum. p. 423.
Nux metella cum nuce vomica confunditur juxta quoſdam, juxta verò alios ab ea differt, niſi ſolo fructu quem ſimilem habent. Sunt qui dicunt eſſe fructum ſtramonii. Venenum eſt medium tenens inter Opium & cicutam juxta *Cardan*. Intra corpus aſſumptum prava producit ſymptomata, & unde oriuntur. Ejus curatio. p. 211.
Nux vomica quid eſt. p. 215. Ejus deſcriptio ſecundum *Raium*. Eſt ne venenum tam Brutis quàm hominibus. Ex illa à Cane devoratâ quid inde ſequitur ac colligitur. p. 216. Symptomata quæ ex ejus aſſumptione aſſurgunt, unde oriuntur. Curatio talis veneni. p. 217.

O.

O*Culi* plus vident quàm oculus. p. 575.
Oleander. vid. Nerium.
Olor qui & Cygnus dicitur quodnam eſt genus avium. Non ſolùm partes illius medicinæ inſerviunt, ſed & pulli, & ad quem uſum. p. 424.
Opium non idem eſt ac meconium, & in quo differt ab eo. quare multi credunt opium eſſe lac & lacrymam papaveris. quare inter calefacientia, non verò inter frigida numeratur. Ob ejus mirandas operationes magna de illo fit inter Medicos alteratio. quomodo dicitur maximum remedium, & è contra quomodo venenum. Diverſos producit effectus apud Europæos, & apud Orientales. p. 175. Diverſæ Nationes Orientis ad diverſos uſus ſicut & mulieres diverſè illo utuntur. p. 176. In quo conſiſtit vis ejus venenata, patet

patet ex variis ſymptomatibus. p. 177. Symptomata ab opio ſumpto. p. 178. & 281. Eorum curatio. p. 178.
Oryza. Quare ejus cortex inter venena connumeratur. Symptomata ex ejus aſſumptione & unde oriuntur. Ejus curatio. p. 223.
Oſſa quare ſunt corporis partes. p. 591.
Oſtreæ quid præſtant uſui Medico. quid ſingulare habent. p. 432.
Ovis lupo inimica multas partes habet Medicinæ perutiles. Deſcribitur earum uſus. p. 401. & 402.

P.

PArdalianches. vid. Aconitum.
Paſſer duplex eſt. quomodo nuncupantur. Eorum uſus & utilitas in arte Medica. pag. 424.
Paſtinaca Marina cur ſic vocatur. Ejus deſcriptio habetur apud *Aldovrand.* quomodo animalia, imò Arbores perdere poteſt. qualitas veneni hujus piſcis. p. 171. Signa & ſymptomata illius. Remedia. p. 172.
Pavo avis Medica. Ejus partes Medicinæ inſervientes, & ad quem uſum. p. 425.
Pediculi in quo laudantur à Medicis. p. 443.
Perca quid dat Medicinæ, & cujus pretii. p. 435.
Perdix ad quos uſque vivit annos. Partes illius quibus adjuvatur medicina, earumque virtutes. p. 425.
Pericardium quid eſt. In homine ſemper reperitur. Ejus neceſſitas. p. 595. Ejus ortus & ſitus, ſuperficies & ſubſtantia. De duplici ejus uſu. p. 596. De humore in illo contento, unde provenit & quid eſt. p. 597. Cujus utilitatis eſt liquor iſte. Quare in mortuis major copia illius aquæ in pericardii cavitate reperitur. De ejus quantitate & colore. Humor qui è latere. Jeſu Chriſti aperto cum ſanguine fluxit, Pericardii fuit ne liquor. p. 598.
Perſeæ fructus apud Perſas noxius eſt. Apud Aegyptios verò contrà. Deſcriptio Arboris & fructûs. p. 241.
Pharicon unde ſic dicitur. De eo meminerunt *Dioſcor.* & *Sennert.* p. 185. De ejus veneno, & ex qua Planta petitum eſt, non ſatis expertum eſt. An ſimplex vel compoſitum eſt. Antiqui ex eo tela inungebant. p. 186. Remedium quo
Hiſ-

Hiſpani utebantur. p. 188.

Pica ex ea paratur aqua antepileptica. Ejus deſcriptio. p. 426.

Piper Mexicanum quomodo prava ſymptomata producit. p. 260.

Pituita vid. Saliva humana. p. 495.

Planta Japonenſium quomodo vocatur. Ejus deſcriptio. Quare magni æſtimatur à Japonenſibus. Ejus Antidotum. p. 250. In quo conſiſtit cauſa ejus veneni. Ejus ſymptomata, p. 251. Quid operatur ſuccus hujus venenatæ plantæ ad radicem alicujus ſalubris plantæ poſitus. p. 260. Quædam ſunt Plantæ quæ ſerpentes expellunt. p. 279.

Plumbum quodnam metallum eſt, & ex qua materia. Quid notandum circa Mercurium ex quo conficitur, & in quo diverſus eſt à Mercurio vulgi. Hauſtum horrenda producit ſymptomata. p. 79. Unde deducuntur. Plumbum dicitur Saturnus unde medicamenta ex eo parata parùm tuta judicantur ab *Hoffman.* aliisque autoribus, ut videre eſt plurimis exemplis ab illis omnibus relatis. p. 80. Ejus curatio. p. 81.

Poëſis in quantum utilis eſt Medico. p. 572. & 574.

Pomum mortis eſſe dicit *Cardan.* illudque deſcribit. Et poſt eum ſunt qui fructus ejus eſum lethalem dicunt. Symptomata tamen, nec non particulæ quibus componitur, ignorantur. p. 241.

Porcus. vid. Sus.

Ptyaliſmus quid eſt, & quomodo dividitur, ac definitur. p. 527. Unde ortum ſuum habet. ibid. De Ptyaliſmo ſymptomatico. p. 529. In variolis lethalis eſt. p. 530. vid. Saliva humana.

R.

RAna aquatica multas ſui partes medicinæ præbet, maximè vero ſperma, miræ virtutis. p. 435. Ranæ virides in quartanis febribus multùm inſerviunt. p. 481.

Ranunculus Planta. vid. Apium.

Ranunculus quodnam Animal eſt. Ejus color à quo nomen habet. Eum medicina recipit in uſum, & ſpecialiter ejus ſanguinem, & quomodo. p. 402. & 403.

Realgar. vid. Arſenicum.

Regula generalis in arte medica. p. 570.

Regulus. vid. Baſiliſcus.

Remedium; quod ſpectat uſum chi-

chimicorum remediorum, medium tenuere beati. p. 570. In uno tantum remedio ſpes omnis non eſt collocanda. p. 573. Quare multa ſunt homini remedia, quæ venena ſunt animalibus, & vice verſa. p. 184. & 192.

Rhinoceros quodnam eſt animal. De ejus vi alexipharmaca. Ex eo paratur oleum haud non rarum. p. 403.

Ricinus planta, inter venena adſcribitur, & quare. p. 246. Dicitur etiam cataputia major, & eſt de genere tithymalorum, eademque parit ſymptomata, quæ pari modo curantur. p. 247. Quare iſtis Herbis tanquam venenoſis abſtinendum eſt. ibid. effectus olei Ricini. p. 272. & 273.

Ricinus, inſectum, quid medicinæ prodeſt. p. 443.

Rubeta, qualis eſt ejus malignitas. p. 104. & 130. Remedia adverſus ejus venenum. Multa curioſa circa illud. p. 133. De lapide qui in ea oriri dicitur. Quiſnam ille lapis. Deſcriptio Rubetæ. p. 135. vid. Baſiliſcus & Bufo.

Rupi Capra quodnam eſt animal. Ubi moratur. Ex ea medicina frequentes in uſus habet partes. Quænam ſunt, & quo modo in remedium veniunt. p. 382. & 383.

Ruta ſylveſtris quid eſt. Ejus deſcriptio habetur apud *Matthiol.* Quid de ea narrat *Plin.* Symptomata ex ejus aſſumptione. Eorum cauſa. p. 231. Et curatio. p. 232.

S.

SAl ammoniacum quotuplex. Quomodo venenum & remedium eſt. De eo tanquam veneno tractat *Dioſcor.* nec non & *Plin.* ejus originem tradens. p. 51. communis opinio circa illud. Cui alio Sali videatur aſſimilari. p. 52. & 53. natura illius venenoſi ſalis. Ejus ſymptomata ſi aſſumatur, & præſervatio ab illius aſſumptione. ibid.

Sal commune ſicut & ſaccharum imbutum ſpumâ Bufonis venenum eſt. p. 275.

Salamandra. Ejus jocoſa etymologia. Quare ſic vocatur. Vis veneni hujus Animalis juxta *Iſidor.* & *Matthiol.* De ea multa fabuloſas omniarunt Majores noſtri. Quidam verò rectius ſenſerunt explicando veram ejus naturam & proprietatem. p. 124. & 125. Accidentia ſupervenientia infectis ejus

ejus veneno, & quid ex illis colligitur. Remedia ad ejus curationem præſcripta. ibid & p. 126. Ejus proprietates in arte medica. p. 443.

Saliva humana, quare dicitur Saliva p. 491. Variæ ejus definitiones, variaque nomina juxta diverſas Doctorum ſententias. p. 492. Explicatur definitio autoris noſtri. ibid. & p. 493. Differt à ſputo, & in quo. ibid. Quomodo differt etiam à muco. ibid. & p. 494. Quomodo differt à Lympha. p. 495. Non differt à pituita antiquorum. Quare deſcriptionem ſingularis ejus compoſitionis difficillimam judicat *Diemerbroeck*. ibid. Cum argento vivo aſſociatur, æque ac cum omnibus heterogeneis humoribus, & quid inde colligitur. Sententia aliorum plerorumque autorum p. 496. Ex eorum dictis quid colligit Autor noſter poſt innumeros Autores. De ejus natura & origine dubitant multi. p. 497, & 502. Rationes quibus probatur ſalivam conſtare ex acido quodam. His difficultatibus reſpondetur. p. 498. Solvitur quæſtio in qua quæritur, Cur in hominis ore abundat ſaliva ex viſione aut deſcriptione alicujus grati cibi, aut ex concubitûs deſiderio, ſicut & ex vomitu p. 499. & 500. Diverſæ modernorum opiniones circa novos ductus ſalivales. p. 502, & 503. Ab arterioſo ſanguine provenit ſaliva. ibid. Antiqua eſt inventio ſalivalium vaſorum juxta pleroſque Autôres. p. 504. Circa eorum ſtructuram & ſitum erraverunt Antiqui, & in quo. ibid. Tot ſunt ſalivæ ductus, quot ſunt eorum inventores, qui quatuor deſcribuntur ſecundùm obſervationem quatuor recentiorum anatomicorum à quibus ortum ducunt. p. 505, 506, & 507. Dantur & alii minimi. p. 508 Opinio *Doring.* de ſalivæ generatione. p. 509. Diverſæ ſententiæ circa ſalivæ ſecretionem. ibid. & p. 510. Quædam dubia circa ejus ductus & ſecretionem, quibus reſpondetur. p. 511. Diverſi ſalivæ uſus. Quomodo deglutitionem facilitat, ſaporem cibis inducit. p. 512. Quomodo ſitim diſtinguit. p. 514. Partes interiores oris lubricat, & Alimentorum fermentationem propromovet. p. 515. 516. & 517 ſaliva humana ad plures morbos remedium eſt. Valet contra Serpentes, Viperas, Scorpiones,

nes, eorumque morſus, & quam ob cauſam. p. 518. & 519. Utilis eſt contra Mammarum cancrum. p. 520. Saliva jejuni hominis innumeros curat Morbos. p. 521. & 522. Quomodo robur infantibus affert. ibid. Miræ aliæ proprietates ſalivæ. p. 523. 524. & 525. Saliva malè affecta peſſimos parit effectus. p. 526. Immoderata ſalivæ excretio quomodo vocatur, & definitur. ibid. Multa curioſa de ſalivatione morboſa. p. 528. & 529. De critica ſalivatione. ibid. & 530 Curioſa obſervatio depravati guſtûs à ſalivæ vitio. p. 531. & ſeqq. Aliud ſalivæ vitium. p. 539. Quomodo ſaliva morboſa ſordidos efficit dentes. ibid. De artificiali ſeu mercuriali ſalivatione, & quis primus fuit illius inventor. p. 546. Quomodo peragenda eſt. ibid. & ſeqq. Quædam obſervanda circa ejus uſum. p. 546. Quid ſentiendum de illa curatione quæ videtur peccare in leges. ibid. & p. 547. Referuntur nonnulli morbi per eam ſanati. ibid. & p. 548. Variæ ægritudines ab illa ortæ. p. 549 Diverſi caſus in quibus illa ſalivatio mortem cauſare poteſt. p. 550. Innumeræ ſignificationes ſputi & ſalivæ homininis à variis ſcriptoribus tam ſacris quàm profanis collectæ ad lectoris declarationem. p. 552. & ſeqq.

Salvia quamvis naturâ ſuâ innocua, peſſima tamen producere poteſt ſymptomata. Quandonam & quomodo, exemplo demonſtratur. p. 251. & 261.

Sandaracha. vid. Arſenicum.

Sanguis Felis. vid. Felis.

Sanguis menſtruus Mulierum eſtne venenatus. Sunt qui affirmant, alii verò negant, & rationes quibus fulciuntur utrique. Idem dicitur de ſanguine Taurino, & de lacte coagulato. p. 164, & 165.

Sapientia, ejus initium, timor Domini. p. 582.

Sardonia Herba, quare ſic vocatur. Unde ex illa Herba proverbium invaluit, *Riſus Sardonicus*. *p.* 202. vid. Apium.

Saturnus. vid. Plumbum.

Scammonium, quid nomine ſuo denotat. Ejus deſcriptio. Cui aſſimilatur, & in quo differt ab illo. Ejus effectus, & quomodo illud exhibere debent Medici. Symptomata ex ejus aſſumptione. Quare Recentiores putant Scammonium eſſe ſuccum Eſulæ. p. 245. Ejus curatio. p. 246.

Scarabæus triplex eſt. Quid utrique valent in arte Medica. Deſcriptio cujuſdam Remedii ex Scarabæis unctuoſis, ejuſque proprietas. p. 443. & 444.
Scincus quodnam eſt Animal. Ejus uſus in re Medica. p. 444.
Sciurus quodnam eſt Animal. Quid ex eo ſumit Medicina, & ad quem uſum. p. 404.
Scobina campanarum vid. Campana.
Scolopendra quid eſt. Quare dicitur Porcus lutoſus. Ex qua parte morſu ſuo noxia eſt. Quid ex illo morſu ſequitur. Mordetne ore, an tactu totius corporis. In quo conſiſtit virus hujus Animalis, unde diverſa mala, morſque ipſa inducitur. Modus ſuccurrendi iis qui ictus Scolopendræ paſſi ſunt. p. 129.
Scoria Ferri. vid. Ferrum.
Scorpæna. vid. Scorpio Marinus.
Scorpio, pro Nepa olim ſumebatur, nunc verò non. Quodnam eſt Animal. Ejus forma. p. 111. Novem Scorpionum genera numerat *Ælian.* eorumque nomina deſcribit. Tria tantùm admittit autor noſter. De ejus veneno multùm dubitant Autores. Sunt qui innocuum eſſe dicunt præter Africanum; alii verò contrà, ſed tantum in quibuſdam regionibus, annique tempeſtatibus, quod quinque confirmat exemplis. p. 112. Tragædia Scorpionis ſe ipſum interficientis. Symptomata ejus ictum ſequentia, & unde oriuntur. p. 113. Remedia quibus utendum eſt. p. 114. & 115. Præcipuum & notatu dignum deſumitur ex ipſo Scorpione vivo ſuper vulnus contrito, daturque ratio & cauſa talis effectus. p. 113. Ridicula curatio pro iis qui Scorpionis ictum paſſi ſunt. p. 280.
Scorpio Marinus, vel, Scorpæna unum & idem Animal eſſe dicunt aliqui, diverſum verò alii, Spinis eorum venenatis æque vulnerant, ſed differunt numero ſpinarum. Quomodo virus ſuum transferunt in vulnera. Symptomata ex eorum punctura inſurgentia naturam hujus veneni demonſtrant. p. 172. Eorum curatio. pag. 173.
Scorpio, inſectum, quoddam eſt Animal. A quo generatur. Ex eo parantur olea. Eorum vis &

& uſus. De mirabili potentia cujuſdam Herbæ adverſus eum p. 445. Ejus punctura plus nocet mulieribus quam hominibus. Sanat à Viperæ morſu, pluraque alia medicamenta medicinæ præbet. p. 446.

Scylla, ſeu, ſquilla quid eſt. Cujus uſus. Ubinam oritur. Quare in venenorum numero collocatur. Mala ejus aſſumptionem ſequentia. Eorum cauſa p. 232. Eorum curatio. pag. 233.

Scytale. vid. Amphisbæna.

Sepedon idem ac Sepes. Quid habent inter ſe commune,& in quo differunt. Unde nomen habet Sepedon. Venenatiſſimum eſſe teſtant Autores ſicut & experientia. Symptomata ex ejus morſu. p. 91. effectus illius morſûs deſcribit *Lucan.* Ejus curatio. p. 92.

Sepia quid ex ſe dat medicis, & ad quem uſum. p. 436.

Serpentariæ variæ ſunt ſpecies. p. 249. vid. Dragontea.

Serpentes inter Animalia venenoſa primi adſcribuntur. Quotuplicis ſunt generis, & unde diverſa trahunt nomina p. 83. Sententia aliquorum de Serpente primævo, de ejus cretione & pœna. Quotuplici modo eSrpens poteſt venenum inferre homini. Symptomata ex ejus morſu. p. 84. Ejus curatio. p. 85. Lingua ejus oſtendit præſentiam veneni. p. 277. Ejus oculi præſervant à venenis. p. 278. Lapis ex ejus Capite extractus magnam vim habet contra venenum, juxta quoſdam, ſecundum alios non. ibid. Exuvias ſuas bis in anno deponit, & quo tempore. Ex eo Medici ſumunt totum corpus, Adipem, Exuvias, Hepar & Fellis humorem, & ad quem uſum. p. 403 & 404.

Solanum, vel, Solatium, quare ſic dicitur. Ejus genericæ notæ. Quotuplex eſt,eorumque omnium nomina. Varias Solani ſpecies admittitunt Batanici. Viginti numerantur, quæ omnes aquè ac illud hortenſe noxiæ ſunt ad mortem uſque, magis autem noxium Belladona dicitur. Pernicioſiſſimum eſt Solanum quod furioſum dicitur, & quare. p. 199. Omnium Solanorum natura venenoſa eſt. Sumptum Solanum multa producit accidentia, p. 200, 275, & 281. Unde oriuntur, eorumque curatio. p. 200, & 275.

Spicæ cornu quid eſt.Cujus odotis. Ejus Natura. Unde ori-

untur ſymptomata quæ ab ejus aſſumptione producuntur. Curatio talis veneni. p. 227.

Spodium. vid. Tutia.

Staphiſagria quid eſt. Ejus deſcriptio. Quare dicitur Uva paſſa. Signa ejus aſſumptionis. Quid ex illis colligitur. Curatio illius. p. 237, 255. & 256.

Stellio, qut & Aſcalabotes dicitur, quid eſt. Quare ſi vocatur, p. 122. Unde Poëtæ nomen illud deducunt. De morſu & aſtutia quibus tam Homini quàm Animalibus nocet, & in quibusnam Regionibus ſunt peſtiferi aut innocui. Symptomata ex ejus carnis ſumptione, Dolor quem patitur ab eo demorſus quis eſt. Ex eo demonſtratur iſtius veneni qualitas & malitia. Remedia quibus utendum eſt. p. 123. Scorpionibus dicitur contrarius. p. 445.

Stramonium. vid. Datura.

Struthiocamelus, quid de eo narrant Autores multi. Partes illius Pharmacopœam intrantes, earumque uſus. p. 426.

Sturio quid ex eo commendatur in arte Medica. p. 436.

Sulphur cur ſic vocatur. p. 54. Quotuplici ſubſtantia compoſitum eſt. Quotuplex eſt ſulphur: inter remedia & venena numeratur. Symptomata ex ejus aſſumptione in corpore humano. Præſervatio illius & curatio. p. 55.

Sus, ſive Porcus, quodnam Animal. Utilitates partium illius in re Medica, & quid ex illis conficitur ad ſalutem humanæ vitæ. p. 404, & 405.

T.

T*Alpa* quid eſt. Quid verò concedit Medicinæ, & ad quos uſus. p. 406.

Tamarindus, ejus umbra noxia eſt dormientibus ſub ea. p. 258.

Tarantula cur ſic nuncupatur. Ejus deſcriptio. p. 140. Ejus venenum. Quomodo & in qua tempeſtate illud infigit. Signa ſequentia morſum aut ictum hujus Animalis. Varios producit effectus illud venenum juxta depravatæ demorſorum phantaſiæ naturam. p. 141. In quo conſiſtit illud venenum. Symptomata Tarantatorum in genere ſumpta quænam ſunt & quibus aliis ſimilia. Cur ſtatim à Muſica ſedantur, ita ut quaſi remedium ſit ipſis demorſis. p. 142 &. 143. Diverſi modo diverſiſque laboribus afficiuntur læſi à

ſi à Tarantula, unde quidam Philoſophi tot Tarantularum ſpecies admiſerunt, quot diverſa agnoverunt accidentia. Earum morſus comparatur ebrietati quæ in quemcumque operatur pro ſua natura. Recrudeſcit illud venenum,& quo potiſſimùm tempore. Cibi Tarantatis noxii. p. 144. Periculoſus & quidem lethalis eſt Tarantulæ morſus, ſed tardi motûs. Quandonam periculoſior fit. Ex Symptomatibus illius veneni quid colligitur. Indicationes curativæ, quæ, ſublatâ Muſicâ, fruſtraneæ ſunt. p. 145. & 146.

Taxus, Arbor, quibus, quomodo & in qua Regione noxia eſt. p. 208. Ejus deſcriptio. p. 243. Habetur etiam prolixa apud *Raïum* & *Manget.* Symptomata ex illius veneno. p. 208. quid ex illis colligitur. Hujus veneni curatio. p. 209.

Taxus, Animal, quid ex eo ſumit Medicina, & ad quem uſum. p. 406.

Teredo, ad quem uſum inſervit Medicinæ. p. 446.

Terra Melitenſis præſtans eſt adverſus omnia venena, maximè verò adverſus venenum Viperæ. p. 109. vid. Vipera.

Teſtudo Marina, quid ſui præſtat Medicinæ, & ad quem uſum. p. 436.

Thymallus dat tantum Axungiam, & quid valet. p. 437.

Tinca, quid ex ea in uſum Medicûm venit, & cujus valoris. p. 437.

Tithymallus, ut ex alia ſimilia, ob peſſimos ſuos effectus in numero venenorum meritò ponitur. Omnia ejus genera, maximè verò ejus lacteus ſuccus non ſine noxa ſumi poteſt, prudentiamque Medicorum exigit. Signa ex ejus aſſumptione. p. 246. quid ex illis colligitur. Ejus curatio. p. 247.

Torpedo, unde ſic dicitur. In qua parte corporis ejus reſidet venenum hujus Animalis indicat *Stephan. Lorenz.* Prohibetur venundari in Foro. Tamen à quarumdam Regionum Plebeiis expetitur eſui. Quomodo ſuum emittit virus juxta Veteres ac modernos Medicos. Quis eſt dolor quem producit, & unde provenit. p. 166. Ejus curatio. p. 167.

Toxicum, unde ſic dicitur, patet ex verbis *Plinii*. Quomodo vocabatur à Græcis. A diverſis vocabulis nomen habet. p. 186.

186. & 187. Venenum eſt quo Antiqui jacula tingebant. Quid eſt Toxicum,& quomodo vocatur Arabis. Ejus remedium idem eſt ac illud Pharici. ibid. Vid. Pharicum. Effectus toxici per fumum in corpus admiſſi, & quomodo mortem infert. p. 273.

Trutta, quid ex ea ſumunt Medici, & ad quem uſum. p. 437.

Turtur, quasnam partes habet pro Medicina, & ob quem uſum. p. 327.

Tutia quid eſt. Quomodo definitur. Quare dicitur Spodium. Venenum habetur ob ejus originem à Cupro. Illius uſus. Prava ejus Symptomata, & curatio. p. 56.

Tyrus. vid. Vipera.

V.

VAcca. vid. Bos.

Vaſa manuum ac pedum prius mortua ſunt quam illa Cordis. p. 598.

Venæ-ſectio magnum & extremum remedium eſt,quo abuti non licet Medicis. p. 580. & 587. De Venæ-ſectione in rabie canina. p. 161.

Venena Animalium. vid. Animalia venenata.

Venena quædam ſicut & Medicamina tacenda ſunt, & quare. p. 235. Multa per accidens poſſunt evadere venena. pag. 253. Venena non omnia pari modo inficiunt. p. 282. Venena mixta dantur innumera. Quare non convenit eorum formulas aperire. Quotuplicis ſunt generis. De diverſis modis quibus necare poſſunt. p. 261. quod multis probatur exemplis hiſtoriis. p. 262. 263 & 265. Diverſi modi quibus confici poſſunt talia venena. ibid. & p. 264. 266. 267. Formula cujusdam olei venenoſi. p. 266. Altera formula cujusdam veneni, ejusque remedium. p. 267. Aliæ venenorum formulæ. p. 268.

Venenum tractare licet-ne Medico, ſunt qui negant, nonnulli verò affirmant, Diverſæ rationes quibus utrique fulciuntur. p. 2. & 3. Veneni nomen, & Etymologia. p. 4. & 5. Ejus definitio. p. 8. & 9. Ejus natura juxta *Platon.* & *Ariſtot.* p. 10. Ejus diverſæ qualitates & effectus. p. 11. Utilitates ob quas Deus creavit diverſa ejus genera. p. 12. & 13. Homo non poteſt nutriri veneno. p. 14. Contrarium experientia docet juxta *Sennert.* ibid.

Datur duplex diſtinctio ad dirimendas difficultates. p. 15. Diverſæ hiſtoriæ ad rem pertinentes. p. 16. Triplex aſſignatur differentia Venenorum. p. 17. & 18. Varia illorum genera ad duas tantùm claſſes revocantur à Clariſſ. D. *Luca Tozzi.* ibid. Peſſima venena ſunt quæ ſpiritibus adverſantur. ibid. Alia veneni diſtinctio Clariſſ. *Friccii.* p. 19. Duas ſummas omnium venenorum admittit differentias *Joubert.* ibid. Duplex illorum genus eſſe dicit *Craanen.* ibid. Altera venenorum diviſio à *Fromman.* deſumpta. ibid. His omnibus venenorum differentiis alias addit *Zacchias* quarum innumera referuntur exempla. p. 20. Altera demùm diviſio *Zacuti Luſitan.* p. 21. Autor verò noſter aſſerens plures venenorum eſſe differentias eas omnes ſingillatim percurrit ac enodat. p. 21, 22, & 284. Explicatur quæſtio quæ ex omnibus illis differentiis inſurgit erga venenum extra adhibitum & intus ſumptum. p. 23. Veneni ſigna Diagnoſtica. p. 24. Deſignantur illa ſigna à *Cardan.* ibid. Signum commune præſentanei veneni juxta *Sennert.* p. 25. Alia multa ſigna quibus venenum ſe ſe prodit juxta diverſa ſymptomata. ibid. & p. 26. An poteſt cognoſci humanum cadaver veneno necatum. p. 27 Sunt qui negant, alii verò affirmant, quod experientia & exemplis probant. ibid. & p. 28. Sententia Autoris. p. 29. Diverſa prognoſtica veneni. p. 30. Diverſi modi quibus uti poſſunt homines, imprimis verò Principes ad illud præcavendum. ibid. & p. 31. & 32. Multa indicantur quæ peculiari naturæ dote ſignis venenum demonſtrant. ibid. Venenum quanto citiùs debet expelli è corpore, & per quam viam. ibid. Quibus utendum eſt remediis, & quæ vitanda in ejus Curatione, ſive per vulnus aut per morſum aut alio quovis modo in corpus immittatur. p. 33. Remedia utilia ad illud extrahendum. p. 34. Deteguntur duæ præcipuæ fraudes quibus utuntur Circulatores, ut facilius perſuadeant adſtantibus eorum Antidotum omnium eſſe præſtantiſſimum adverſus venena. p. 35, 36, & 37. Medici in tres partes Venena diſtribuunt. Autor verò noſter in quinque. ibid. easque nominatim

exponit. p. 38. De quodam veneno Formicarum uſu. p. 274. Experientia cujuſdam mixturæ venenoſæ. Alia mixtura fugans omnia venenorum genera. p. 276. & 280. In Veneficiis prævalet Fœminarum ſcientia. p. 276. In omni corpore venenoſo latet ejuſdem veneni Antidotum, probatur exemplis, & indicantur partes in quibus tale Antidotum inveſtigandum eſt. ibid. & p. 277

Veſpæ, quando & in quibusdam Regionibus periculoſiores ſunt earum ictus. Punctio earum ad mortem uſque nocua eſt. Symptomata quibus colligigitur veneni qualitas. Ejus curatio. p. 252. vid. Muſcæ.

Vingaſana, aliàs Duxumira, ejus deſcriptio juxta *And. Cleyerum*. Ejus natura & effectus non deſcribuntur, ideò remedia ignorantur. p. 257.

Vinum quomodo poteſt eſſe homini, modò Alimentum, modò Medicamentum, modò Venenum. p. 6. Diverſi ejus effectus. p. 7. Dicitur lacryma Vitis, & pater lacrymarum in potatoribus, & quomodò. p. 471. Vinum Cicutæ eſt venenum. p. 190. Vinum in quo ſuffocata eſt Vipera non venenum, ſed remedium eſt. p. 107. Vinum aſſumptum in quo infuſum fuerit Tabacum, Sal, ſeu Anguilla peſſima parit Symptomata, ut videre eſt in Hiſtoriis ab Autore relatis. p. 270. & 429.

Vipera pro ſuo ſexu diverſimode vocatur, diverſaque à diverſis rationibus nomina trahit. Quare communiter Vipera dicitur. Quomodo *Aldrovand.* eam vocat. p. 105. Diverſa relatio ejus ortûs tam quoad coïtum Maris quàm Fœminæ partum. p. 106, & 107. Quid eſt Vipera, Ejus color, longitudo & forma. Quem locum habitat tempore hyemali. Quomodo definitur à *Bald.* Obſervatio circa ejus dentes. p. 106. Circa ejus venenum, parteſque corporis illius in quibus conſtat, necnon & modum quo illud producit ac communicat, diverſè ſentiunt plerique ſicut & Autor noſter cum aliis. ibid. & ſeq. Diverſi effectus liquoris venenati Viperæ. p. 107. & 108. Ex ejus morſu quid inde ſequitur. ibid. In quo conſiſtit ejus venenum ſecundùm Autorem noſtrum. Symptomata quibus agnoſcitur Mors aut ſalus ægri. Quo tempore & in quibus Regionibus magis nocuæ ſunt Viperæ, earum-

rumque virus. Eſt-ne quædam differentia inter illud Maris & illud Fœminæ. Remedia in ejus curatione adhibenda. ibid. & p. 109. Diſſertatio de morſu Viperæ in D. *Paulo*, Terræque Melitenſis præſtantiâ adverſus venenum ejus. ibid. & p. 110. & 111. Sunt qui dicunt ſolo odore Balſami Viperas enecari, alii verò negant. p. 279. Ex ea paratur Balſamum contra venena. Modus curandi leproſos per eas. Ex eis conficitur oleum contra porriginem. Componitur egregius pulvis, cōdunturque vina Viperina adverſus venena, aliaque plura. p. 407.

Viſcus quid eſt. Ejus deſcriptio. De ejus ſemine genitali variè differunt Autores. p. 229. & 230. Quare inter venena connumeratur. ibid. Accidentia ejus aſſumptionem ſequentia. Curatio talis veneni p. 231.

Vitriolum quid eſt. Ejus Etymologia, nomen effectus & curatio. p. 40.

Vitrum, ejus definitio & natura. Quidam inter venena illud ponunt, maximè ſi intus ſit aſſumptum, quidam verò non, quod curioſis Vitrivororum Hiſtoriis probant. p. 48. & 49. Ejus ſymptomata & Indicationes curativæ. ibid.

Vitulus Vaccæ proles, quid ex eo ſumunt Medici, & ad quem uſum. p. 408.

Unicornu quodnam eſt Animal. Quid de ejus cornu dicit *Etmull.* Ad quem uſum prodeſt, & quid ex illo paratur. p. 408. & 409.

Upupa quomodo partibus ſuis Medicinam juvat. p. 427.

Urſus quodnam eſt Animal. Ejus deſcriptio. Quænam partes illius Medicinæ faciunt, & ad quem uſum. p. 409. & 410. In creta nullus videtur Urſus. p. 412.

Urticæ ſemen inter venena ab Autore quodam annumeratur. Eadem parit Symptomata ac Scylla, & quare. Autor noſter contrarium tenens illud pro remedio habet. p. 234. Venenumque non eſſe mortiferum aſſerit. p. 235.

Vulpes quid eſt. Ejus deſcriptio. Enumerantur partes illius quæ in uſum Medicum veniunt, & indicantur morbi quibus proſunt. Formula cujuſdam aquæ ex ipſius pulmone confectæ. Modus conficiendi oleum ex Vulpe contra Podagram. In Creta nullus adeſt Vulpes. p. 410. 411. & 412.

Vultur, quibusnam facultatibus præ-

præditus eſt. quænam partes ex eo in uſum Medicum veniunt, & earum proprietates. p. 428.

X.

X*Agua* quid eſt. Ubinam invenitur. De ejus venenoſo fructu. Ubinam naſcitur. Præſidium adverſus tale venenum. Ejus umbra noxia eſt, ſicut & ejuſdem ligna combuſta. p. 259. Vid. Sequentes Articulos.

FINIS.

T.º 3. 23